BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
16 D
10

# PESTIS
## ALEXICACUS,
*Sive*
## Luis Peſtiferæ fuga,
*Auxiliaribus ſelectorum utriuſq; Medicinæ remediorum copiis procurata.*

Authore JOS. QVERCETANO, Conſiliario, Medicoq; Regio.

*Nunc in Germania emendatius recuſa.*



1 6 2 5.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BIB. S. VAL. ROM.

BIB. S. VAL. ROM.

Impenſis Thomæ Schureri & Bartholomæi Voigt, Bibliop. Lipſ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

D 10

Digitized by Google

*Sereniſsimo Principi*

ERNESTO ARCHIEPISCOPO COLONIENSI, S.R.I. PER ITALIAM ARCHICANCELLArio, & Principi Electori, Epiſcopo Leodienſi, Adminiſtratori Monaſterienſi, Hildeſienſi, Friſingenſi, & Stabulenſi: Comiti Palatino Rheni: Duci utriuſq; Bavariæ, Angariæ, Weſtphaliæ & Bullonen, &c.

*QVi cœlis radio deſcribendis, & poſitionibus ſiderum inquirendis animum ſuum intendunt, Princeps Sereniſſime: non mediocri in contemplanda illa ſtella polari, quæ Septentrionem illuminat, rapiuntur admiratione. Nam præterquam quod illa ſpectantium oculos, ſuo clariſſimo fulgore perſtringit: Oceano nunquam mergitur, alteri mundi totius axi comes adhæret individua, nec non inſita quadam, magne-*

*tem quantumvis à ſe remotum attrahendi pollet facultate. Quæ res certè non parum ſtupenda, ſi curioſas hominum mentes attonitas efficiant, eò quod ſimilis nuſquam in alijs cœli luminibus vis & excellentia obſervetur: multò majorem procul dubio T. Celſitudo, quàm alteri ſtellæ polari meritò conferre licet, admirandi nobis anſam & occaſionem ſubminiſtrat. Etenim ſi primum de Illuſtriſſimo tuæ ſtirpis ſplendore ſermonem inſtituamus: Quænam majorum imagines, nedum in Germania, ſed in univerſa quantumcunq; latè pateat, Europa, antiquiſſimis Bavariæ gentis ſtemmatibus adæquari poſſint: præter unam aut alteram vix ullæ comperientur.*

*Julia quondam domus, ad Julium Æneæ filium, Pelopidæ ad Tantalum, & ipſi Heraclidæ ad Herculem, non ſine glorioſa quadam antiquitatis prærogativa, ſuos natales retulerunt: at tui certè Authores ipſis Julijs, Pelopidis, & Heraclidis multò prælucent antiquiores: à quibus celeberrimi quiq; Europæ principes originem ſuam ſe gloriantur deduxiſſe. Ab illuſtriſſima ...tis celebritate, candidi ne forſan C. T. mo...es aliquando defecerunt? minimè quidem: quinimò cùm à teneris, ut ajunt, unguiculis, intimo*

*s imo tui pectris ſacrario altiùs inſediſſet, illum ſolum eſſe præſtantiorem, non quem mera generis nobilitas, aut ſæculi dignitas, ſed quem vita piè inſtituta commendaret: tanta prorſus animi ſolicitudine ſapientiæ, fidei, beneficentiæ, pietati, cæterisq́; omnibus virtutibus excolendis incubuit, Celſ. Tua, ut hoc non injuria præconium, non ſecus ac Stella Polaris admittat: illam nunquam vitiorum aquis merſam fuiſſe:*

*At verò, quoniam hoc in primis rerum omnium moderatrix, agit providentia, ut fructum laborum ſuorum actiones laudatæ conſequantur: T. Celſ. in tenebris nequaquam jacuit. Teſtatur id ſublimis ille quem in univerſa Leodienſi regione nactus es, Principatus: in quo felicitas nexu quodam triplici, cum Eccleſiaſtica Civiliq́; πολιτεία, tuis prudentiſſimè copulatur auſpiciis.*

*Idipſum etiam teſtantur cœleſtia illa Inſulæ Colonienſis ornamenta, quibus ſic ad Imperij Romani majeſtatem accedit tua Celſ. ut non abs re, ſtella quædam, alteri Polorum mundi ſemper affulgens dici poſſit. Quem enim honoris & amplitudinis gradum non aſcendit, qui Cæſaris ipſius lateri proximus in comitiis aſſidet? qui Regem Romanorum ſuo deſignat ſuffragio?*

*qui ſacrũ Imperatorum verticem triplici præcingit diademate? quiq; demum immenſa quadam Orbis fines complectitur poteſtate? egregia quidem ſunt iſthæc fortunæ meritis ſubſervientis elogia: at quantum gloriæ ſit inde C. Tuæ acceſſio, quòd non ſecus ac ſtella poli, occulta quadam ad ſe Magnetem lapidem virtute pelliciat, ſic ingenita mentis ἐκφυΐα, viros quoſq; de literis bene meritos, tuæ ſpectatiſſimæ Literaturæ conciliatos & conjunctos eſſe velis. Simile quippe juxta vulgatum Phyſicæ pronunciatum, ſimili delectatur, nec voluptas ulla ſapientem unquam movere poteſt, quæ non è jucucundiſſimo doctiſſimorum virorum, quibus cum abditos ſuæ doctrinæ theſauros communicet, commercio propagetur.*

*Hujuſce ſingularis tui erga literarum candidatos affectus, atq; ſtudii, certiſſimam fidem illæ faciunt, quæ me nuper cohoneſtarunt T. C. literæ, quibus ita me provocatum & affectum animadverti, ut exinde qua illis ratione reſponderem, diu mecum cogitarim. Cùm ergo ob frequentes, quibus tempora noſtra vexantur Peſtilentias, Alexicacum quendam præcipuis quibuſq; Medicorum, & Spargyricorum remediis inſtructiſſimum ſuſcepiſſem: hunc ipſum*

*Illuſtriſ-*

*Illuſtriſſimo tuo nomini conſecrandum propoſui, quem ſi ſolita ſua gratia favoreq́; T. C. proſequatur: æternis meritorum vinculis obſtringetur*

C. T. Cliens obſequentiſsimus,
IOS. QVERCETANUS.

## *Ad Lectorem.*

GRaves & acerbæ peſtilentiæ (amice Lector) quibus Gallia noſtra annis ſuperioribus divexata eſt,& propediem divexabitur (nî Deus omen avertat) quod varia nimirum temporum conſtitutione colligitur: nec non ſolicitæ Dominorum & Amicorum meorum quorundam praces effecerunt, ut omnibus aliis curis poſthabitis hoc opus à me ſuſciperetur.

Equidem non diffido quin una ex parte meum tibi non probetur conſilium: eò quod Furia adeo ſævienti mea remedia appoſuerim. At ex alia non parum vereor,quin multa in illo deſiderentur, eô quod ad tantam materiæ obſcuritatem atq; excellentiam iſthæc non accedat tractatio. Sed præterquam quod illud mihi certiſſimè perſuadeo, te meam affectionem æqui boniq; conſulturum: eſt quod præterea meæ tibi, ob oculos verſentur occupationes & aſsidua negotia, quæ omnem meis viam ſtudiis, niſi horis quibuſdam furtivis (ut ita loquar)& ſucceſsivis præcluſerunt: dulcemq; ſæpius oculis meis,ut tuæ ſaluti proſpicerem,ſomnum ſubripuerunt.

Huc etiam accedit, quod nimia me interceperit præli Typographici, cui hoc opuſculum

nec

nec dum perfectum mandabatur, præcipitatio: quæ me ita tranſverſum rapuit, ut fieri non potuerit, quin aliquot in eo excudendo menda, in utroq; idiomate Gallico & Latino non obreperent atq; conſequerentur. Interim tamen has meas lucubrationes, necdum ſupremam manum adeptas, iſtis nundinis Septembris Francofurtenſibus edendas curavi: ut illæ aliqua ſaltem ratione tibi pro ſecunda meæ Pharmocopœæ parte, quam tibi promiſeram, ſatisfacerent.

Licet enim nil tibi ob procraſtinationē depereat, imò majus promiſsis additamentum accreſcat: egi tamen, ut ſic aliquod tibi expectationis tuæ fœnus exolveretur.

At verò ut certiorem veritati fidem faciam, non eo inficias, quin debuerim, tibi præ cæteris meis operibus, ſecundam Pharmacopœæ meæ partem, elaborare: cum non modo viri eruditione celeberrimi, ſed etiam illuſtriſs. Principes honorificis ſuis literis ad me tranſmiſsis atteſtati ſint, priorem illius partem ſibi non parum placuiſſe, & communi omnium voto poſteriorem etiam nunc expectari.

Inter alios Andr. Libavius, ille noſtri ſæculi Medicus & Philoſophus inſignis, de re medica quàm optimè meritus, & amicus meus ſingularis: nec non vir ſpectatiſsimus Petrus Kopffius Typographus, hac de re mecum noviſsimè per literas egerunt, nec paucos ſtimulos adhibuerunt, ut tractatio, quam tantopere proba-

 viſſent,

viſſent, à me tandem abſolvetur. Verùm quoniam multum in hoc noſtro Peſtis Alexicacò progreſſus fueram, conſultius eſſe duxi ad ſuam Coronidem, & umbilicum ipſum perducere.

Quod ſi (Lector benevole) perſpexerim, hanc meam lucubrationem, ea qua cepiſti ratione, probatam iri: nullum non lapidem movebo, ut quamprimum hoc modo alteram meæ Pharmacopœæ Dogmaticorum reſtitutæ tibi partem impertiar: ſed etiam Pharmacopœam ſpagyricam polliceor: in qua nonmodo tibi præparationem magnorum quorundam Naturæ Arcanorum ſpero me declaraturum, ſed etiam illorum uſum atq; methodum, ita claram & perſpicuam traditurum, ut facillimis omnium morborum, tam internorum quàm externorum, curativis intentionibus inſerviant. Deus ita deinceps votis meis aſpiret, ut tuis poſsim ſatisfacere, tibiq; gratiam largiatur, ut illis impoſterum feliciter perfruaris: Vale.

ENI-

## ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ,

Εἰς τὸν λαμπροτάτου, δοκιμωτάτου, καὶ ἰατρικωτάτου ἰατροῦ Ἰωσήφου Κουερκετάνου, Περὶ λι-μοῦ συγγραφήν.

ΧΡΥΣΟΥΝ Ἱπποκράτην θῆκεν Πανδιονὶς αἶα
Οὐλόμενον παρὰ σφῶν λοιμὸν ἀπερξάμενον,
Πάντας δ᾽ ἀνθρώποις ἔπεσιν καὶ χερσὶν ἀμύνας
Κάρτα Κουερκετανὸς εἰπέ μοι οἷος ἔῃ,
Χρύσεα ὡς πέλεται χαλκείων πολλὸν ἀμείνω,
Καὶ μερίδος τὸ ἅπαν ἐστὶ πλειότερον·
Οὕτως Ἱπποκράτοις κρατερὸς κ᾽ ἦν χρύσεος αὐτὸς
Πέν᾽, ὅδε μὲν ῥ᾽ ἡμῖν ἔσσεται οὐράνιος.

*Hippocrati poſita eſt ſtatua aurea ab Atthide terra.*
*Quod per eum fuerit dira fugata lues.*
*At Quercetanus cunctos qui educit ab Orco,*
*Et facto & ſcriptis, dic mihi qualis erit?*
*Ut fulvum viridi eſt Aurum præſtantius ære,*
*Utq; magis totum eſt partibus eximium:*
*Sic ſuperat Coum: qui ſi fuit aureus olim*
*Cecropiis, nobis hic erit æthereus.*

M. QVADRATUS.

AD

# AD CELEBERRIMUM VIRUM D. IOS. QVERCETANUM D. de la Violette, Med. Regium.

MONTE ſub Idalio conſederat arbiter Orbis
*Iuppiter, & terris annua jura dabat.*
*Iamq; Aquilam regnare avibus; Dominumq; Leonem*
*Iuſſerat eſſe feris: omnibus his hominem.*
*Arboribus regem quærebat: cedrus, an alnus,*
*An pinus, celſò juſſa daret nemori.*
*Dum Dodonæo cernit de ſemine quercum:*
*Tartara quæ pedibus, ſidera fronde petat.*
*O Iove digna arbos! clamat: ſi viribus æquas*
*Hanc molem: ſed nos experiamur, ait.*
*Et ſubitò è pharetra flagrantia fulgura promit:*
*Corporis & duri, fortia membra quatit.*
*Irrita vis teli: tremuit Marpeſia rupes,*
*O Iove digna domus! ſic habitemus: ait,*
*Nec mora ab hac Quercu divina oracula pandit,*
*Et ſpretis aſtris, hic ſua templa locat.*
*Advolat agmen apum, truncoq; alvearia ponit,*
*Atq; parat ſummo dulcia mella Iovi.*
*Ipſe, famem terris numeroſa glande viciſſim*
*Pellit: & hic ſuperis infera mixta putes.*
*Nec prius arbuſti ceſſarunt munera ſacri,*
*Quam Phaëthonteo ignibus arſit humus.*

Tum

*Tum ſlammam fugiens, cœlis ſe Juppiter altis*
*Reddit : & hoc inquit Mulciber audet opus ?*
*Neu mea templa timet rapidis abſumere ſlammis ?*
*Anne meam quercum ſic periiſſe putat ?*
*Fallitur, æternùm vivet, licet unica : vitam*
*Seu Phœnix proprio carpet & à cinere.*
*Vix ea dicta : cinis* VIOLAM *producit, & inde*
*Innumeras quercus floſculus ille dedit.*
*Hoc mihi Quercetum pro Quercu Juppiter inſit :*
*Sim* QVERCETANUS, *nomen, & omen amo.*
*Hoc mihi* QVERCETO *Natura arcana recludet,*
*Et quodcunq; ſuo continet illa ſinu.*
*Delicias condet partas operoſa juventus*
*Hoc loco : & eloquii ſuavia mella fluent.*
*Pro tribulis* VIOLAS, *pro glande & balſama fundet,*
*Mannave : juncta ſacro, ut ſit medicina cibo.*
*Neu ſpecies ſit vana : fidem experientia firmet,*
*Nil quod inexpertum numina noſtra volunt*
*Tentabo : & valida vibrabo fulgura dextra,*
*Vel ſi peſtis adhuc fulmine pejor erit.*
*Et ſimul intorquet* PESTEM : *quæ protinus* Orcum
*Solo* QVERCETI *ſaucia odore petit.*
*Par vis illa Iovi, inquit Juppiter : heus, tibi cedo,*
*Sis* QVERCETANUS : *nomen, & omen habe.*

Æ. R. I. V. D.

In

# IN OPERA MEDICINALIA LONGE LATEQVE CLARIſS.& celeberr. D. JOSEPHI QVERCETANI, ſummi Philoſophi, rerumq; abditarum inveſtigatoris ſolertiſſimi, nec non Regis Chriſtianiſs. Conſiliarii & Medici ordinarii.

*Mirentur veteres hydram vigilemq; draconem*
*Heſperidum, Herculea monſtra ſubacta manu,*
*Mirentur Cacum, & Harpyias ſævumq; Leonem,*
*Gerionem trinum, tartareumq; canem:*
*Nil poſthac miror, multò majora videmus,*
*Quæ non viſa prius crederet ulla fides.*
*En novus Alcides priſcûm ſibi dogma ſubegit*
*Corpora cui centum, mille fuere manus.*
*Suppoſitis humeris cœleſtem ſuſtinet axem,*
*Dum* MUNDI SPECULUM *mundus & ipſe refert,*
*Bis duplicem valida proſternit* TETRADE *victum*
*Gerionem, Harpyias ſtricta diæta ferit.*
*Vin' aliquid majus? rerum miracula pandam*
*Nec niſi terreſtri bella peracta Deo.*
*Cerberus ut ſuperas Alcide trahente reviſit*
*Terras; inſoliti tactus odore loci,*
*Immane eructans virus deprompſit Echidnæ,*
*Pectore tartareo dira venena vomens.*
*Promptius exitium non tellus, Pontus, & Orcus*
*Protulit, aut ſtygiis edita peſtis aquis.*

Au-

*Aurea pervigilem ſervantem mala draconem*
*Junxerat Alcides; colla revincta trahens.*
*Qui poſtquam hoc avido deglubit pectore virus,*
*Parturit, & fracto viſcera ventre dedit,*
*Et ſimul horrendum monſtrum, gemino quod ab ortu*
*Semi-dracoq; fuit, ſemi-canisq; fuit,*
*Vel ſimul utrumq;, & Canis & Draco, tetrius unquam*
*Quo nec ſol vidit, noſtra nec aura tulit.*
*Id ſtygiis undis lactarunt diræ & Erinnys*
*Nutriit, ac eſcam nigra aconita dedit.*
*Monſtrum infame ullo pectus penetrabile ferro,*
*Pernicies orbis, triſtis & ira Deum:*
*Hoc validis olim petiit Teryntbius armis,*
*Sed fruſtra: Heroëm flamma voravit edax,*
*Quid meus Alcides? clavam, arcum, ridet & haſtam,*
*Et propriis armis hic cadat hoſtis, ait,*
*Tingere tela nefas tam impuri ſanguine monſtri,*
*Enſe cadat potius qui prius enſe ferit.*
*Dixerat, immergit ſtygiis dira ora venenis,*
*Et ſolito potu guttur hians ſaturat;*
*Plena, diu ſecum pugnat fera belua, victrix*
*Sit licet ipſa ſui, ſe tamen hoſte cadit,*
*Quæ modo lerna fuit, placido fit mitior agno,*
*Ac homini promptum cedit in obſequium.*
*Fit Nectar, quæ jam ſordebat fœda mephytis,*
*Peſtis & Antidotum, quæ modo peſtis erat.*
*Quæ prius Oetæo Alcidem conſumpſerat igne:*
*Herculis alterius viribus icta jacet.*
*Quid jam ô Pigmæi! ſopitos ſat-ne lacertos*
*Punxiſtis? vigilis (cedite) pugnus adeſt.*

Quid

*Quid juvat imparibus contendere viribus, artem*
*Præcellit natura, arsq́; miniſtra logos.*
*Miremur potius per quem natura recludit*
*Res tantas, mirum at concomitetur amor.*
*Quid juvat invidia? effectis jam verba probantur,*
*Quæ pulchra æthereus fronde coronat honos:*
*Macte animi! mundi conſcende ô victor olympum,*
*Nil te quod capiat noſter hic orbis habet.*

D. T. FLORIS à RIKEBOURGC
J. U. & M. Doct. Illuſtriſs. ac Potentiſs. Ducis de Vantadour, Regis Chriſtianiſs. vices apud Tectoſagas gerentis Med. ordinarius.

PESTIS

# INDEX ALPHABETICUS RERUM NOTABILIUM QVAE HOC OPERE CONTINENTUR.

## A


*Acetum deſtillatũ quomodo fiat, & quanta illius virtus* 167

*Acetum quomodo ſua aciditate ſpolietur* 171

*Aceti & humoris melancholici παράλληλα* 166

*Aceti deſtillatio quomodo fiat* 170

*Aceti roſati uſus ab Autore laudatus* 248

*Acetorum metallicorum virtus autoritate celebrium Doctorũ confirmata* 260

*Aciditates arte Chymica depromptæ cæteris multò præcellent* 249

*Aciditatum mineralium excellentia quanta* 250

*Ad aciditatum metallicarum detractores prolepſis autoris* 258

*in Acidorum aliquorum laude cur diutius Autor immoretur* 267

*Aconitum qua ratione peſtem producat* 128

*Aconiti venenũ quantũ* 130

*Ædes infectæ peſtis tempore obſervandæ* 198

*Aër duobus modis poteſt contaminari, intrinſecus & extrinſecus* 204

*Aër ab omni ſordium fœtore immunis eſſe debet in curatione peſtis* 185

*qui Aër tempore peſtis ſeligendus* 196

*Aër quomodo refrigerandus* 203


*Aëris*

Aëris ad peſtis cautelam ſive curationem inprimis habenda ratio 194
Aëris quanta virtus & potentia in corpora noſtra 103
Aëris purgandi rationes variæ 196
Aëris corruptione Deus utitur ad peſtes immittendas 105
Alexiteria & roborantia præcipua contra peſtem 287. 288. & ſeqq.
Alexiteria quænam præſtantiora, Autoris judicio contra peſtem 326
Utrum Allia viſui officiant 317
Allia olim pro vitando periculo comeſta 319
Alliorum proprietates quantæ ex autoritate Dioſcoridis, Aëtij 315. Celſi, Æginetæ 316
Alliorum mira conglutinandi virtus ibid.
Alliorum uſus quibus populis familiaris 317
Alliorum odorem Leopardi & Pantheræ ferre non poſſunt 318
de Alliis quib. pro Theriaca vulgus paſſim utitur 315
Alvi exonerandæ modi 223
Amuletum ex arſenico contra peſtem quis primus invenit 420
Animi perturbationes fugiendæ tempore peſtis 207
Antidotus excellentiſſima contra peſtem in modum arcani deſcripta 306
Antidotus procerum præſtantiſſima 306. modus ea utendi 308. & illius effectus 309
Antidotus minoris impenſæ pro pauperibus 311. & ejus uſus 313
Antidotus contra peſtem è granis Juniperi compoſita ibid.
Antidoti qua Hippocrates in fugienda peſte Athenienſi uſus eſt, deſcriptio 380
Antidoti diverſæ miræ virtutis 358

ex an-

*ex Antimonio Medicinæ variæ jampridem compoſitæ* 416
*Appetitus cibi & potus unde in nobis inſit* 166
*Aqua vitæ ex omnibus rebus alimentoſis* 153
*Aqua mortu ex omnibus rebus venenatis elici poteſt* 155
*Aqua vitæ quomodo ſuis ſpiritibus exuatur* 172
*Aqua ſingularis cardiaca contra peſtem* 452
*Aqua Theriacalis excellens pro peſtis præſervatione* 291. *& modus ea utendi* 293
*Alia aquæ Theriacalis deſcriptio* 293. *item altera excellens* 295
*Aquæ frigidæ copioſus uſus in febribus ardentibus commendatur teſtimonio Æginetæ* 152. *Hippocr. Rhaſis, & Avicennæ* 353. *atq; denium Fracaſtorii* 314
*Aquæ vivæ exemplũ ad ſanguinem accommodatum* 365
*Aquæ fortis mira obſervatio* 147
*Aquæ ſtagnantes quomodo aerem inficiant* 119
*Aquæ veneno corruptæ peſtem aliquando inducunt* 124
*Aquæ vitæ variæ ſeu ſpiritus ſalutares ex nonnullis metallis elici poſſunt* 146
*Aquarum Spaenſium & Pouquenſium facultas* 270
*Arabes auri præparandi primi inventores* 480
*Ars quantum ipſi naturæ præſtet adjumenti* 269
*Arſenicale venenum* 132
*cordi ac ſpiritibus vitalib. præcipuè adverſarius* 133
*Arſenicum per præparationem Chymicam è lethali fit ſalutiferum* 340
*Arſenicum quanam præparatione ſalubre reddi poſſit* 420
*Utrum Arſenici amuletum è collo ſuſpenſum contra peſtem*

peſtem valeat 339. & Heurnij circa ipſum ſententia 340
Arſenici ſecundum artem præparati virtus 421
Aſtrorum quadraturæ in venæ ſectione obſervandæ 228
Aurum ardens cur flammam potius quàm alterum ſuſcipiat 159
Aurum quibus antidotis conficiendis inſerviat 429
Auri virtutes ex Avicenna & Palmario 430. 431
Auri præparatio Palmarij 432
circa auri naturam & proprietates, notabilis tractatus 429. explicatio notanda 433

## B

Bezoardicum metallicum quid ſit 357
Bezoardica remedia contra peſtem 423. 456
Brunchocele quid, & unde apud Morianos 10
Bubo peſtifer cito aperiendus 452
in Bubonis peſtiferi curatione quomodo procedendum 448
Bubones peſtilentiales quibus in locis oriantur 71
quomodo fiant, & quid ſignificent ibid.
Bubones quinam in peſte nocentiores 449
Bulimia, quinam morbus 164

## C

Cadavera qua ratione vivos ſuo contagio inficiant 30
Canis rabidi quædam ſigna 62
Carbunculi & anthraces peſtiferi 70
Carbonum peſtilentialium cauſæ 456
Carcinomata undenam producantur 170
Cardiaci majoris deſcriptio 304. minoris 309. alia id genus 310
cardi-

*Cardialgia quid* 73
*Cardialgiæ ſymptomata* ib.
καρδιωγμὸς *Galeno quid* 74
*Carminum virtus quanta in morbos* 40
*Caſſiæ cur Autor non meminit in remediis contra peſtem* 283. 284
*Cataplaſma contra peſtem* 451. 459
*Catharticæ è metallicis compoſita, qua ratione citiſſimè perficiantur* 410
*ad Cauſarum nimis curioſos inquiſitores prolepſis autoris* 182
*Cautela in morbillis & variolis obſervanda* 68
*Cautela circa anthraces & carbunculos peſtiferos* 70
*Cautelæ quænam in ſanguinis miſſione ad peſtem curandam adhibenda* 370
*Cauteria quis primus inſtituit* 233. *unde deprompta* 234.
*Cauteria tempore peſtis adhibenda* 232. *quo tempore* 235. *& cui parti* ib.
*Cauteriorum uſus* 233
*Cephalalgia intolerabilis in lue Venerea graviori* 134
*Chymicæ artis commendatio* 174
*Cibis qui ſecundum diverſam hominum temperiem aſſumendi* 212
*Cibi diverſi generis fugiendi* 211
*Ciborum conformitas in victu obſervanda* 216
*Cibis quibus peſtis tempore utendum* 210
*Citri uſus ab Autore laudatus* 248
*Columbaria interdicenda tempore peſtis* 197
*Conradus Geſnerus peſte occubuit* 95
*Contagium pro peſte, unde ſic dictum* 16. *quomodo & & unde procreatur* 23
*Contagiū per fomitem, quid ſit* 28. *à quibuſnam corporib. produci ſolitum* 29
*Contagium cur diutius foveatur* 33
*Contagium ad diſtans quid* 35. *ejus*

35. *ejus cauſæ quænam* 36
*quod Contagium ad diſtans per ſenſum poßit communicari* 39. *quod ſolo viſu* 42 *quòd per odoratum ibid. ex autoritate & exemplis hiſtoriæ* 43. 44. *quod item per guſtum & tactum* ibid.
*Contagij vox à plurimis veterum contra Mercurialis opinionem uſurpata* 24. *ab Accio ibid. à Thucydide, & Tito Livio* 25. *ab Appiano ibid. à Lucretio* 26
*Contagij definitio* 27. *ejus cauſarum diſtributio in internas & externas* ib.
*ad Contagij productionem quatuor requiſita* 28
*Contagij ſpecies ſeu differentiæ* 28
*de Contagij per fomitem duratione quidnam ſenſerit Alexander Benedictus* 32. *quid Marcilius Ficinus ibid.*
*Contagij ad diſtans quanta velocitas* 38. *ex autoritate hiſtoricorum ibid. ex Lucretio* 38. *Fracaſtorio ibid.*
*Cor, ventriculus olim dictus* 73
*Corpora ad contagionem per fomitem producendam idonea quænam* 29
*quod Corpora vegetabilia & animata ſuis non careant ſpiritibus* 149
*Corporum cœleſtium virtu in hæc inferiora* 100
*Crocus metallicus diaphoreticus quomodo conficiatu* 355. *ejuſdem virtus* id.
*Crocus metallicus purgativus quomodo præparetu ibid.*
*Crocus metallorum cur ſi appelletur* 356. *excellen contra peſtem remedium ibid.*
*Croci metallorũ virtus* 417. *& circa ipſum experientia Autoris notanda* 41
*Cubicula qua ratione peſt tempore procuranda* 2
*Cucurbitulæ tempore peſt*

*adhibendæ* 232
*Cucurbitulæ in peſte omittendæ* 451

# D

*Dalechampii laus* 440. *diæta quænam potiſſimum ægroto peſte affecto obſervanda* 457
*Diagridium correctivum verum* 273
*Domicilii ratio quænã tempore peſtis ineunda* 200

# E

*Electuarium de ovo Imperatoris Maximiliani* 321
*alterum* 322
*Electuarium alterum de ovo pro Magnatibus ex Pharmacopœo Autoris* ibid.
*Electuarium alterum de ovo minus, pro vulgaribus* 324
*& ejus virtus* 325
*Elephas morbus in Ægypto frequens* 8
*Emplaſtrum contra peſtem* 453. *& quibus in locis illud applicandum* 445
*Endemij morbi quinam* 7
*Endemiorum morborum ab epidemijs diſcrimen* 7
*eorum diverſa genera* 8
*Epidemius morbus pro peſte* 8
*Epidemij morbi quales* 16
*Epidemiorum morborũ ſubdiviſio* 6. *eorum diſcrimen ab endemiis* 7
*Epithema humidum quod plurimùm valet ad cordis corroborationem, ad peſtis, cæterorumq́ morborum epidemiorum præcautionem* 334. 335.
*ejus virtus* 336
*Epithema alterum pro non febriculoſis* ibid.
*Epithema ſiccum, & ejus deſcriptio* 337
*Eſſentia cujuſq́ rei germana undenam profluat* 142
*Evacuationis, quæ repletioni opponitur, diverſa genera* 220
*Euphorbium calidum inter remedia peſtis purgativa* ab

ab Autore improbatur 388
Exanthemata in corporibus peſtiferorum, quid 66
Excrementa quomodò à natura expellantur 222
Excrementorum retentio, diverſorum morborum cauſa ibid.
Exercitia quibus horis peſtis tempore capienda 210. & quis locus iis aptus. ibid.
Extracti juniperi virtus quanta 314
Extractionis Cardiaci majoris conficiendæ ratio 303 ejus duplex deſcriptio 304 & qua ratione vires majores nanciſcatur 305

F

Facies peſtiferi aliquando decipit 187
Fames canina 164
Fames & peſtis idem ferè ſonant Græcè 86
Famem cur peſtilentia ſubſequatur 85
Febris maligna, pro peſte 1
Febris peſtifera poteſt eſſe ſine contagione 47
Febris peſtifera qua ratione ab aliis differat 137
Febris cur mentio nulla in peſtis definitione ab Autore facta 50
Febris peſtiferæ vera indicia quænam ſint 139
quòd Febres quædam ſint venenatæ, nec tamen propriè peſtiferæ 138
Febres peſtiferæ undenam oriantur, & illarum diviſio 135. 136. 137
Flores ſulphuris quomodo præparentur 360
Fœtor magnus non ſemper ingentis corruptionis index 120
Fœtor platearum Pariſienſium corruptioni contagioſæ fugandæ idoneus 121
Fomentationes in peſte non omittendæ 451
Fomentationes contra peſtem 451

Fructus qui ſeligendi tempore peſtis 218. acidi dulcibus præferendi 219
Fumigationum varia genera tempore peſtis uſurpanda 201

G

Galenus contagionis metu Româ diſceſſit 49
Galeni ſententia circa miros aceti effectus improbata 169

H

Hartmanni Medici laus 428
Herbarum genera quæ ſeligenda tempore peſtis 218
Hermolaus Barbarus peſte occubuit 95
Heurnij conſilium circa ſanguinis miſſionem 373
Hippocratis mens libro de flatibus 163
Hippocratis lex de claudis myſteriis artis cujuſq; 414
Hiſtoria ingentis cujuſdam terræ motus, qui in Gallia pridem accidit, à Leovicio ante prædictus 105
Hiſtoria memorada circa caſſiã temerè aſſumptam 285
Hiſtoria notanda, qua formæ rerum in cineribus & ſalibus reſidere manifeſtantur 300
Humiditas nimia cur nos peſti reddat obnexios 81
Humor atrabiliarius unde in nobis procreetur 168
Humoris melancholici cum vitriolico convenietia 165
ex humore melancholico alius acidiſſimus procreatur 167
Humorum purgatio tempore peſtis præſertim neceſſaria 271
Hydrargiri amuletum commendatur, & quomodo conficiendum ſit declaratur 341
Hydromel contra pituitam ac melancholiam 242
contra peſtem 426. 282
Hydromelitis formula, quòd diu paſſit conſervari 243

# I


Iachen præſtigiatoris Ægyptij hiſtoria 114
Ignium frequens & utilis uſus in ableganda peſte 115
Indumentis quibus tempore peſtis utendum 203
Inflammatio non intermiſſa peſtiferis 57
Inflammatio viſcerum cur in peſte ingens 76
Utrum Influentia corporum cœleſtium aliquid poſſit in hæc inferiora 100. & Autoris pium ſuper ea quæſtione judicium 102
Influxu ſyderum Deus utitur ad peſtes immittendas 105
Inſpiratio peſtiferis difficillima 57
Inteſtinorum ardor peſtem conſequitur 75. 76
Julepus e tinctura roſarum compoſitus quid præſtat 258
Julepi accommodati bilioſis 256. melancholicis, pituitoſis ibid.
Julepi quinam contra peſtes probati 444


# L


Lactis, ſeu butyri ſulphuris præparatio 360. & ejus virtus quanta ibid.
Lapis ex Antimonio factus 415
Lapis Armeniacus ad expellendum humorem atrabiliarium aptiſſimus 397
de Lapide Armeniaco quid Hippocrates & Galenus ſenſerint 496. quid deinde Trallianus ibid.
Lapidis lazuli virtus 498
Licentia Autoris elegans ad benevolum lectorem 45
Lingua in peſte affectis cur nigra 64
Linimentum contra puſtulam peſtilentialem 459
Linimenti & emplaſtri deſcriptio 338
Lippitudines 9
Loca infecta quomodo repurgan-

purganda 205
S. Ludovicus peſte occubuit 96
Lues pro peſte 16
Lues venerea unde quibuſdam & non aliis contingat 35
Lues venerea quo tempore Gallias infeſtavit 107
Lues venerea in corporis interioribus ad duodecimum uſq; annum latere poteſt 160
Luis venereæ gravioris ſymptomata in cerebro graviſſima 134

## M

Magicæ artes adhibitæ in remedium contra peſtem 116. improbatæ 113.
Magneſia à quibus laudata fuit aut condemnata 415
Malorum punicorum uſus laudatus 248
Mania qua ratione à Tralliano curata 400
Manna purgativum quomodo è mercurio componatur 414
Medicus ad ægros tempore peſtis evocatus quid obſervare debeat 59
Medicus quo modo erga peſtiferos ſe gerere debeat 442
Medicus junior in curatione peſtis quonam modo progredi debet 444
Medici periti qualenam officium 373
Medici ſcopus quinam præcipuus in peſte curanda eſſe debet 447. 457
Melis ingens acrimonia per ejuſdem anatomiam dignoſcitur 178
Mendici tempore peſtis interdicendi 197
Mercurius vitæ quomodo præparetur 411
Mercurius quomodo citiſſimè præcipitetur 409
Mercurius quomodo ab Autore præparari ſoleat 413
Mercurij natura paucis olim cognita 402. & quænam de ea ſint ſententiæ ib.

*Mercurij virtus quanta* 403
*Mercurij præparatio quantopere requiratur ut medicinis inſerviat* 405
*Mercurij in eſſentiam redacti mirificæ virtutes* 407
*Mercurii vulgares præparationes improbatæ* 408
*Mercurij per artem præcipitati virtus quanta* 409
*Mercurii vitæ præparandi abſtruſior ratio* 412
*Mercurij purgativum quomodo præparetur* 413
*Mercurii veneris contra peſtem ſingularis præparatio* 425. *item alia ibid.*
*Mercurium crudum quinam in uſu habuerunt* 405
*inter Mercurium crudum & præparatum quænam differentia* 407
*de Mercurio amplior tractatus* 401
*quæ Metallica nuper contra peſtem magnæ virtutis inventa* 398
*Methodus Autoris in hoc Tractatu de Peſte* 2
*Metus tempore peſtis cur vitæ noceat* 208
*Morbi qua ratione dividantur* 4
*qui morbi quibus in locis frequentiores* 11
*quòd Morbi cæteri peſte regnante in peſtem transformantur* 18
*quòd Morbi quidam in luem veneream ſæpe transformantur* 19
*Morbi acuti ſine febri mortem adferre poſſunt, ex Hippocrate* 53
*Morborum ex Hippocratis mente cauſæ & principia quænam* 3. 4
*Morborum ſporadicorum variæ ſpecies* 6
*Morborum communium diviſio* ibid.
*Morborum diverſa genera ab aſtrorum influentiis cauſari ſolita ex Hippocrate* 111
*Morborum origo ab humorum diſcraſia* 175
*Morborum materialium & ſpiritu-*

ſpiritualium variæ cauſæ 183
in Morbis deploratis quibuſnam remediis uſi fuerunt antiqui 401
Motus naturæ in peſte nunquam divertendus 449
Mundi in duas ſphæras ſive globos diviſio 98. unde deprompta ibid.
Muſani Medici præſtantiſſimi laus 428
Muſicæ virtus quanta in morbos 40
Myſteria ſuæ artis emulganda Medicinæ Coryphæi vetant 328

N

Napellus qua ratione peſtem producat 128
Napelli mira natura & deſcriptio 131
Natura quanam ratione juvanda in peſtiferis 446
Nauſea & vomitus peſtem perpetuo comitantur 75
Νοσοκομεῖα peſtiferorũ quo loco, & quomodo ædificanda 19
Nundinæ interdicendæ tempore peſtis 19

O

Oculorum rubor, peſtis ſign præcipuum 6
Odores ſuaves quantum con tra peſtem valeant 20
Olei vitrioli excellenti quanta 25
Olei vitriolici commendati à diverſis autoribus petit 315
Opiata contra peſtem autori 328. quibus ſit uſu 329
Opiata pro pituitoſis & frigidioribus temperamentu 331

P

Panes qui ſeligendi tempore peſtis 217
Patiens accommodatum in actione Phyſica producendis requiſitum 34
Peregrini & exotici tempore peſtis minimè recipiendi

*piendi* 197

*[P]eſtis unde, & cur ſic dicta* 384

*[P]eſtis contagioſa ab Hippocrate & cæteris veterum Medicorum agnita* 22

*[P]eſtis à nonnullis febris Epidemialis nuncupata* 51 *& cur* 52

*Peſtis à Galeno & ab Autore qualis deſcribatur* 56

*Peſtis furiæ infernalis nomine ab autore cur expreſſa* 59

*Peſtis arbores aliquando adoritur* 90

*Peſtis inſpiratione contrahi ſolita* 104

*Peſtis incantationibus ſedata* 116

*Peſtis in quatuor claſſes diviſa* 136

*Peſtis non ſemper ab obſtructione & copia humorum procedit* 364

*Peſtis Proteo ab Autore comparata* 372

*Peſtis contracta qua ratione expelli debeat* 424

*Peſtis ab Hippocrate Græcia ablegata ignibus per diverſa loca extructis* 115

*Peſtis natura variis nominibus expreſſa* 1. *variæ item circa eam ſententiæ* ib.

*Peſtis adumbrata deſcriptio* 14. *ejus diverſæ appellationes* 16. 17. *unde ſic à Latinis dicta ibid. circa ejus definitionem prolepſis* 21

*Peſtis malum & morbus ſimpliciter dicta* 17

*Peſtis cur morbus ſimpliciter dicatur* 17. *cur morbus Epidemius* 19. *cur morbus perniciosus ibid. cur morbus venenoſus* 20. *cur demum contagioſus* ib.

*Peſtis univerſalis ſtupendum principium* 31

*Peſtis quoddam genus ſine febri eſſe poteſt* 50

*Peſtis ſymptomata, & ſigna diagnoſtica* 56. 57

*Peſtis venenum beſtiarum venenatarum veneno ab autore aſſimilatum* 63

*Peſtis*

*Peſtis mortalia ſymptomata in exteriori corporis habitu apparentia* 66
*Peſtis procreatæ exempla* 84 *à fame* 85. *ab inſectis* 87
*Peſtis diverſa indicia* 79. *& ſeqq.*
*Peſtis in cœleſtem & elementarem diviſio* 99
*Peſtis cœleſtis vera remedia* 117
*Peſtis abigendæ mirum conſilium* 122
*Peſtis elementaris propria cauſa quænam* 123
*Peſtis varia ſymptomata* 185
*Peſtis ſigna quænam ſint pathognomica* 186
*Peſtis tempore quid ſingulis quibuſq; diebus præſtandum* 205. *quibus diei horis in publicum egredi liceat* 206
*Peſti quinam ſint magis obnoxij* 190
*Peſti veræ qua ratione occurrendum* 392
*Peſtem quæ ſigna adeſſe denunciant* 185. *ex facie ib.*
*expulſu ibidem. ex urin* 186
*Peſte affecti cur ægrè reſp rent* 6
*Peſte affectorum quidam ui de ſomno, quidam vigili corripiantur* ibi
*in Peſte cœleſti naturalib remediis uti licet* 19
*Peſtes cœleſtes unde exori antur* 9.
*quòd Peſtes quædam cere brum invadant, & quo modo dignoſcantur* 13
*quædam cor & quædar jecur* ibia
*Peſtiferi morbi certiora in dicia* 60. 6
*Peſtiferorum cura viris pii demandanda* 19.
*Peſtiū cauſæ quædam divin ab Hippocrate agnitæ* 10.
*Peſtium à Deo immiſſarui diverſa exempla ibid. in ſtrumenta* 10
*Peſtium ſymptomata in ce rebro crudelia veſtigi imprimunt* 13.
*Peſtium cœleſtium vera re medi.*

*media* 192
*Peſtibus cœleſtibus quodnam Romanorum conſilium* 113. *qui ad magicas artes ſeſe convertunt improbantur* 113
*Peſtilentia ab Autore præſagitur* 12
*Peſtilentia famis comes* 84
*Peſtilentia præſagitur aliquando per prodigia* 88. 89
*Peſtilentiæ quanta malignitas & horror* 89
*Peſtilentiæ quinam magis vel minus obnoxij* 159
*Peſtilentiæ præſagia quænam* 12. *indicia* 361
*Peſtilentiâ ſublati viri præſtantiores* 92. *Duces bello fortiſſimi ibid. viri litterati, Poetæ, Philoſophi, Juriſconſulti* 95
*Peſtilentiæ memorandæ quædam contigerunt Seleuciæ* 91. *Romæ, Conſtantinopoli, Florentiæ, in Germania* 91. 92. *In Anglia, Pariſiis, Aquiſgrani* 92. 93. *in Gallia, & præſertim Lugduni* 93
*Peſtilentiarum cauſa generalis unde petatur* 181
*Pilulæ è mercurio præcipitato* 406. *aliæ Palmarij ib.*
*Pilularum peſtilentiarum Avicennæ deſcriptio* 271. *Ruff. ibid. Autoris* 272. *Alberti Ducis Bavariæ* 275
*Piſces utrum carnibus præſtantiores* 212
*Piſcibus quibus tempore peſtis utendum* 211
*Planetarum conjunctiones quæ ſanguini mittendo propriæ* 229
*Plica Polonica* 9
*Podagra, divitum morbus* 8
*Pomi odoriferi tempore peſtis gerendi compoſitio* 203
*Potio cordialis ante venæ ſectionem adhibenda* 378
*Potus peſtiferi qualis eſſe debeat* 457
*Potuum conformitas in victû obſervanda* 216
*Præſagia & indicia peſtis diverſa*

verſa 7, 9. à cœlo ibid. ab anni tempeſtatibus ib. à terræ motu ibid. à nimia ſiccitate, vel humiditate 80. à morbillis & variolis frequentibus ibid. à nimia inſectorum copia ib. ab inſolita avium fuga ibid. à repentino armentorum interitu 81
Prodigia peſtem præſagiunt aliquando 88. 89
tinella Ungarica 9
Pulveris è mercurio vitæ conflati virtus 412
Pulveris Arſenicalis virtus, & quomodo ille perficiatur 419
Purgatio cum Bezoardicis in peſte conjungenda 449
Circa Purgationem in peſte faciendam, vel ſecus variæ ſententiæ 378. argumenta pro illis qui illam admittunt 479. argumenta ſententiæ contrariæ ibid. autoritas Galeni contra illam 379
in Purgatione peſtis conſilium Autoris 385
Purgationes in peſte aliquãdo neceſſariæ 68. quæ accommodatiores ibid.
Purgativum contra peſtem Palmarij 383. Heurnij 384. & judicium Autoris circa ipſum ibid.
Purgativum contra peſtem Autoris 389. aliud ejuſdem 390
Purgativum ex Antimonio 417
Purgativum excellens contra peſtem ex Arſenico confectum 419
Purgativi facillimi confectu, & omnibus temperamentorum generibus utiliſſimi deſcriptio 279. quid illi addendam pro biliofis ibid. pro pituitoſis & atrabiliaris ibid.
Purgativi Autoris deſcriptio, contra peſtem 276
Purgativa contra peſtem Gentilis 387. Fallopij ib.
Purgativa mediocria quænam 389

purga-

*Purgativa quænam è metallicis remediis ſeligenda* 393
*circa Purgativorum electionem opiniones diverſæ* 381
*Purgativorum quorundam contra peſtem commendatio* 392
*Puſtula peſtifera qua ratione perfricetur* 460
*Puſtulis, ſive exanthematis quæ peſtiferis ſuperveniunt, quodnam fieri debeat judicium* 66
*Putei Galliæ à Judæis veneno infecti peſtilentiam procrearunt* 125
*Puttedo oris unde oriatur in peſte affectis* 65

Q

*Quieti peſte ſæviente indulgendum* 210

R

*Raymundi à Vinario laus* 440
*Remedij ſummi ex auro deprompti obſcura deſcriptio* 439
*Remedia contra peſtem ex Pharmacopœo petita, & in tres partes diviſa* 236
*Remedia primi generis contra bilem* 238. *contra obſtructiones* 239. *contra utramq; bilem* 240. *contra pituitam & melancholiam* 2[illegible]
*Remedia ejuſdem generis Magnatibus*
*Remedia plurima natura [illegible] lida, & tamen effectu f[illegible] gida* 2[illegible]
*Remedia Bezoardica & corroborantia contra peſt[illegible]* 291
*Remedia in peſtis curatio non differenda* 3[illegible]
*Remedia purgativa contra peſtem, quo tempore adhiberi debeant* 382
*Remedia metallica quænam ad peſtem arcendam aptiora* 422
*Remedia metallica cur omnia pene contra peſtem*

*valeant* 425
Remedia & purgativa contra peſtem adhibenda quænam 443
Remediorum quibus in peſte utendum ſit diviſio 194
Remediorum topicorum contra peſtem tractatio, atq; illorum diviſio 334
Remediorum metallicorum comendatio in genere atque in ſpecie poſita 342. à ratione 343. ab autoritate Hippocr. circa ſulphur 344. Sandaracam, florem aëris 345. æruginem 346. Mirepſi circa Antimonium & Arſenicum non præparatum 347 Nicolai Præpoſiti, Serapionis, Arnaldi à Villanova 347. Matthioli circa omnia metallicorum genera 348
quibus Remediis ad peſtis curationem Galenus uſus ſit 367
circa Remedia metallica quædam excellens obſervatio 341
inter Remedia metallica quænam recenſeantur 342.
circa Remedia metallica obſervationes eximiæ 393
Repletionis nomine quid ſubintelligant Medici 220
ejus cauſæ ibid.
Reſpirationis difficultas peſtis comes 72

## S

Sachari acrimonia per ejuſdem anatomiam dignoſcitur 178
Sacculi in formam ſcutuli deſcriptio 337.338
Sal prunellæ curita nominetur, & quomodo conficiatur 350. & ejus proprietates excellentiſſimæ, ſive intus ſumatur, ſive exterius applicetur 351
Salis marini proprietates ex Dioſcoride 263
quòd Sales ipſi ſpiritibus abundent tum malignis tum

*tum ſalutaribus* 146

*Salium è cineribus qui ea ingrediuntur extractorum commendatio, variis conformata ſapientiſſimorum virorum teſtimonium* 296 297. & *ſeq.*

*Salium prædictorum quanta ſit in purgando virtus* 300

*Sanguis parvulis etiam feliciter Medicorum Pariſienſium judicio detrahitur* 232

*Sanguinis maſſa diverſos humores continet* 173

*Sanguinis miſſio tempore peſtis facienda* 226. *quo tempore, & quibus* 227

*Sanguinis miſſio quid præſtet* 363

*Sanguinis miſſio & purgatio, potiſſima omnium morborum remedia* 362

*Sanguinis miſſio quantum in peſte noceat* 368

*Sanguinis miſſio corporibus venenatis noxia* 368

*Sanguinis miſſioni quænam in peſte reſpondeant* 376

*ante Sanguinis in peſte miſſionem præcautio* 377

*circa Sanguinis miſſionem in peſte faciendam, necne, variæ ſententiæ* 362

*Sanguinis quantum pro perſonarum ætate & tempore mittendum* 229

*quantum Sanguinis in peſte mittendum* 375

*Scarificationum uſus in peſte comprobatus* 377

*Scorbutus morbus qualis* 8

*Serpentis pulvis in primis contra peſtem commendatur* 333

*Siccitas cœli nimia cur peſtem inducat* 81. 82

*Signa quæ ab exteriori mortem peſtiferi denunciant* 188

*Singultus in peſte lethalis* 75

*Sitis, individuus peſtis comes* 63. *ejus cauſa* 64

*Sobrietas tempore contagionis imprimis neceſſaria* 214.

*Sobrietas Socratem à peſte graviſſima vindicavit* 215

*Somnus quibus diei horis tempore peſtis ineundus* 207
*Spiritus nomine quidnam Hermetici proprie intelligant* 140. *eorum ſententia verbis Ariſtotelis confirmata* 142
*Spiritus nomine quid ab autore intelligatur* 161
*Spiritus vini potentia* 154
*Spiritus vitrioli efficacia quanta* 266
*Spiritus vitrioli eadem præditus qua aquæ Spaenſes & Poguenſes facultate* 270
*Spiritus flatulenti morborum omnium primariæ cauſa* 4
*Spiritus Antimonii quantæ ſint virtutis* 144
*Spiritus Magnetis potentiſſimi* 145
*Spiritus ſalutares nonnullorum metallorum* 146
*Spiritus ſalium tum maligni, tum ſalutares* ibid.
*Spiritus qua ratione è ſuis corporibus eliciantur* 147
*Spiritus corporum vegetabilium & animatorum* 149
*Spiritus quiq; corporum animatorum quibus in partibus reſideant* 151
*Spiritus boni & noxii in vegetabilibus* ibid.
*Spiritus noxij in humano corpore omnium morborum cauſæ, ex ſententia Hippocratis* 162
*Spiritus fœtidi & corroſivi ex fecibus vini & aceti elevari ſoliti* 174
*Spiritus iidem, à ſanguine, qui à vino eliciuntur* 175
*Spirituum naturalium, vitalium, & animaliũ quanta connexio* 134
*Spirituum effectus admirabiles* 141. 142. 143
*Spirituum qui in corporibus noſtris reſident variæ diviſiones* 150
*Spirituum ingentem copiam in vino contineri probatur* 153
*quòd Spirituum bonorum & malorum*

*malorum varia genera in nobis ingenerentur* 157
*Spirituum qui nobis inſunt varia collatio, & quos effectus producant* 157
*in Spirituum declarandis virtutibus cur tantopere Autor immoratus ſit* 180
*Spirituum Arſenicalium, Antimonialium, & Mercurialium diverſæ proprietates* 394. *& quantum poßit in horum ſeparatione Chymicus* ibid.
*de Spiritibus venenatis Arſenici* 145
*de Spiritibus Auripigmenti & ſandaracæ identidem venenatis* 146
*Strumæ quid apud Carinthios* 10
*Sudor Anglicus* 9
*Sudor peſtis comes* 72
*Sudores peſtiferis provocandi* 446. *quantum temporis ſudare debeant* ibid. *quomodo inter ſudandum curandi* 447. *quomodo poſt ſudores* ibid.
*Sudores utrum in ægro ſiſtendi, an permittendi* 447.
*Sudorificum excellens ex Magneſia contra peſtem* 356.
*Sudorifici Bezoardici ſingularis præparatio* 427. *& quomodo illud adminiſtrari debeat* 428
*Sudorifici præſtantißimi ex auro confecti deſcriptio.* 436. *item alterius* 437. *item alia* ibid. *& demum quarta* ibid.
*Sulphur calefactiva carere qualitate comprobatur* 330.
*Sulphur cur in Antidotis additum* 358
*Sulphuris proprietates ex Dioſcoride* 264
*Superſtitiones Ethnicorum in peſte, diverſis exemplis illuſtratæ* 114
*Syderum aſpectus quinam peſtilentiam immittant.* 106. *& Ariſtotelis circa eos ſententia.* ibid.

Syderum diverſæ conſtellationes quantum aëri proſint vel officiant, diverſis poſitionibus eorundem illuſtratur 108. 109. & ſeqq.

Syrupus è roſis ſiccis, haud vulgari ratione compoſitus 254

Syrupus magiſtralis contra peſtem omnibus accommodatus 280

Syruporum variorum è tinctura florum componendorum ratio 255.

T

Tabellæ pro peſtis præſervatione omnibus perſonarum & complexionum generibus accommodatæ, ex deſcriptione Autoris 332. & earum virtus 333

Tabellæ cardiacæ contra peſtem 448

Terra ſigillata præſens contra peſtem remedium 54

Terræ motus quidam ingens in Gallia 105. eum exceperunt peſtis, fames, nec non bella civilia 106

Terræ motus cur peſtem præſagiant 84. 85

Theriaca Vaſconiæ ad peſtis præſervationem 315. alia 320.

Theriaca in uſum olim contra peſtē obſervata 425

Theriacarum Autoris præcipua ingredientia 326

Tinctura quomodo ex roſis extrahenda 251. quomodo ex omnibus floribus 252.

Tryphera Perſica commendatio 391

Tuſſis peſtis comes 72

V

Variolæ quædam poſt longos annos recrudeſcunt 160

Variolarum & morbillorum eruptiones 68. in peſte frequentes 80

Vegetabilis natura quomodo in animalem tranſmutetur 155

quod Vegetabilia de mineralium

*lium natura participiant 156*

*Vena in peſte ſecanda ex Hippocrate 363*

*Vena quando tempore peſtis incidenda 70*

*Vena quænam in peſte ſcindenda 374*

*Vena quænam rurſus in peſte ſcindenda quando bubo non apparet 375*

*Venæ ſectio qua hora in peſte facienda 375*

*Venæ ſectio in peſte à nonnullis improbata & quare 364*

*Venefici aliquando à Chriſtianis approbati 115*

*Venefici in Sabaudia frequentes 126. revera venena miſcent 127*

*Veneficorum maleficiis aliquando contrahitur peſtilentia 126*

*Venenum peſtiferum quomodo cum arſenicali, & aliis comparetur 130*

*Venenum peſtis cur arſenicale dicatur 132*

*Venena quadam cur Aconitalia & Napellina ab Autore nominata 129*

*qua ratione ea agant ib.*

*quæ Venena cum certis morbis habeant relationem 133.*

*Venena quænam in ſuis matricibus latitantia 160*

*Venena quæq; maxima in remedium ab antiquis aſſumpta 396*

*Venenorum peſtis & Napelli comparatio 131*

*Venenorum varia inter ſe comparatio, & quibus corporis partibus adverſentur 133*

*Ventorum ſubitæ mutationes 110*

*Ventorum & aëris in diverſas regiones potentia 111*

*Verborum ambagibus cur Autor in ſcriptis ſuis utatur 438*

*Veſicatorium contra peſtem Heurnij 455*

*Victus utrum parcior an largior expediat tempore peſtis*

peſtis 213. Autoris ſuper ea re ſententia ibid.
Vigiliæ continuæ peſte affectorum 61
Vina quæ ſeligenda tempore peſtis 217
Vina purgantia in modum hydromelitis contra peſtem 282
Viſcera peſte laborantium æſtu magno extorreri conſueta 76. 77
Viſcerum ſymptomata in peſte 73
Vitrioli ſignatura 350
Vitrioli proprietates ex Dioſcoride 264
Vitrioli præparati virtus 265
Utrum antimonij ab Autore improbatur 415
Univerſitas rerum in duos diviſa globos 98
Vomitus continuus peſtiferis 57
Vomitus à quolibet veneni genere cauſatus 74
Vomitivum ex Antimonio 417
Urinæ indicia quantoperè ſint obſervanda 178
Urinæ quomodò provocandæ 226
VVolfii Medicì laus. 428.

F I N I S.

LIPSIÆ.

Typis TOBIAE BEYERI,

Excudebat NICOLAUS BALL.

ANNO M. DC. XV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

# PESTIS ALEXICACUS

*Sive*

# LUIS PESTIFERÆ FUGA.

## *De natura & eſſentia Peſtis, aliorumq́ morborum epidemicorum & peſtilentialium.*

## CAPUT PRIMUM.

SI celebriorum qui de peſtis natura & cauſis ſententiam ſuam nobis olim reliquêre, opiniones tam inter ſe, quam cum modernorum Medicorum placidis conferamus: mirum eſt ſi tantæ animorũ varietates, imbecilla adhuc diſcentium judicia non magnopere conturbent, quibuſdã peſtis naturam nudo ac ſimplici *Epidemii* morbi nomine expreſſiſſe ſe ſatis dilucidè arbitrantibus, aliis eam per ſolam *Febrim malignam* definientibus, aliis quoq; vocem *Contagii* ad mali hujus naturam exponendam plus quàm ſufficientem reputantibus. *Variæ circa Peſtis naturam ſententiæ.*

Quibus opinionibus ſive conciliandis ſive refutãdis diutiùs immorari, præſentis inſtituti non eſt. Siquidem peſtem plus quàm epidemium morbum eſſe, itemq; eam minus accuratè per febrem definiri malignam, (utpote quæ ne quidem cum omni peſte concurrat; nedum, quæ tamen probæ definitionis nota melior exiſtit & probatior, cum ea reciprocetur) ex ipſo tractationis noſtræ decurſu ſatis parebit.

Nonnullos verò, in quorum numero Gregorius Nyſſenus reponitur, contagii notionem & epitheton cum à peſte, tum ab univerſa morborum claſſe removentes haud multum morabimur, ſed ſcriptis noſtris ſubſequentibus, & ipſimet experientiæ evincendos relinquemus.

*Quænam ſit Auctoris hoc in tractatu methodus.*

Verum enimvero ut in hac noſtra tam ſua natura difficili, quàm opinionum varietate intricata materia, ea qua par eſt perſpicuitate procedamus, operæ pretium fuerit, probatiſſimas morborum diviſiones, à generalibus ad ſpecialiores deſcendẽdo, quaſi fundamenti loco ſubſternere, atq; ad harum ſingularum definitiones peſtis naturam examinando, quonam ſub genere morbi jure collocari poſſit quaſi demonſtratione potiſſima oſtendere: idq; ut plenè, ſic planè atq; perſpicuè abſq; omni verborum pompa & lenocinio. Ve-

Venerandus ergo ſenex Hipp. lib. ſuo quem inſcripſit *de Flatibus*, poſtquam demonſtraſſet, omnes quibus corpora noſtra infeſtari ſolét morbos generari vel à ſpiritibus qui ſunt in nobis, vel à nos ambiente aëre, ſimulq; elementi aëris excellentiam, atq; inſpirationis & reſpirationis, ſine quibus ne ad momentum quidem oculi ulli animalium terreſtrium vivere conceditur, neceſſitatem expoſuiſſet, ſtatim ſubjungit diſtributionem malorum ex dictis cauſis promanantium, ſequentibus verbis comprehenſam. *Quænam morborum ex Hippocratis mente cauſæ & principia.* "Ad ipſa nunc opera ſermonem convertens demonſtrabo, omnes morbos ex hoc oriundos corporibus innaſci ac generari. Primum autem à communiſſimo morbo febrili exordium ſumam, & qui omnium morborum comes eſt: præcipuè tamen ex inflammatione & tenſione abſceſſuum. Quod ſatis indicant ſequentia offendicula, ſtatim enim cum inflammatione inguinũ, abſceſſus & febris conſequitur. Sunt autẽ febrium genera duo, ut hoc quoq; nunc attingam, quorum alterum commune omnibus peſtis appellatur, alterum propter malam diætam privatum his contingit qui ea utuntur, utriuſq; autem generis aër author & cauſa exiſtit. Cõmunis ergo febris propterea omnibus

" accidit, quòd eundem ſpiritum omnes attrahant, ſitq; ut ſimili corpori ſimiles ſpiritus ſimiliter permixti ſimiles gignant febres. Sed eſt fortè qui dicat, ut quid ergo non omnibus animantibus, ſed alicui eorum generi accidant hi morbi? cui ſic ego reſponderim, differt corpus à corpore, natura à natura, & nutrimentum à nutrimento. Non enim omni animantium generi eadem aut non conferunt aut commoda ſunt, ſed ſunt alia aliis magis convenientia. Quando igitur aër ejuſmodi inquinamentis plenus eſt, quibus humana atura offenditur, homines ægrotant. Quando verò alteri cuipiam animantium generi aër inconveniens eſt, tum morbus illud genus corripit. Qui ergo populares ſint morbi hactenus dictum eſt, & quare, & quomodo, & quibus, & unde gignantur. Quomodo autem propter malam diætam febris accidat, deinde exponam.

*Spiritus flatulenti morborum omnium ſunt primariæ cauſæ.*

Hac morborum ex aëris intra nos concluſi & ambientis vitio promanantium diſtributione ſic delineatâ, ſequentibus deſcendit Hippocrates ad explicationẽ malæ diætæ, ſpiritus hos flatulẽtos in diverſis corporis noſtri regionib. generantis, quiq; hinc inde ſeditiones movendo, diverſarum ſæpe febrium, aliorumq; ſi non morborum

borum, ſaltem ſymptomatum cauſa exiſtunt. Tandem vero his verbis tractationem hanc concludit: Flatus iſti, ut dixi, o- “ mnium iſtorum morborum omnimodæ “ ſunt cauſæ. “

Ex modò dictis manifeſtam ſatis eſſe arbitror diviſionem morborum communium ſive popularium: è vitio vel aëris communiter omnes ambientis, vel diætæ particularis ac depravatæ, provenientium.

Verùm ut promiſſi memores, in gratiam rudiorum diviſionem morborum paulò altiùs repetendo nullius tamen affectatæ novitatis nomine meritò accuſari poſſimus Hippocratẽ alioſq; facultatis noſtræ coryphæos, dictatoris veſtigia, qua par eſt obſervantiâ, ſectantes imitabimur.

*Hippocr. 2. de nat. hum. Et libr. de aëre, aquis & locis.*

Horum itaq; imitatione morbos dividimus in diſperſos aliàs ſporadicos dictos, (à Græco σπείρειν, quod Latinis eſt idem quod diſſeminare, ſeu huc illucq; diſpergere) & communes ſeu ſpeciales.

*Morbi qua ratione dividantur.*

Sporadici ſunt morbi inter ſe diſtincti & ſpecie diverſi, uno eodemq; loco ac tempore, diverſos licèt aggredientes: ut ſi exempli gretia tempore autumnali in urbe aliqua hic moleſtetur podagra, ille corripiatur lethargo, alius catarrho obtundatur, alius deniq; febri conſumatur ardẽti, alius

immergatur hydropi, alius ſuffocetur ſynanche aut paraſynanche, alius ſputo ſanguinis defatigetur: Hæc mulier ſuffocationem uteri patiatur, alia à fœdis (qui hunc ſexum infeſtare ſolent) obfuſcetur coloribus: ſimilesq; alij morbi, ſimul uno in loco regnent, cauſamq; ſui proximã non aliam quàm depravatam victûs rationem agnoſcent. De quibus omnib. Hippocrates tractat non ſolũ libro de regimine in morbis acutis, ſed etiam infinitis aliis in locis, ut libro de morbis mulierib. & de ſalubri diæta.

*Morborum ſporadicorum variæ ſpecies.*

Morbi verò communes ſunt quaſi plures, quiq; eodem tempore & loco, idq; indifferenter, nullâ ordinis, conditionis, ſexûs aut ætatis, ratione habitâ, aggrediuntur homines. Hiq; rurſus dirimuntur in Epidemios & Endemios.

*Morborum communium diviſio.*

Epidemii, licèt plures, pariq; prorſus ratione omnes reſpectu cauſæ modiq; invaſionis eodemq; tempore & loco hominem adoriantur: tamen uni alicui loco (quo ab Endemiis differunt) minimè affiguntur.

*Quales ſint morbi epidemii.*

Hi morbi Epidemii rurſus duorum ſunt generum: Alii enim ſimpliciter tales dicuntur, alii per excellentiam, ut peſtis.

*Morborum Epidemiorum ſubdiviſio.*

Morbus epidemicus ſimplex licet plures ſimul dejiciat, non omnes tamen perſundat: hujus generis ſunt communiter diarrhœæ,

arrhœæ,diſenteriæ,variolæ,morbilli, ſimileſque alii, certis quibuſdam annis, nunc hanc nunc illam regionem infeſtantes: quos tamen omnes alarum ſuarum pernicie,ac necandi celeritate peſtis multis poſt ſe paraſangis relinquit. Ut enim hæc quàm plurimos dejicit,ſic pauci ſunt quos non jugulet.

*Morbi Endemii quinam ſint.*

Quod ad morbos Endemios attinet,eos definimus eſſe quibus quamplurimi affligantur, quiq; ut ejuſdē ſunt prorſus naturæ ac originis, ſic ſimul certis locis quodammodo proprii (utpote in quibus frequentiſſimi conſpiciuntur) ac in illis perpetui exiſtant. Horum amborum cauſa interna &univerſalis aër regionis illius ab omnibus incolis neceſſariò inſpiratus, aſſignatur. Itemq; locus naturalis,unde patrii morbi,regionales,vernaculi, & familiares indigitantur; qui tamen (quod ad cauſas ſpectat externas) à generali ac communi cujuſq; victûs ratione procedere poſſunt: ſive cibū ſpectes in varietate fructuum,ſive potum in diverſitate fontium ac fluminū.

*Quodnam ſit morborū epidemiorū & Endemiorum diſcrimen.*

Unde fit ut hi morbi,cum nunquam non certo loco conſpiciantur affixi, *morbi per moram* dici poſſint, utpote qui per moram iſtâ in primis ab Epidemiis differant; licet aliæ quoq; inter eos differentiæ aſſignari

 queant

queant. Endemii ſiquidem ut tam latè ſe non extendunt, ſic minus quoq; vehementes ac mortales exiſtunt, minimeq; contagioſi: Epidemii verò contrà.

Atq; hæc de differentiis Epidemiorum & Endemiorum morborum generalibus breviter dicta ſunto. Reliquum eſt ut ad ſolidiorem hujus noſtri propoſiti tractationem, ſpeciatim magis ac paulò preſſiùs perſequamur, quod & affectuum Endemiorum & regionalium cauſas, tam generales, quàm ſpeciales, ſummatim proferamus.

*Endemiorũ morborum diverſa genera recenſentur.*

Ac olim quidem podagra (quam hodie morbum divitum ſatis facetè quidam nominant) Athenis admodum erat frequens. Lippitudines, aliæq; oculorum infirmitates, exercebant Achaiam. Ægyptus erat repleta leproſis, teſte Lucretio lib. 6. ubi hujus rei cauſas ſequentibus verſibus eleganter enarrat:

*Eſt Elephas morbus, qui propter flumina Nili*
*Gignitur Ægypto in media, neq; præterea uſquam*
*Atthide tentantur greſſus, oculiq; in Achaiis*
*Finibus; inde aliis alius locus eſt inimicus*
*Partibus ac membris: varius concinnat id aër.*

*Scorbutus morbus qualis.*

Scorbutus morbus antiquis incognitus qui gingivarum carnes depopulatur (vapore

(vapore quodam maligno ex foco circa regionem ſplenis latente eò uſq; evecto) non ſecus ac fieri ſolet poſt inunctionem immodicam hydrargyri, eſt lues inprimis frequens in locis maritimis Septentrionalibus, ac inter alia in Emporiis Geramniæ nobiliſſimis, Hamburgo & Roſtochio. Dominus de Monts ipſe retulit nobis, ſe cum ſuis in peregrinatione quam ſuſceperat Canadæa, ab hoc unico hoſte non abſque clade ſuorum fuiſſe perſecutum. Reulnerus Medicus non minùs doctus quàm in ſua arte expertus, hunc morbum volumine ſatis amplo explicavit: cujus cauſa univerſalis veriſſimè adſcribi videtur, certæ cuidam in talibus maritimis locis aëris pervaganti corruptelæ.

Ad hanc quoq; determinatam verùm verbis vix explicandam aëris corruptionem, referendi videntur morbi ſequentes; nimirum ſudor Anglicus dictus, & febris illa ardens dicta Ungarica (aliis prunella Ungarica.) Itemq; illud ſtupendũ in Polonia frequens malum, quòd plicam Polonicam vocant, cujus morbi naturam Hercules Saxonia, ille Medicorum noſtri ſæculi ſplendor, & Paduæ profeſſor primarius, doctiſſimo ſuo penicillo ad admirationem uſq; delineavit. Cæterùm morbi hujuſce-

*Sudor Anglicus, Prunella, Ungarica, & Plica Polonica, cujus generis.*

modì certorum tantum locorum ac regionum incolas exercent.

Reliquum eſt ut pauca quædam delibemus de morbis Endemiis, & regionalibus: deſcendentibus quidem à cauſis externis, ſed magis particularibus.

*Quid Bronchoc. , & unde apud Morianos.* Sub quorum quidem titulo comprehenduntur Bronchocele, aut ſtrumæ quæ ſunt admodum communes in Moriana regione, & in partibus Sabaudiæ dictis *le pays de Foiſſigny & Vallay*, utpote ex neceſſario aquarum glacialium & nivalium uſu ſcaturientes.

*Quid ſtrumæ apud Carinthios.* In Carinthia (quæ Germanis Kernten dicitur, & paret jurisdictioni Ferdinandi Archiducis Auſtriaci) innumeros, plures tamen fœminas conſpicias quàm mares, numeroſis iiſq; majoribus ſtrumis ab anteriori colli regione protuberantibus decoratos: liceat n. hoc verbo uti, quandoquidem quæ juvencularum pluribus iiſq; majoribus collum circumdata fuerit (numerus verò ſæpe octonarium tranſcendit) præ reliquis ſui ſexûs Gratias habuiſſe benignas à ſuis amaſiis creditur. Cujus abſurdi licet hæ videntur cauſæ judicii, quòd dictum malum non tantum mammillarum delicias æmuletur, verùm & vocem quodammodo maſculam efformet & heroicam, nec quod

(quod notandum) ullo alio ſymptomatum genere patientem infeſtet. Harum verò ſtrumarum cauſa, pari ratione aliquis illius regionis verè adſcribitur; quarum in iis producendis tanta exiſtit vis & efficacia, ut etiam bibentibus eas equis, non parcant.

In Hiſpania quoq; ſcrophulæ hæ ſunt frequentiſſimæ: non aliter ac Romæ febris hæmitritea: Tridenti pleuriſis: Venetiis hæmorrhoides: In Illyſina provincia, dominio ducis Saxoniæ ſubjecta, nihil frequentius contracturis artuum, cujus mali cauſam peritiores ejus loci Medici attribuunt Zytho ſive cereviſiæ patriæ, eò quod in aqua venas metallicas præterlabenti decoquatur. *Qui morbi quibus in locis frequentiores.*

Vina Tigurina quòd ſerius ad maturitatem perveniant, hincq; ut plurimum fœcibus abundent tartareis, agri quoq; iſtius incolas calculo veſicæ ac renum reddunt obnoxios.

Ex antè dictis, naturam morborum Endemiorum, & regionalium, nec non Epidemiorũ, unà cum generalibus quibus ab invicem diſcriminantur differentiis, ſatis patere arbitror. Hippocrates porrò quum in lib. de aëre & aquis, de morbis Endemiis, dein lib. Epidemiorum, de morbis popularibus tractaverit: peculiarem tamen

de

de Peſte tractatum nuſibi ſuſcepit: quin imò ſatis ſibi viſum fuit libro tertio Epidemiorum certos quoſdam canones ſeu regulas propoſuiſſe, quibus mediantibus peſtilentialem aëris conſtitutionem dignoſceremus. Verùm enim verò nonnullis ejuſdem prænotionem aperit indiciis, lib.3. epidem. quales potiſſimum recenſet pluvias continuas, quibuſdam ventorum flatibus vel comitatas, vel herclè interpolatas. Similiter Auſtris continuo ac diu ſpirantibus omnia ferè ad putrefactionem diſponuntur corpora, ut etiam per diuturniorem quæ cœlum involvat caliginem, per ver calidum & ſiccum, per æſtatem calidam & humidam, & in ſumma per immodicam quatuor anni temporũ inconſtantiam, cujus operâ à ſtatu ſuo naturali plane dejiciantur. Idem multò magis provenit ab immoderatione quatuor extremarum qualitatum: caloris puta, frigoris, humiditatis, & ſiccitatis, quarum unaquæq; vel ſola per ſe exiſtat, vel cum aliis conjuncta hujuſmodi intemperiem exaggeret.

*Præſagia peſtilentiæ quænam.*

Neq; verò hic pluribus rationum momentis dicta noſtra confirmare neceſſarium videtur: utpote à proximè elapſorum aliquot annorum decurſu (proh dolor!) ſatis ſuperq; ſtabilita: quin & præſens adhuc

*Peſtilentia ab auctore præſagitur.*

huc cœli ſtatus eorum veritatem ſatis convincit, imò ni Deus Opt. Max. ſua gratia, flagellum quod ab hac immoderata aëris conſtitutione tergis noſtris intentatur, clementer avertat, fruſtra certè in futurum meliora ſperabimus.

Hiſce generalibus morborum diviſionibus ita præmiſsis, faciliùs noſtro quidem judicio fuerit peſtis definitionem ſubnectere, eiq; in morborum claſſe locum condignum tribuere. Cùm enim omnes in univerſũ morbos in duo ſumma capita diſtraxerimus, videlicet in ſporadicos & communes (quos & vulgares ſeu univerſales nominare poſſis) ſimulq; ſporadicorum natura breviter declarata, per pararelliſmum quendam, peſtem minimè ſub horum titulo collocari poſſe offenderimus, neceſſarium utiq; fuerit eam ad communes morbos referre. Rurſum cum morbos communes in Epidemios & Endemios diſtribuerimus, peſtemq; oſtenderimus ne quidem Endemiis annumerari poſſe: convincitur Epidemiorũ claſſe eam contineri. In quo tamen intellectus nondum acquieſcere poteſt: cum enim morbi Epidemii aliam inſuper ſubdiviſionem patiantur, qua videlicet diſtinguuntur in ſimpliciter tales & peſtilentiales: Illi verò definiti fu-

*Brevis ſupradictorum epitome & collectio.*

ti fuerint, quòd licet ſæpenumero uno eodemq; tempore plures aggrediantur, citrà tamen tantam mortalium id fieri ſolere ſtragem, quanta plerunq; peſtem ut umbra corpus concomitatur: omninò planè conſequetur, peſtem propriè eſſe morbum Epidemium contagioſum, venenatum, & pernicioſum.

Atq; in hac quidem definitione ad amuſſim & leges definiendi logicas accommodata, cuivis prima peſtis lineamenta ſatis ob oculos propoſita exiſtimo. Verùm ut eam magis perfectã omnibuſq; ſuis numeris abſolutam, ac ut uno verbo dicam, phyſicam quodammodo efficiamus, quæ deſiderari in ea inſuper videntur breviter ſubjungemus. Peſtis igitur eſt venenum quod omnes quidem in genere corporis noſtri ſpiritus, in primis verò cor arcem vitæ cum dependentibus ab eo ſpiritibus aggreditur. Niſi enim hæc inſuper adjiciantur, propoſita deſcriptio peſtis characterem nativum ſufficienter non exprimet. Concludamus ergò peſtem eſſe morbum Epidemium, pernitioſum, contagioſum, & venenatum, qui veneno quod gremio ſuo occultat Arſenicali, Napellino, & Aconitali, cor inficiat facultatemq; vitalem: ſive hoc venenum comunicatum fuerit per aëris

*Adumbrata Peſtis deſcriptio.*

aëris inſpirationem, ſive etiam in noſtris ipſorummet corporibus ſit ingenitum.

*Amplior paulò definitionis prædictæ dilucidatio.*

## CAP. II.

ADpoſitæ à nobis peſtis definitionis naturam ac proprietates paulò penitiùs introſpiciendas, operæ pretium fuerit ſingulas ejus particulas paulò accuratiùs proſequi. Quo quidē ſtudio abrepti ſi prolixiores juſto videamur quam inſtituti ac materiæ propoſitæ ratio requirat: benevolo tamen, ut confidimus, lectori, tum ſingularis, quem in juventute fideliter erudiendâ habemus, affectus, tum inprimis ipſius materiæ dignitas, ſimul ac obſcuritas abundè ſatisfaciet.

Ut igitur ritè & quo rei natura poſtulat primordio explicationem hujuſce definitionis inchoemus: primò quidem nominis ipſius diligens & accurata habenda ratio eſt, proinde quibus aliis titulis ac epithetis hoc malum tàm ab Antiquis, quàm modernis Medicis fuerit inſignitum neceſſe ſit reſerare.

Ac ut à Græcis rem ordiamur, hi licet ad peſtis contagiū deſignandum variis ac diver-

*Diverſæ peſtis appellationes referuntur.*

diverſis nominibus utantur; communiſſimè tamen id exprimunt per λοιμὸν id eſt peſtem vel peſtilentiam, interdum cum adjectione νόσον λοιμὸν, vel λοιμώδη id eſt morbum peſtilentem ſeu peſtilentialem. Omnium tamen communiſſime vocant νόσον ἐπίδημον, & ἐπιδήμιον. Abſolutè ἐπιδημίαν, non tantùm Græci (Galeno plurimis in locis atteſtante) ſed & Latini & Galli frequenter, in hac uſurpant ſignificatione.

Latini præterea unà cum Gallis eandem nominãt, *Contagium, la Contagion*, vel luem, quaſi dicas, quæ plurimos homines inficiat, labẽ, vel quaſi luctũ, quòd luctu repleat omnia. Latinis dicitur Peſtis à paſcendo quòd veluti efferatus rabie Draco, aut fera venenata, civitates populoſq; depaſcatur.

In ſumma, ſi horroris ac conſternationis cauſam inquiras, quam vel ipſum peſtis nomen omnium animis injicere ſolet, id fieri obſervabis ob ſolum vitæ, quod cunctis à ſe infectis adferre ſolet, periculum. Hincq; per translationem in vulgato loquendi uſu, hoc nomen ad quodvis in ſuo genere excellens malum, ſive animi, ſive corporis accommodare ſolemus.

Ac in communi quidem vita, ſi viris in dignitate conſtitutis, quibuſq; conſequenter

ter ſalus & utilitas Reip. ultima lex eſſe debebat, peſſimè verò demandato ſibi munere defungentibus, promeritum tribuere honoris titulum velimus; communi ſanè proverbio in gallica noſtra lingua Peſtes eos appellare non veremur. Neq; in Gallia modò, imò & olim in civitate Romana, cum & ipſi Ciceroni malos conſules Peſtes Reip. appellanti, hanc malorum civium uſitatam fuiſſe periphraſin videamus. Atq; hæc de variis ipſius peſtis nominibus eorumq; notationibus breviter dicta ſunto.

Genus porrò peſtis Morbum conſtituimus, ceu malum: Quod nomen non rarò κατ' ἐξοχὴν ſeu per excellentiam pro peſte accipitur, ut videre eſt ex Tito Livio, qui lib. 7. ait, *Cum vis morbi, nec humanis conſiliis, nec divinâ ope levaretur*, cum de peſte ſermonem inſtitueret, Virgilius quoq; ait, *Mali dira lues.*

*Peſtis malum & morbus ſimpliciter dicta.*

Nec minus in Gallico noſtro idiomate vox *maladie* abſolutè uſurpata, de peſte ſola intelligitur, ſive quod omnium morborũ maxima ac periculoſiſſima exiſtat, ſive quod omnes quaſi ac univorſos morbos (ut majus à minori, contineri ſolet) ſinu ſuo complectatur: vel etiã quod regnante peſte reliqui morbi vel ceſſent, vel in eam transformentur. Cujus quidem rei fidem præte-

*Cur peſtis morbus ſimpliciter dicatur.*

præteriti ſexcenteſimi ſexti anni ſtrages in hac Pariſiorum urbe ſatis confirmavit.

*Quod cæteri morbi ea regnante in peſte transformentur.*

Ac ne quod de tranſmutatione aliorũ morborum in peſtem diximus à veritate cuiquam alienius videri queat, id ex virorum magni nominis auctoritate quoque confirmare placet. Marſilius Ficinus in Epid. antid. cap. 4. ſic ſcriptum reliquit: *Et*
,, *omnis quæcunq; fuit infirmitas in peſtilentiam*
,, *facilè tranſire poterit, febres præſertim furioſæ & continuæ; unde plerunq; evenire ſolet,*
,, *quòd hoc morboſo tempore nulla præter peſtem*
,, *ægritudo appareat.* Mercurialis quoq; in tra-
,, ctatu ſuo de peſte cap. 13. in hunc ſenſum
,, ſcribit: *Dico quod pauci admodũ peſtis tempo-*
,, *re, Paduæ & Venetiis alio genere morbi labora-*
,, *rint, reliquis videlicet morbis in peſtem tranſ-*
,, *euntibus.*

Hinc ſane peſtem Proteum quendam aut Chamæleontem appellare poſsis, omnium morborum faciem aſſumentis, ac univerſorum malorum colore ac pallio ſe obvelantis. Unde morbos qui ſuâ naturâ benigni ac curatu exiſtebãt faciles, reddit malignos, incurabiles, aut mortales. Id quo in morbo venereo experientiâ edocti ſumus, qui vt contagioſus exiſtit, ſic ſæpe numero ſub alterius cujuſdã mali frequentioris, hujus cauſę ſint ſatis manifeſtę, velo deli

*Quod morbi quidam in luem veneream ſæpe transformentur.*

delitèſcens, quiq; per conſequens curatu haud difficilis videatur, ſtupendam quandam malignitatem (in medicorum ſæpe opprobrium) imbuit. Hujus rei exempla manifeſta habui in doloribus capitis, ophtalmicis, iſchiaticis, adde & Nephriticis, qui citra medicamentorũ lui venereæ appropriatorum admixtionem, nulla mitigari ratione, ne dum tolli potuerunt.

*Cur peſtis dicatur morbus Epidemius.*

Sequitur in definitione noſtra vox *Epidemij.* Dicitur autem peſtis Epidemius morbus, quòd plures, eodem tempore, eâdem regione, eodemq; loco commorãtes, adoriatur. Videas quoq; non paucos autores Græcos & Latinos, ut jam ſupra à nobis indicatum eſt, voce *Epidemij* in peſte denominanda abſolutè citraq; adjectionem ullam, & inter cæteros Galenum locis complurimis, uſos fuiſſe. *Avenzoar* etiam inter Arabes lib. 3. tractatu 3. famoſam autem Athenienſes peſtem à Thucydide deſcriptam non aliter quàm Epidemij titulo inſignit. Cujus verba latinè, licet non ſine barbarie verſa, huc apponere placuit. *Certè tempore Hippocratis uſq; nunc non fuit Epidemia tam peſſima ac malitioſa ſicut illa.*

*Cur dicatur morbus perniicioſus.*

Subjungimus in definitione noſtra *perniitioſa*, idq; authoritate & exemplo Galeni, qui definiens peſtem lib. 1 Acutorum

textu 9. eam dicit eſſe ἐπιδημίαν ὀλέθριον id eſt Epidemiã pernitioſam: Epitheto ſanè quàm accommodatiſſimo. Siquidẽ in genere morborũ etiam graviſſimorum genus humanum exercentium, nullus hoc hoſte datur capitalior: quandoquidem quos ſemel aggreſſus fuerit & infeſtaverit, vix, ac ne vix quidem illius declinent exitium.

*Cur dicatur etiam morbus venenoſus.*

Sequitur vox *venenoſi*, quam ideò ſubnectimus ut malignitatem hujus morbi magis magisq; oculis diſcentium ſubjiciamus. Porrò licet hoc venenum novis ac inuſitatis terminis *Arſenicale*, *Napellinum*, vel *Aconitale* vocitemus; Quiq; delicatiorum Galenicorum aures non parum offendere videntur: Tamen qui dicti hujus rationes ex cauſis infrà dicendis, æquâ mentis ſtaterâ perperderint, ipſi fatebuntur, terminos hos non tantum ad peſtis naturam aptè dilucidandam, verùm etiam ad nebulas, quæ hactenus multorum oculis in tractatione loci communis de peſte obſervatæ fuerũt, penitus diſcutiendas, prorſus eſſe neceſſarios.

*Cur demum contagioſus.*

Ultimo denique, ſubjunximus vocem *Contagioſi*, ſiquidem hic morbus infinitis penè modis communicatur, & de uno ſubjecto in aliud tranſmigrat & commutatur. Cujus tamen modum exprimere ut diffi-

um ſicubi à nobis præſtitum, & ab a-
probè intellectum fuerit, utilitate mul-
ıria lectorem afficiet. In hujus ergo gra-
m, contagij naturam paulò altius repe-
nus.

Principiò autem ante omnia occurren-
m videtur cavillis eorum, qui contagij
cem è definitione peſtes abſolutè reijci-
dã putant, moti author tate, vel potius
:iturnitate Hippocratis in lib. ſuis Epide-
cis hujus epitheti nullibi mentionẽ fa-
:ntis: cui Galeni ſimiliter in ſua, quam
oponit, peſtis definitione dictam conta-
vocem non admittentis, ſuffragium an-
ctunt. Quorum tamen telorum ictus ſic
udenter declinando excipimus, quòd vi-
licet apud omnes probatos logicos infir-
a planè argumentandi ratio judicetur,
ncludere ab authoritate hominũ quan-
mvis extra omnem judicij aleam poſito-
m (quales in Medicina noſtra Hippocra-
s & Galenus) privativè in hunc modum:
raviſſimis auctoribus in tractatiõe mor-
ɔrum Epidemiorum, in quorum ſerie pe-
s non infimo loco ſubſtitit, non placuit
hibere vel expreſſè ponere vocem con-
gij: Ergo peſtis vera per contagium mi-
mè definiri debet: Unica ſiquidẽ expe-
:ntia hujus argumenti robur ſatis infrin-
git.

*Auctoris circa peſtis definitionẽ prolepſis.*



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

git. Nam inter omnia morborum genera, quibus à lapſu generis humani exercere Deo opt. Max. mortales huc uſq; placuit, Peſtilentia ſane nulli ob ſuum cedit contagiũ. Verùm potius ad rationes quibus ſententiam noſtrã ſtabilimus, deſcendamus.

Ac licet operæ pretium minimè videatur, ſubtiliùs inquirere quænam rationes, præfatos Medicinæ noſtræ dictatores Hippocratem & Galenum ad abſtinendum à voce contagij impulerint (ſiquidẽ ſi in rimandis alienorum dictorum cauſis ſæpè hallucinamur, certè omiſſorum ab aliis rationes reddere, non ita cenſetur neceſſarium) idipſum tamen hoc loco tantum præſtabimus, ut omnibus pateat dictos Medicinæ principes talibus uſos eſſe in peſtis deſinitiõe epithetis, quę à contagij ſignificatione ne latum quidem ungyem recedant.

*Quod Hippocrates & cæteri veterum Medicorum peſtem contagioſam agnoverint.*

Ac Hippocrates quidem lib. de flatibus expreſſe ponit Gręcam vocem μιάσματα, quę dicit eſſe naturę inimica & per conſequẽs contagij à nobis propoſiti ſeminaria. Galenus quoq; lib. de diff. febr. loquẽs de febribus peſtilentialibus ait: Ex Æthiopia fluxiſſe putrida quædam inquinamenta, hoc eſt aëris infectiones putredinẽ maximam arguentes. Ex quo manifeſtum eſt Galenum in dicto loco contagiũ quoddã indigi-

digitare: id quod ex loco relatorũ ma-
me convincitur. Infectio ſiquidem nec
ſe in rerum natura, imò ne mente ſola
gitari poteſt, niſi ſimul nobis repræſen-
mus id quod corrumpat & inficiat. Infi-
re autem & contagioſum eſſe pro ſyno-
mis haberi ex Grammaticis debet eſſe
tum. Fit namq; tam infectio quàm con-
gium ſeminibus putrefactionis è ſubje-
jam infecto progerminantibus, ac ali-
propinquum corpus ad ſuſcipiendum
ſpoſitum, per mutuum contactum in ſu-
labem trahentibus. Cum verò contagi-
ipſi etiam ambienti aëri, venenatis ſuis
poribus eum inficiendo, communicetur
ſtis mali maxima celeritate progredien-
infectio, non poteſt non eſſe admodum
rmitabilis. Siquidem aër infectus cũ ab
nibus inſpiretur, contagium quod ſuo
mio fovet, uno quaſi momẽto in omnia
rpora ſimul facilè effundit, dum non ſo-
n homines, verùm etiã beſtias reliquas
ntaminat, id quod non obſcurè innuit
rgilius, dum canit.

*Quomodo & unde procreetur contagio.*

*mala vicini pecoris contagia lædant.*

Ex dictis ergo patet Hippocratem &
lenum, morborum peſtilentialiũ, con-
gium, individuum agnoſcere comitem:
quod etiam ex verbis Galeni, in loco

ſupra citato, manifeſtiſſimâ conſequentiâ eruitur, ubi ait. *Cum peſte corruptis inhabitare lubricum & minimè tutum: periculum enim eſt ne concipiatur vt ſcabies & lippitudo.* Scabiem verò ac lippitudinem contagioſos morbos eſſe, vel mulierculis cognitum.

*Contra Mercurialis opinionem plurimi veterum contagij vocem uſurparunt uti.*

Nomen itaq; *Contagij* immeritò à recẽtioribus quibuſdam Medicis, inter quos eſt Mercurialis, tanquam novum ac venerandæ antiquitati prorſus incognitum exploditur. Mercurialis verò dum confidenter nimis aſſeverat, hanc vocem à paucis admodum hiſtoricis, nullis autem Græcis, Latinis, aut Arabibus, imò à pauciſſimis noſtri temporis clarioribus Medicis uſurpari: ſi de re ipſa, receptaculo videlicet, contagiũ diutius in ſe ſe occultante intelligat, vix video quomodo hanc ſuã opinionem tueri queat.

Nam ut à Philoſophis incipiamus, ejus expreſſe meminit Ariſtoteles in probl. ſect. 1. probl. 7. Inter Medicos Græcos poſt Hippocratem & Galenum, Aëtius ipſius contagij voce expreſſe utitur Tetra. 4. cap. de Elephantiaſi, ſequentibus verbis in latinum ſermonem verbotenus ita converſis: *Eſt autem gravis morbus* (intelligens lepram) *& propè ex eorum numero qui incurabiles exiſtunt, & gravis quidem eſt ipſi ægro, intolerabilis*

*Aëtius.*

*is autem conſpicientibus, utpote qui ipſum o-ninò averſantur, adeò vt plerique ex neceſſariis domeſticis ægri ipſius converſationem devi-nt: etenim ſuſpitionem de ſe præbet malum nquam ſit contagioſum: Atque ego malum ex-'imo cum iſu converſari: inquinatur enim aer ıem inſpirando attrahimus ex ulcerum fœdore ex viciata ſpiritus exhalatione.*

Hiſtoricroum quoq; antiquiſſimi con-igij meminere, inter quos Thucydides, ut deſcribens magnam illam quæ Athenienſes afflixit peſtem, expreſſè ſubjungit; ıves carnivoras, quamprimum peſte de-inctorum cadavera involaſſet, ſtatim in-ectas pauloq; pòſt concidiſſe mortuas. *Thucydides.*

Titus Livius quàm plurimis in locis ontagij vocem expreſſit de peſte loquens; t inter alia lib. 3. ubi ait de peſte Anno ur-is conditæ 289. & 299. Item lib. xxv. in-entem illam peſtem enarrans quæ popu-um Romanum exercuit anno 538. quo lo-o ſic ait: *Quod curatio ipſa & contactus vul-abat morbos: ut aut neglecti, deſertique qui in-idiſſent perirent: aut aſſidentes, curantesque ea-lem vi, morbi repletos ſecum traherent.* *Titus Livius.*

Appianus quoq; Alexandrinus in bello llyrico ſcribit, Celtas ſuperatis Illyricis peſte infectos fuiſſe.

Qui poëtas iterum Contagij non me-

miniſſe aſſerunt,in eorum lectione ſtudij minus collocarunt , ſic enim inter alios quam plurimos canit Lucretius:

Lucretius.

*Idq; vel imprimis cumulabat funere funus,*
*Quippe etenim nullo ceſſabant tempore apiſci*
*Ex aliis alios avidi* Contagia *morbi*.

Atq; ſic ſatis à nobis commonſtratum arbitror contagij vocem nō tantùm à philoſophis antiquis, verùm etiam Medicis, Hiſtoricis & Poëtis uſurpari. De quâ tamē non prætereundum in Latinâ linguâ eam variè terminari,dum alij *contagem*, alij *contactum*,alij *contagionem* ſeu *contagium* ſenſu prorſus eodem, accidens hoc morborum facilè commutabilium appellaverunt.

Verùm,cortice verborum abjecto, ipſius nuclei,hoc eſt rei,diverſas in arte Medica acceptiones à docto Mercuriali eleganter obſervatas paucis ſubjiciamus. *Contagij* itaq; nomen tribus naturâ diſtinctis attribui poteſt: Primò idq; propriè ipſi malo ſeu morbo contagioſo. Secundò qualitati venenatæ & malignæ per ambientem aërem diſperſæ,infectionemq; plurium corporum inducenti. Tertiò deniq; ipſi communicationi actuali alicujus morbi contagioſi. Ac in poſtrema quidem ſignificatione cōtagij nomen principaliter à Medicis uſur-

urpatur, cum aſſerunt morbos aliquos r contagium multiplicari.

Cæterum qui *Contagij* definitionem, turam ejus & cauſas ob oculos clariùs opoſuerit & propoſitam dilucidarit, ex tiquitate nullus fateor repertus eſt, qui c in parte conſiderato lectori ita ſatis fe- rit, vt unicus *Fracaſtorius*: in quo dicere ſsis ingenium poëticum, ſubtilitatem ilofophicam, ac experientiam Medicâ odâmodo inter ſe decertaſſe. Hic nâq; bus integris libris quicquid contagij turam per ſe ſatis intricatam & caligi- ſam requiri videtur, quàm pleniſsimè opoſuit; Ac primò ſtatim capite lib. 5. icet, *Contagiū nihil aliud eſſe quam infecti- em aut malignam qualitatem de uno ſujecto aliud tranſeuntem: vel quæ ab uno corpore alud transferatur.* *Contagium definitur.*

Quo poſito fundamento, ſtatim cauſas principia dicti contagij vel infectionis onectens, eas primâ diviſione dirimit in ternas, & internas: ac internæ quidem ſæ ſunt obſtructiones & plenitudines ca- chymicæ: vel potiùs malignæ harum enitudinum qualitates, per ipſam quo- mmodo moram diuturniorem acquiſi- . Cauſam verò ſeu principium externum nit aërem, dupliciter corruptibilem, vide- *Cauſarum contagij di- ſtributio in internas & externas.*

videlicet aut à ſolo qualitatum exceſſu, aut commixtione putridorum & veneratorum vaporum, qui ita cum eo commiſcentur, vt ſicut in reſpiratione nullatenus ſperari queunt, ſic univerſum reſpirantium genus labe ſuâ neceſſariò conſpurcēt & inficiant.

Quod ad ſpecies ſeu differentias contagij attinet, eaſdem prædictus auctor in tres claſſes & membra ſecernit: Primam quidem ſpciem ait fieri per contactum, hoc eſt appropinquendo proprius ad eos qui peſte laborant, ita vt communicatio mali neceſſariò inde ſubſequatur; & hoc quidem propriè *Contagium* dicitur, ratione videlicet illius qui intercedit, mutui contactus. Contagia enim per contactum ſolum afficiunt, quod contagium ex contactu dicitur, inquit Fracaſtorius. Cujus rei clarum habemus exemplum in pyris, pomis aliisq; fructibus horariis puttreſcentibus, & ſe invicē quàm celertimè inficientibus. Ac videntur ad tale contagium re ipſa producēdum quatuor neceſſario concurrere, videlicet corpus tangens, corpus quod attingitur, materia ſeu qualitas contagioſa quæ communicatur, & diſtantia ſeu locus in quo fit communicatio.

*Quatuor ad cōtagij productionem requiruntur.*

*Quid ſit cōtagium per ſomitem.*

*Contagium* quod vocant *per ſomitem*, ſic dictum quod neceſſario præſupponat mate-

teriam & diſpoſitionem ſubjecti ad re-
iendum venenum, cauſas & principia
ioſcit eadem. Siquidem in prima Con-
ij ſpecie quam ſimplicem cognominare
cet, mixtio exiſtit magis ſubtilis & ma-
ſpiritualis, quæq; per conſequens facilè
ſipetur: è contrario verò in cōtagio per
nitem & conſervationem, ut mixtio ac-
ratior coaleſcit, ita in materia magis vi-
da ac tenaci, atq; ad exhalationem & diſ-
ationem ſubitaneam minus apta radices
it firmiſſimas. Unde neceſſariò contagij
nina in eà diutius conſervantur. Ac licet
jus ſecundæ ſpeciei contagij eſſentia
nus ſit ſpiritualis quàm primæ, tamen
ioad generationem & communicationē
eilem, non minus exitioſa exiſt t.

Hîc tamen ne quis fortè quadam velu-
verborum barbarie, quam adhibere co-
mur ſeducatur: notandum, corpora ea
quibus peſtis ſeminaria impreſſa retinē-
r, non neceſſariò naturæ duræ ac ſoli-
e inſtar ſilicum aut metallorum exiſtere
icèt & hæc quoq; à certis quibuſdam pe-
iferis liquoribus peſtem producentibus
netrari poſſint) verum eſſe poſſe naturæ
ulò mollioris, & quaſi ſpongioſæ, ut ſunt
itea, panni, pelles, plumæ, paleæ, ligna, pi-
corium & alia ſimilia: utpote quæ ante-
dictis

*Quænam corpora ad contagionē per ſomitem producendâ ſint idonea.*

dictis ad venenum recipiendum, non modo per contactum, ſed etiam per odoratum, aliis rurſus communicandum, magis ſunt diſpoſita,

Venenum ſiquidem diuturniore ſuâ morâ quaſi fermentatur, indiesq; vires acquirit novas. Atq; hæc eſt cauſa quod demortuorum ex peſte cadavera, niſi brevi ſepeliantur vivos inficiant: eò quòd in iſporum nempe pilis aut cute, reliqua infectionis peſtiferæ ſeminaria deliteſcât. Aut quia vapor quidam malignus & peſtilens in corrupto cadavere pridē occultus, imposterum emergat, qui ſuâ ſubtilitate etiam per ſolum odoratum vicinos inficere potis exiſtat. Inde fit nimirum ut quædam bruta demortuorum cadaveribus quibus antea veſcebantur abſtineant contagionis tempore. Ut ſunt canes, lupi, corvi; ſiquidem quaſi divinitus admonita, talia cadavera vt mortem ſibi comminantia refugiunt & averſantur. Idipſum eleganter enarrat Ovidius ſequentibus verſibus.

*Qua ratione cadavera vivos ſuo contagio inficiant.*

*Corpora fœda jacent, vitiantur odoribus auræ.*
*Mira loquor: non illa canes avidæq; volucres,*
*Non cani tetigere lupi, dilapſa quieſcunt,*
*Afflatuq; nocent, & agunt contagia latè.*

Cui

i aſtipulatur Lucretius ſequentibus,

*ılta cum humi inhumata jacerent corpora ſupra*
*rporibus;tamen alituum genus atq; ferarum*
*t procul abſiliebat ut acrem exiret odorem.*
*t ubi guſtaret langvebat morte propinqua.*

Cæterum vel hoc loco obiter occurrit vertendũ, non parum cujuſvis, at præ-tim Magiſtratuum intereſſe, ut proſpi-ınt quanto tempore contagioſum id ge-ıs venenum in corporibus latere poſſit, que non alio fine quàm ut Reip. conſu-ıt univerſæ, impediantque ne mobilia fectarum domorum ſupellectilia diven-ntur. Experientia ſiquidem edocuit hu-ıs providentiæ neglectum ſæpe numero aximæ peſtis augmentationis cauſam titiſſe. *Peſtis univerſalis ſtupendũ principium.*

Hujuſce rei fidem præſtat certiſsimam ſtoria illa quæ facit mentionem ingen-illius peſtis Ægyptiacæ, quæ Seleuciæ ntıgit, cui initiũ dediſſe narrantur non-ılli milites avari Marci Antonini, qui ſtam quandam aperuerunt ab Avidio ıſsio in templo Apollinis inſtar theſau-locupletiſsimi repoſitam. Hæc quippe ſerata fœtorem tàm peſtilentem in ras diffudit, vt inde non modo dicta urbs:

urbs: verum etiam regiones circumjacentes, eandemq; ipſa Græcia ac Italia univerſa inficerentur, unde tanta hominum ſtrages ſubſecuta eſt, ut tertia pars univerſi tum viventis generis humani è vivis ſublata memoretur. Atq; hujus quidem hiſtoriæ mentionē faciunt Cardanus, Portus, aliiq; plures. Huic ſi nos credamus hiſtoriæ, peſtis contagium non ſolum ad multos annos, ſed etiam ad plura usque ſæcula protrahi poſſe coligemus.

*Quidnam de contagij per fomitem duratione ſenſerit Alexander Benedictus.*

Celeberrimus ille Medicus Alexander Benedictus, tractatu ſuo de peſte cap. 3. ſimilem ferme hiſtoriam recenſet in hunc ſenſum. Vivente patre in orbe Venetorum quamvis ſtragula lecti in domo alicujus ſenatoris diu manſiſſent incluſa ſuſpicione contagij, tamen ſeptem annis poſt aëri, ,, idq; mandato patrisfamilias expoſita, tantam ſtatim peſtilentiam aërisq; infectionem circum circa ſparſerunt, ut ſervi domeſtici ad eorum ſolum contactum morerentur: Hincq; accidere ſolet (uti idem ait autor) quòd infimæ fecis ſervilisq; conditionis homines, hiſce malis magis ſint obnoxij.

*Quid Marſilius Ficinus.*

Marſilius Ficinus eandem hanc peſtem paulo uberius enarrat ac minime contemnendas de natura, ſeminariis, ac hujus mali

recepta

receptaculis obſervationes ſubnectit:dum inter alia admonet,quòd parietibus itemq; inſtrumẽtis ac vaſis ligneis, ni probè mundentur,laventur,ignive aut ſuffitibus purificẽtur, dicta venena adhæreſcere queant, multoq; magis veſtibus reliquisq; ex lana contextis: idq; ut ait ad tres integros annos.Subjungit quoq; rem magis miratu dignam, quod nimirum per annum integrũ venenum hoc poteſt non ſolùm in alicujus veſtibus, in ipſa cute citra noxam latitare,ſed etiam alteri communicari.

Id ſi à veritate minus eſt alienum, rigidam proculdubio illam Italorum legem quantumvis politicam imminuit &imperfectionis arguit,quâ ii qui ex locis infectis ad ipſos adventant quadraginta dierum ſpatio ante urbes degere cogũtur,eò quòd nimirum peſtis venenũ longè diutius alicui citra ejus offenſionẽ adhærere poſsit. Cauſa autem hujus tenacis adhæſionis ex dictis jam patere videtur: materia namq; talis uenení eſt viſcida & glutinoſa, ſubjectum verò inhærentiæ ſeu perſona temperamenti frigidi habitusq; compacti, venas habens anguſtiores & arterias,quàm ut venenum hoc tam facilè eas ſubire queat: interim tamen alia perſonæ complexionis bilioſæ habitusq; rarioris,quæ poros latos *Cur contagium diutius foveatur.*

D &am-

urbs: verum etiam regiones circumjacentes, eandemq; ipſa Græcia ac Italia univerſa inficerentur, unde tanta hominum ſtrages ſubſecuta eſt, ut tertia pars univerſi tum viventis generis humani è vivis ſublata memoretur. Atq; hujus quidem hiſtoriæ mentioně faciunt Cardanus, Portus, aliiq; plures. Huic ſi nos credamus hiſtoriæ, peſtis contagium non ſolum ad multos annos, ſed etiam ad plura uſque ſæcula protrahi poſſe colligemus.

*Quidnam de contagij per fomitem duratione ſenſerit Alexander Benedictus.*

Celeberrimus ille Medicus Alexander Benedictus, tractatu ſuo de peſte cap. 3. ſimilem ferme hiſtoriam recenſet in hunc ſenſum. Vivente patre in orbe Venetorum „ quamvis ſtragula lecti in domo alicujus ſenatoris diu manſiſſent incluſa ſuſpicione „ contagij, tamen ſeptem annis poſt aëri, „ idq; mandato patrisfamilias expoſita, tan„ tam ſtatim peſtilentiam aërisq; infectio„ nem circum circa ſparſerunt, ut ſervi do„ meſtici ad eorum ſolum contactum more„ rentur: Hincq; accidere ſolet (uti idem ait „ autor) quòd infimæ fecis ſervilisq; conditionis homines, hiſce malis magis ſint obnoxij.

*Quid Marſilius Ficinus.*

Marſilius Ficinus eandem hanc peſtem paulo uberius enarrat ac minimè contemnendas de natura, ſeminariis, ac hujus mali recepta-

ptaculis obſervationes ſubnectit: dum
r al a admonet, quòd parietibus itemq;
umẽtis ac vaſis ligneis, ni probè mun-
tur, laventur, ignive aut ſuffitibus puri-
tur, d. cta venena adhæreſcere queant,
toq; mag s veſtibus reliquisq; ex lana
textis: idq; ut ait ad tres integros an-
. Subjungit quoq; rem magis miratu di-
m, quod nimirum per annum integrũ
enum hoc poteſt non ſolùm in alicu-
veſtibus, in ipſa cute c tra noxam lati-
e, ſed etiam alteri communicari.
Id ſi à veritate minus eſt alienum, rigi-
n proculdubio illam Italorum legem
mtumvis politicam imminuit & imper-
tionis arguit, quâ ii qui ex locis infectis
ipſos adventant quadraginta dierum
tio ante urbes degere cogũtur, eò quòd
nirum peſtis venenũ longè diutius ali-
. citra ejus offenſioné adhærere poſſit.
uſa autem hujus tenacis adhæſionis ex
ctis jam patere videtur: materia namq;
is uenen eſt viſcida & glutinoſa, ſubje-
im verò inhærentiæ ſeu perſona tempe-
nenti frigid. habitusq; compacti, venas
bens anguſtiores & arterias, quàm ut ve-
num hoc tam facilè eas ſubire queat:
erim tamen alia perſonæ complexionis
ioſæ habitusq, rarioris, quæ poros latos

*Cur contagium diutius foveatur.*

& amplos habeat, ac per conſequens ad ſudores prona ſit, per cohabitationem facilè communicabitur, nempe ob diſpoſitionem ſubjecti recipientis: in qua ad actionem aliquam producendam, in ſcholis Philoſophorum ac Medicorum, plurimum momenti poſitum eſſe conſtat. Quocirca ſufficiat in hujus rei fidē unius Ariſtotelis luculentiſſimum allegaſſe teſtimonium dicentis: *nullum agens niſi in patiente accommodato, apto & diſpoſito ſuam exercet actionem.* Cui aſſentitur Hippocrates lib. de Flat. in principio hujus tractatus à nobis allegati, ſequentibus verbis per modum interrogationis prolatis: *Sed dicet aliquis cur ego non omnibus animantibus, ſed generi cuidam ipſorum accidunt hi morbi? Quia* (reſpondet ille) *differt corpus à corpore, & natura à natura nutrimentum à nutrimento: non enim omnibus generibus animantium hæc aut non conſentanea ſunt, ſed alia aliis congrua ac accommodata.*

*Patiens accommodatū in actione phyſica producenda requiritur.*

Galenus verò quàm apertiſſimè hæc confirmat lib. 1. de diff. febr. cap. 4. tractans de febri peſtilentiali: quò lectorem in allegandis autorum verbis relego, ne modum videar excedere.

*Unde quibuſdam & non aliis lues Venerea contingat.*

Ac licet aliis argumentis hac in parte deſtitueremur, unica lues Venerea, quæ & ipſa è contagioſorum morborum exiſtit genere,

re, diſpoſitionem ſubjecti patientis ad
tionem quo dictum eſt modo recipi-
m quàm maximè neceſſariam eſſe ſa-
perq; convincit. Docet namq; experi-
ı ex pluribus unà eademq; nocte ſcor-
icui impuro ſe commiſcentibus, non
ſſariò omnes, ſed vel aliquos tantùm,
nicum, vel quandoq; etiam nullam
neritam reportare mercedem. Quæ
diverſitas contagii, fomiti qui dun-
t unicus exiſtit adſcribi non poteſt, ſed
rſitati diſpoſitionis cohabitantium,
rum alii aliis vel naturæ robuſtioris,
ob exercitii hujus novitatem à nativo
ore minus adhuc receſſerunt.

Supereſt tertia & ultima contagii diffe- *De contagii*
tia dicta *ad diſtans*, utpote cujus vene- *addiſtant*
n tantæ ſubtilitatis exiſtit, ut ad ſui *tertia ſpecie.*
nmunicationem actualem contactum
nimè requirat, verùm per ſpacium ſatis
tans communicari poſſit. Quidam hu-
tertiæ ſpeciei alias cauſas aliaq; princi-
aſſerere auſi ſunt, magis videlicet quàm
priorib. duabus ſpiritualia: utpote quia
norem in corpore ſubjecto reſiſtentiam
endat.

Minimè verò hoc loco animus eſt, in
c noſtra ſententia vel ſubtilioribus rati-
ibus confirmanda, vel probatiſſimorum

Autorum teſtimoniis ſtabilienda moras nectere: idq; unius prolixitatis metu, quæ lectoris ſtudium & memoriam dejicere ſolet & perturbare, hâc ſolâ poſitione contentus: *neceſſarium utiq; videri, venenum quod citra contactum, etiam per ſpacium diſtans ac remotum, corpus aliquod ſanum inficit, eſſe oportere ſpiritualitatis ut miræ, ſic activitatis ſtupendæ.*

*Quænam cauſæ contagii ad diſtans aſſignentur,*

Cauſæ veró (ut hoc obiter addam) hujus tam ſubtilis ac quaſi aſtralis penetrationis, adferri ſolent á doctis ſequentes: videlicet tum propagatio ſeu generatio ejus ex humoribus jam corruptis & infectis, qui paulatim, ut contiguos ſibi alios pari labe inficiunt, ſic tandem per quandam digeſtionem in miram ſubtilitatem elevantur: tum inevitabilis ejus ſimul cum ambiente cui permiſcetur aëre, inſpiratione & tranſſpiratione intra corpus noſtrum attractio. Hæc veró contagii ſeminaria aëri tam probè accurateq; permixta, intra corpus inſpiratione & diaſtole, facile quidem introducuntur: verùm ob naturalem meatuum ſeu vaſorum quæ pertranſeunt diſpoſitionem & figuram, pari facilitate à facultate vitali, quæ expiratione & ſiſtole fuligines & excreméta foras ablegare conſuevit non protruduntur. Cum enim omnis evaporatio

tio ſubtilis ac ſpiritualis ex loco anguſto egrediens in amplum longè facilius dilatetur, quàm contra ex amplo contrahatur in arctum: venæ verò & arteriæ corporis noſtri verſus principium ſuum ſint ampliſſimæ, circa verò corporis ſuperficiem, ſuaſq; extremitates quodammodo in capillorum filamenta deſinant: manifeſtum eſſe arbitror contagii fomitem, ad regionē cordis uſq; facilè poſſe permeare, & ex ea remeare difficillimè: tum quòd infectio prædicta ſpiritualis ſit naturæ, tum etiam quod cor ipſum ſpiritibus abundet, tanqaam primævus eorum locus, & naturalis origo.

E ſuprà dictis nulli non ſatis conſtat contagii ſpeciem modo enarratam, quam cæteris magis ſpiritualem aſſeruimus, non tantum per mutuum contractum, ad ſimilitudinem primarum duarum, verùm etiam per ſenſus reliquos poſſe communicari; idq; ea potiſſimum de cauſa, quòd nimirum reliqui ſenſus majori ſpirituum abundent copià ac vivaciore donati ſint ſubtilitate, ſicq; dum ad contagii hujus naturam (quæ non tantum ſpiritualis eſt, verùm etiam ſpirituali vehiculo, aëre nimirum & vento utitur) propius accedunt, ejus penetrationem longè facilius quàm ſenſus, tactus admittant.

*Quanaa ſit contagij ad diſtans velocitas, comprobatur.*

Ac quanta tertii hujus contagii exiſtat velocitas, conjectura facilis eſſe poteſt, ubi ſtupendam illam peſtem apud Athenienſes à Thucydide depictam conſideravimus, quæ ventorum aliis ex Æthiopia in Græciam uſq; fuit tranſvecta, eodem Thucydide teſte, ut & Ammiano Marcellino lib. ſuæ hiſtoriæ XIX. Itemq; Lucretio poëta cujus verſus ob elegantiam huc apponere libuit.

*Auctoritate hiſtoricoũ,*

*Lucretij.*

*Nam penitus veniens Ægypti è finibus ortus,*
*Aëre permenſus multum campoſq; natantes,*
*Incubuit tandem populo Pandionis: omnes*
*Inde catervatim morbo mortiq; dabantur.*

Verùm ne noua cuiquam hæc noſtra, quâ contagium hoc per nudum aërem ac ventum de regione in regionem tranſportari poſſe aſſeruimus, ſententia videatur, audiantur quæſo in ejus confirmationem graviſſimorum autorum conſentientes opiniones.

Fracaſtorius lib. ſuo quem de contagione ſcripſit emaculatiſſimo cap. VI. ſic ait: *Quæ ad diſtans*, inquit, *faciunt contagionem abſente etiam primo perdurant nihil ominus & in fomite & in aëre, quin imò de loco ad locum feruntur, trans etiam maria.* Et capite XIII. ſubjungit: *Tum verò tibi cavendum erit,*

cum

*cum ventos quoſdam fueris conſpicatus ex eâ regione proferri ubi peſtilentia graſſatur.*

Quod verò attinet ad eam objectiunculam, quam tamen quidam refutatione carere arbitrantur, Aërem nempe, tum Elementum ſimplex exiſtat, corruptioni minimè obnoxium eſſe, ſique tale aliquid in eo obſervari videatur, id omne ventis non aëri adſcribendum. Ad ejus refutationem hoc ſolū adduxiſſe ſuffecerit, videlicet hîc nobis ſermonem eſſe non de aëre, quà conſideratur ut elementum ſimplex, qualiſq; actu ubiq; locorum exiſtat, controverſiâ inter philoſophos nō caret: ſed qualis corpora noſtra ambiens, reſpirationi & tranſſpirationi inſervit: hoc eſt, ſi accuratè loqui velis, quatenus eſt mixtus. Atq; hac diſtinctione adhibitâ, locus Avicennæ qui alias pro adverſ riis pugnare videbatur, non tantū à calumniis vindicabitur, verum etiam adverſum ipſos retorquebitur, ait enim: *Aër non putreſcit ullo modo propter ſuam ſimplicitatem, imò propter illud quod admiſcetur ei de vaporibus malis qui permiſcentur ei, & accidit toti qualitas mala: & quandoq; eſt illud cauſa ventorum, deferentium ad locum bonum fumos malos ex locis fœtidis.*

*Objectio quædam ab Auctore refutatur.*

Porro ſubtilis hujus contagii venenum etiam per reliquos omnes ſenſus corpo-

*Quod contagium ad diſtans per ſenſus poßit communicari.*

ra poſſe ſubire noſtra, videlicet auditum, viſum, odoratum, ac multo magis reſpirationem: id ex lege contrariorum evadit manifeſtiſſimum. Si enim per dictas vias omnes & ſingulas cauſa recuperandæ ſanitatis, ſeu medicamentum morbum intrinſecus latentem oppugnaturum, vel ſaltem mitigaturum ſymptomata, ſubintrare poteſt: quare non & cauſa morbifica? Sic Propheta David ſuavitate ſuæ lyræ in inſtanti pellebat ſeu demulcebat maniam, quâ per intervalla plane hominem exuebat rex Saul. Similiter etiam Tarentulæ venenum cerebro admodum infeſtum dulci inſtrumentorum muſicorum harmoniá quàm celerrime retundi ac ſopiri notiſſimum eſt. Cum igitur per auditum fieri curatio poſſit, quare non etiam per illum producetur: rei hujus veritas olim ſic fuit pervulgata, ut etiam à Poëtis decantaretur: quorum libri ferè omnes referti ſunt encomiis verſuum, mirabili quadam virtute dum aures ſubirent, quamplurima mala abigentium. Horatius non obſcurè innuit morbos à veneficiis ortos mediantibus carminibus certis curari poſſe, dum ait:

*Muſicæ virtus quanta in morbos, & quanta ſimiliter carminum.*

*Ah! ah! ſolutus ambulat*
*Veneficæ ſcientioris carmine.*

Sed ne quis poëtarum ob fabulas, quas

ſæpe

pe veritati adſpergunt,authoritatem exnuando, hanc quoq; ipſorum ſententiã bulæ quàm veritati ſimiliorem dicat:hoc ſuper adjiciemus,non paucos quoq; Hiɔricos graviſsimos, adde & Medicos inte ſua expertiſſimos, maximorum ſæpè orborum curationem talibus in verſibus llocare. Audiamus quid hac de re dicat ndecianus vel potius ipſe Serenus Samonicus,vel Marcellus Empiricus;

*me igitur Medicos pro tempore proq; labore,*
*tatuq; habitu ſummâ ratione paratos:*
*amine ſeu malis ægro præſtare medelam,*
*rmine ſeu potius, namq; eſt res certa ſaluti*
*rmen, ab occultis tribuens miracula verbis.*

Concludamus igitur, ſi certa quædam cantamenta pellendi morbos vi pollent, òd ex contrariorum natura, eoſdem oq; infligere valeant.

Verùm enimvero,ut ex ànimo quid hac re tota ſentiamus non diſsimulemus, c quæ de incantamentorum vi & efficia attulimus, ad veritatis ulteriorem lagationem potiùs, quàm quòd eis vim am attribuendam putemus à nobis di credantur: in Tetrade quippe noſtra ſmodi curandi modos ut fanaticos, im ɔs,& diabolicos ad orcum planè ablegamus.

D 5 Con-

*Quod contagium ad distans ſolo viſu poſſit communicari.*

Contagium verò etiam ſolo mediante viſu ſeu aſpectu ſuſcipi poſſe, licet à multis incredibile videatur, minore tamen difficultate probatur, idq; ducto argumento à minori ad majus. Si enim vitium aliquod per ſolum aſpectum communicari ac in aliud ſubjectum transferri poſſit: quare non per eundem viſum ab alio ſubjecto forinſeco contagium recipietur? ſi quidem major longè vis & efficacia ad depromendum & communicandum, quàm ad recipiendum requiritur. Ad aſpectū verò mulieris menſtruo laborantis etiam ſpeculo ſolidiſſimo maculas, quæ non niſi magno artificio deleantur, quaſi inſculpi, tradunt philoſophi quàm plurimi. Sed quid multis argumentis opus eſt, cùm rerum teſtimonia adſtent in procinctu. Quis enim neſcit ophthalmiam ſeu lippitudinem morbum contagioſum eſſe, ſoloq; aſpectu oculi affecti acquiri? ut hîc taceam graviſſimorum autorum teſtimonia; Evagrii videlicet & Nicephori, qui peſtem ex ſolo aſpectu infectarum ædium contrahi poſſe, pari ſententia confirmarunt.

*Quod illud ipſum contagium per odoratum, confirmatur ratione.*

Multò verò facilius ſuſcipi eam per odoratum, quàm modo dictos duos ſenſus, etiam lippis & tonſorib. notum eſt. Si enim odorum vis & efficacia, peſtis tempore

tum

am ad præſervationem, tum ad curatio-
em multum conferat: quare è contrario
:tros ac cerebro maximè offenſos odores
orpora noſtra inquinare, quin & contagii
eſtiferi vehiculum eſſe poſſe inficias ibi-
ius? Norunt omnes halitum fœtentem
ıthiſici alicujus formati, corpus etiam ad
ondus temperatum (ſi modo tale daretur
: aliquandiu duraret) coinquinare poſſe:
iare ig tur idem de peſtis contagio, cujus
:nenum longè ſubtilius eſt ac penetran-
us aſſerere verebimur? ac licet ubi rerum
omenta prævalent autoritatibus, decer-
re minus neceſſarium videatur, tamen ex
perabundanti, unum atq; alterum huc
ſferre placet graviſſimorum virorum
acitum.

Peſtem itaq; ex fœtoribus cadaverum, *Autoritate.*
poſt cruentas magnorum exercituum
ignas ſeu conflictus fermè fieri ſolet, pri-
ordia ſua ſæpe ducere teſtatur Ovidius,
ım ait:

*rpora fœda jacent, vitiantur odoribus auræ.*

Sed cum Poëtarum authoritas hac in
rte admittenda minimè à multis videa-
r: audiamus hiſtoricos. Diodorus Sicu-
; in deſcriptione peſtis Carthaginenſis
irmat, Contagii malum mirum ac ſubi-
ıcum incrementū ſumpſiſſe, ob fœtidas
exha-

exhalationes tum cadaverum ſepulturâ carentium, tum lacuum maritimorum. Appianus Alexandrinus lib. 6. de bello Punico ſic ſcribit: *Strages verè ipſis aderat multa, & magno dolore conjuncta, verſantibus cum fœtidis & putridis corporibus.*

*Et exemplis hiſtoriæ.*

*Quod idem contagium per guſtum & tactum communicetur.*

Contagiorum verò, quæ per reliquos duos ſenſus, guſtum videlicet & tactum communicantur, cauſæ maximæ exiſtunt evidentes, ideóq; ad primas duas differentias potiùs referendæ. Notiſſimum enim eſt non minus quàm frequentiſſimum, eos, qui vel ex eodem vaſe, nedum eadem vaſis parte, poſt leproſum aut lue Venerea infectum (ita tamen ut in ore ipſorum effloreſcentiæ ulcus appareat) pauco interjecto tempore biberint: ſimile contagium contrahere. Infans quoq;, qui lac nutricis quocunque contagioſo morbo infectæ biberit, ore contagium recipit. Multò igitur magis ſi peſtis adſit utpote cujus venenum leprâ & Venereâ lue ſubtilitatem longè majorem ac penetrandi vim obtinet. Per contactum verò mutuum, ut hæc eadem mala facilius longè, ſic peſtem communicari ſeu de ſubjecto in ſubjectum tranſire poſſe, ita notum eſt quàm quod poteſt eſſe notiſſimum: id enim vel ipſa *Contagij* notatio arguit.

Minime verò pœnitendum ſuſcepiſſe nobis videmur laborem, ac benevolo lectori haud ingratum, qui de hac materia elegantiores floſculos, hinc inde per probatiſsimorum autorum vireta, ac amœnos celebriorum noſtri ſæculi Medicorum hortos, ſedulâ manu decerpendo (abſit dicto invidia) in unum quaſi fragantiſsimum nodum colligavimus: quiq; in quodam compendio ſeu tabella comprehendimus, & propoſuimus, quicquid Fracaſtorius, cujus præſtanres in hoc agro excolendo ſunt operæ, quicquid Reumundus à vinario, quicquid Mercurialis, quicquid Heurnius, quicquid Fabius Paulinus, & quicquid demum complures partim in operib ſuis ſparſim, vel parum diffusè tradiderunt. Neq; etiam alium ob finem hæc à nobis fieri credantur, quàm ut præcipuas notiones, quæ ad contagii naturam ſolidè cognoſcendam abſoluta neceſsitate requiri videntur: quæq; hactenus paulò intricatiùs propoſitæ fuerunt, tyronum judicio exponeremus, utq; natura generis probè perſpecta, horrendo peſtis malo eò facilius à quovis etiam occurreretur.

*Elegans authoris ad benevolum lectorem licentia.*

Quid verò ex noſtro peculio proprio huic operi acceſſerit, poſtquam auctorum graviſsimorum modò citatorum ſententias

tias propoſuerimus, ac ubi opus videbitur, expoſuerimus, ſequentibus capitibus apparebit: ſimulq; manifeſtum evadet, nos non ſine cauſa *Contagij* vocem Peſtis definitioni inſeruiſſe, utpote quæ nõ accidens aliquod (ut multis videtur) hujus mali exiſtat, verùm differentiam ejus conſtituat ſpecificam. Probè tamẽ ſcimus nos hac in re plurimorum, tum antiquorum, tum noſtri quoq; ſæculi philoſophorum placitis adverſari. In primis verò ex antiquitate Gregorio Nyſſeno, cujus in principio hujus tractatus facta mentio & ex recentioribus Alexandro Maſſariæ qui oppoſitam noſtræ, tum rationum momentis, tum pondere authoritatũ ſtabilire conatur incaſſum ſententiam. Dicti verò cum ſuis ſectatoribus authores (de quorum interim authoritate ne hilum quidem detractum velimus) hos noſtros conatus ad publicum magis tendentes bonum, quàm rei novitate vanam gloriam aucupantes pro candore philoſophico in meliorem partem interpretabuntur.

Ac quod attinet ad rationes ipſorum, à natura & hiſtoria morborum antiquorum temporum deſumptas, reſpondeo: licet fieri poſſit, ut prioribus ſæculis morbi quidã Epidemii & peſtilẽtiales extiterint, qui

quoad contagium noſtri temporis morbis quàm plurimis longè fuerint inferiores: veræ tamen peſtilentiæ citra contagii characterem (quem inſtar ſtigmatis fronti inuſti, primo ſtatim aſpectui prodit, omnis vera peſtis) ne cogitari quidem poſſunt. Licet quoq; febres regnare poſſint peſtilentiales non contagioſæ: vera tamen peſtis qualis hodierno tempore Galliam exercet, contagioſa ab omnibus agnoſcitur. Unde & civitatibus politioribus lege ſancitum videmus, ut certi quidam ac ſelecti tum Medici tum Chirurgi, contagio laborantibus præficiantur, iiſdemq; cum reliquo populo converſatio ſub pœna graviſſima interdicatur.

*Febris peſtifera poteſt eſſe ſine contagione.*

Hoc verò aliam ob cauſam, quàm ob ſolū contagii metū fieri in Gallia quis dicat?

Authoritates verò quas iſti allegare ſolent, ſequentem in modum à nobis dejiciuntur. Initio facto à Gregorio Nyſſeno, autore inter cæteros graviſsimo, qui peſtem minimè contagioſam conſtanter declaravit. Hujus ergo privatæ opinioni opponimus authoritatem S. Baſilii, non minus Medici quàm Philoſophi & Thaologi inſignis in explicatione primi pſalmi contrarium planè aſſerentis. Alexandrum verò Maſſariam qui exercendi, ut credo, ingenii gratia,

*Reſponſio ad authoritates pro præcedenti ſententia in mediū productas.*

gratia, vocem contagii ex peſtis definitione libro ſuo primo de peſte eliminandam pertinaciſsimè contendit, non aliter refellendum exiſtimamus, quàm ex manifeſta operum ſuorum contradictione, in quibus palinodiam illius ſententiæ cecinit, & contagionem agnovit potiſsimam peſtilentiæ naturam conſtituere.

U. verò paulò familiariùs cum ipſo ac domeſticis ejus agamus, amicè eos rogatos cupimus: an non in primo ac univerſali invaſionis talium morborũ, quos *contagioſos* experientia poſtmodum docuit, principio, ipſi cũ non paucis aliis haud infimæ ſortis Medicis, benigniores eos reputando: decepti fuerint? Itemq; an non diligentiorẽ in illis profligandis curam adhibuerint, quamprimum viderunt hos morbos non tantum inſtar flammæ ignis omnia pervadere, verùm non ſecus ac ignem fatuum brevi momento temporis de domo in domum tranſilire, modoq; hunc, modò illũ, modò plures ſimul invadere? An non item per hæc indicia ſola (contagii notas clariſſimas atq; certiſsimas) non alium poſſe eſſe morbum quàm peſtem cognoverint? ſimulq; eo ipſo quòd peſtem eſſe cognoviſſent, ægrotos timidius acceſſerint, ac præſervationis loco confectionem Pilularum

ex

ex tribus(ſic enim jocosè à quibuſdam nominantur)videlicet *citò, longè, tardè*: etiam cordatiſſimi ipſorum primi deglutierint? Cujus quidem præſervativæ mentionem facit ſub finem lib. ſui de peſte Anton. Gallus pluresq; alii; quamq; Galenus ipſe traditur ſeduló obſervaſſe, ſi authoribus vitã illius deſcribentibus, aut potius ipſimet Galeno idipſum atteſtãti lib. de libris propriis, fidem adhibemus. Anno ſiquidem trigeſimo ætatis ſuæ, cùm Remp. Rom. ſub imperio Marci Antonini peſtis efferatiſſima affligeret, eâ relictâ lares patrios repetiit. Luce verò meridiana clariùs apparet, ſolũ contagii, ne ipſis quidem Medicis parcentis, metum, celerrimę hujus receſſionis, ac in patriam reditùs Galeno cauſam extitiſſe, imo eodem libro fatetur ſe liberatũm eſſe Æſculapii ope à lethali apoſtemate, quod multi de Peſte interpretantur. Non minus quoq; experientia eſt comprobatum, eos Medicos qui præ reliquis ſingularem quandam artis ſuæ certitudinem, animiq; in ægris viſitandis conſtantẽ promptitudinẽ, oſtentare volunt, hujus ſuæ vanę præſumptionis ac confidentiæ promeritas ſæpe numero luere pœnas, ſecundũ illud: Qui amat periculũ, peribit in illo: id quod Ovid. ſatis eleganter ſequentib. verſib. expreſſit.

*Galenum ipſe contagionis metu Româ diſceſſit.*

B Nec

*Nec moderator adeſt, inq; ipſos ſæva medentes*
*Erumpit clades: obſuntq; authoribus artes;*
*Quò propior quuq; eſt, ſervitq; fidelius ægro,*
*In partem lethi citius venit, atq; ſalutis*
*Spes abiit, finemq; vident in funere morbi.*

Quis itaq; non videt nos merito vocem Contagii, peſtis definitioni loco formæ ſpecificæ inſeruiſſe?

*Cur auctor in definitione peſtis febris non meminit.*

E contrario vero, febris mentionem in peſtis definitione minime neceſſariam putavimus, licet id à compluribus aliis factitatum videamus, dum materiæ hujus titulum potius de febre peſtilentiali, quàm de peſte inſcribendum judicantes, nullam peſtem dari febri non concomitatā ſibimet perſuaſerunt. Nos vero contrariam ſententiam ſtabilimus experientia edocti, quaſdam peſtes tanta violentia hominem aggredi, ut intra paucarum horarum ſpaciū ipſum è vivis tollant, ſic ut febrili invaſioni occaſio omnis præripiatur. His adde quod nulla in his febrilis caloris indicia, neq; in pulſu, neq; urina appareant. Quocirca nos in adverſam deſcendendo ſententiam conſentaneę magis veritati aſſerimus, febrem minimè neceſſario peſtes quaſdam concomitari. Cumq; res hæc tam manifeſta exiſtat, ut etiam pleriſq; mulierculis medicatricibus nota ſit, ne fortè in longi-

*Peſtis quoddam genus ſine febri eſſe poteſt.*

longiore ejus probatione moras nectamus, ſufficiet citaſſe ſequentem Valeriolæ locum, quicquid etiam hac in re deſiderari poſſit comprehendentem, qui ſic habet in ſuo locorum communium libello. *Videns enim non raro quæ eſt vis intrò concepti peſtilentis habitûs, ſyderatorum inſtar concidere repentè eos qui peſte correpti ſunt, cum alioqui his neq; pulſus exitialis, neq; urina, nec vix ulla adverſæ valetudinis ſigna appareant, ſaniq; videantur, & ſtatim loquentes & incedentes tanquam fulmine icti pereunt, quod à me* (adde) *ſæpiſſime per peſtilentis aëris conſtitutiones obſervatum fuiſſe, ea præſertim quæ ſub anno 1534, in Galliæ Narbonenſis parte graſſata eſt, teſtari ipſe poſſum.*

Autorum verò qui tractatus ſuos de peſte, inſcribere maluerunt de febri peſtilentiali, ſufficiat mentionem feciſſe trium præcipuorum: Alexandri videlicet Benedicti Itali, Petri Pauli Peredæ, & Joannis Paſchalii Hiſpanorum, è quorum numero Benedictus in definitione peſtis, febris notionem & vocabulum non dubitavit inſerere in operis ſui frontiſpicio ſicut & ipſemet iterum Paſchal. lib. 2. c. 9. quod ſic ſuum dicit initium: *Peſtilens febris eſt febris Epidemialis, &c.*

Antonius Portus libr. de peſte & Ho-

ratius Augenius lib. 4. epiſtolarum medicinalium, peſtem definiunt ſua natura nihil aliud eſſe, quàm Febrem communem acutiſſimam: ſuntq; in hac opinione quàm plurimi alii præſtantiſſimi viri. Maxima vero eorum pars opinionis ſuæ fundamentum eliciunt ex verbis Hippocratis in principio hujus tractatus à nobis allegatis lib. de flatibus dicentis: *Febrem omnium malorum eſſe comitem*: itemq; ex loco Galeni aph. 1. com. 7. ubi febrem morborum omnium acutorum perpetuam comitem eſſe contendit. Quia vero peſte morbum acutiorem vix dari à nemine quod ſciam controvertitur: inde concludunt peſtem ſine febri eſſe non poſſe. Verum auctores iſti (pace bona dixerim) locos & textus ſupra citatos præter mentem ac intentionem autorum allegare certum eſt. Si enim ſecundũ commune proverbium, quilibet optimus ſui ipſius exiſtit interpres, ex diligenti aliorum dictorum Hippocratiorum & Galenicorum collatione manifeſtum evadet, ipſos, omnem peſtem febri conjunctam eſſe, ne per ſomnium quidem cogitaſſe. Audiamus Hippocratem lib. 3. Epid. poſt amplam quæ peſtis tempore conſpici ſolent, ſymptomatum enarrationem, tandem ſic concludentem: *Quibus igitur circa caput horum quid*

*Quidnam prædictos auctores induxit ad aſſerendum, peſtem eſſe febrem Epidemialem.*

*Adverſæ ſententiæ fundamentum diruitur.*

*quid fieri contingit, his glabrities totius corporis aut menti fiebat, & oſſium denudationes ac delapſus: & multæ fluxiones, & hæc in febribus & ſine febribus.*

Utq; magis oſtenderet ſe de maximis ac deploratis loqui ſymptomatis, tandem ſubjicit: *Erant autem hæc horrenda magis quàm mala.* Idipſum quoq; aph. 5. 6. & 15. & aph. 51. tractans de iis qui derepentè vocem amittunt, vel convelluntur ſubitò, ſive ex crapula id accidat, ſive citra eam, hominibus id contingat ſanis & ſobriis, verbis clarioribus adhuc proponit. Ultimo verò aph. ſic ait: *Quibuſcunq; ſanis repentè dolores fiunt in corpore & ſtatim obmuteſcunt, & ſtertunt, pereunt in ſeptem diebus, niſi febris apprehenderit.* Quid quæſo ad probandum morbos dari acutos, quin & acutiſſimos, quorũ violentia homo citra ullam febrim è vivis tolli ſubitó poſſit, adferri clarius queat? *Morbos acutos ſine febri mortẽ adferre poſſe cenſet Hippocrates.*

Idem Hippocrates 6. Epidem. ſect. 7. poſtquàm plurima eaq; maxima enarraſſet quæ circa ſolſtitium hybernum oboriri conſueverunt ſymptomata, ſic ait: *Quibus voces frangebantur ad tuſſim, horum plurimi ne febricitarunt quidem, quidam vero parum.* At paulo poſt ſubnectit: *Celerrimè autem moriebantur, ubi febrili rigore inſuper riguiſſent.* Un-

de manifeſtè apparet, mala illa licèt acutiſſima, quandoq; tamen ſine febre homines invadere. Galenus quoq; in citatorum locorum expoſitione non modo in eandem plane abit ſententiam: verum etiam, dum in curatione peſtis modum adhibendi terram ſigillatam (quam inter præcipua alexipharmaca merito recenſet) protulit, longè adhuc manifeſtius ſententiam noſtram confirmat, ait enim eam exhibendam eſſe in vino puro quidem ſed oligophoro, ſi febris non comitetur, aqua vero permixto, ſi febris adſit. Unde neceſſario concludimus, dari peſtem ſine febri.

*Galenus.*

*Terra ſigillata præſens contra peſtem remedium.*

Atq; hactenus ex Græcorum Medicinæ principum monumentis noſtram ſententiam ſatis ſuperq; arbitramur confirmatam.

*Haly inter Arabes.*

Inter Arabes Haly lib. 5. cap. 2. Theoriæ ſuæ, expreſſis verbis docet, quàmplurimos peſtilentiales, febri tamen minimè concomitatos, conſpici morbos.

*Et moderni aliquot.*

Inter modernos quoq; Galenicæ doctrinæ ſectatores, non paucos reperias noſtræ opinioni minimè adverſantes, ac inter alios, Petrum Pariſium, Andream Gratiolum, Maſſariam, quin & ipſum Alexandrum Benedictum, cui, licet ut ſupra dictū contrariæ planè opinionis, ex profeſſo pro-

ſe probationem ſuſcipienti, vis tamen veritatis volenti nolenti, circa medium capitis ſui primi, hæc verba extorſit: *Hoc malum* (peſtem intelligens) *miſerabile, mortalibus ita evenit ſubito, ut plurimum ſine febre, inter domeſticas aut forenſes actiones, vel publica negotia, decem horarum ſpatio, quidam viginti, ſine urinæ pulſusq; venarum certo ſigno, in templis, in via, in publicis officiis, ex inſperato rapiantur, ita miſeram humanæ ſuperbiæ ambitionem oſtendit ſæva pernicies: ut homo interdum lætus, iucundus, ſecurus, levi temporis momento ſtatim cadat.*

Ex quibus locis omnibus & ſingulis candidus lector perſpicuè ſatis poteſt videre: vel ex Alexandri Benedicti opinione, dari frequenter peſtes febri minimè implicitas, & per conſequens, ſi quandoq; febris adſit, eam eſſe referendam inter ſymptomata, qualia pro temporis, locorum, perſonarum, aliarumq; circumſtantiarum, diverſitate, alia atq; alia, modo plura, modo pauciora adeſſe poſſunt, quæq; minus ſunt in definitionibus inſerenda, cum à differentiis morborum ſpecificis toto genere diſtent.

Qua & nos ratione moti, febris mentionem è peſtis definitione removimus: licet minime ignoremus, in genere pauciſſi-

mas ſine febri dari, qui alicujus ſint durationis, peſtes.

### *Alia paulo familior peſtis deſcriptio, à ſignis ejus diagoniſticis, tum internis, tum externis deſumpta.*

## CAP. III.

*Qualis à Galeno & ab auctore peſtis deſcribatur.*

GAlenus libr. de Theriaca ad Piſonem, popPopulariter peſtem deſcripturus, introducit eam ſub ſpecie indomitæ alicujus belluæ, in quodvis reliquorũ animantium genus indifferenter ſævientis, nec civitates ſolùm, verum etiam integra regna vaſtantis ac in ſolitudinem redigentis. Alii eam aſſimilant draconi omnium ferarum ut ſæviſſimo, ſic generis humani hoſti capitali. Nos eam dicimus ſimilem furiæ cuidam infernali, in cujus conſpectu vel ipſi morti intrepido conſiſtere pede non licet.

*Accurata peſtilentiæ ὑποτυπωσι.*

Paulò vero accuratius, amabo, furiam hanc contemplemini: flagellum ſiniſtrâ, dextrâ tenentem facem infernalem, capillo demiſſo ac malè pexo, capiteq; tremulo, oculos inſuper habentem ex inflammatione rubẽtes, eosq; modò præ nimia ſomnolẽtia adductis ſuperciliis ſemiclauſos, modò ob contrarias vigilias exſiccatos, præter naturam amplos, temporibus excavatis, narium

narium diductis lateribus extremitateq; in acutum mucronem deſinente, ore hiante, ac inſtar rabidi canis præ nimia ſiti mirum in modum diducto. Expiratione plurimũ fœtente, æſtuq; interno ac latente linguam ipſius exaſperante, exulcerante, ac nigranti carboni quàm ſimillimam reddente.

Quoad externam corporis figuram & habitum, cutem ejus à ſummo capitis vertice ad talos uſq; pluribus exanthematis exaratam, nec non anthracibus & carbunculis hinc inde variè cauteriſatam: ternà quoq; quibus prædicta purgat, emunctoria inflata ac innumeris tuberculis obſita, quilibet animadvertet.

Heu vero quanta cum difficultate ſpiritum ducit: ! tuſſi nimirum ſicca & ferina divexata: cui inſuper tanta cordis ſupervenit anguſtia, ut copioſus ei circa collum ipſumq; pectus ſudor exprimatur. *Inſpiratio peſtiferis difficilima.*

Præterea continuis fermè vomitionibus ac nauſea laborat, quas multiplices vẽtriculi ſubverſiones, eroſiones, ac cardialgiæ, quin & non raro ſingultus ob nimiam virulentiam convulſivi, comitantur. *Vomitus continuus.* Reliqua vero viſcera internaq; membra, tam nobilia quàm ignobilia, ritè totidem ardentibus fornacibus comparãtur, ob intenſiſſimas quibus torrentur inflammati- *Inflammatio non intermiſſa.*

 ones,

ones, quæ ſupervenientе extremitatum frigore, mortem in procinctu eſſe haud dubie denunciant.

Atq; hæc ſunt ſigna diagnoſtica atque ſymptomata communiter peſtem concomitantia, eamq; ſenſuum externorum firmiori judicio ſubjicientia. Quibus accurate obſervatis haud cum magno labore ab inſidiis ſubdoli hujus morbi, & plurimos decipientis cavebimus, qui ſæpius aliàs clanculum habitu incognito ſubrepit, tuncq; præſertim, quando eundem longe à nobis remotum ſuſpicamur. Quocirca nobis operæ pretium viſum eſt, diutius in deſcribendis illius ſymptomatibus & ad unguem repræſentandis immorari. Non tamen peſtem perpetuo comitantur ſigna hæc atq; ſymptomata univerſa: cum in eorum obſervatione ac dignotione exercitatis unicum ſæpe ſufficiat, quo mediante, quid tam in præſervatione, quàm curatione facto opus, ſufficienter perſpicitur.

Reliquum eſt ut ex lege & methodo quam initio nobis adhibere placuit, ad accuratiorem ſingulorum peſtis ſymptomatum deſcendamus explicationẽ, eandemq; pro virili exemplis & auctoritatibus confirmemus. Id enim plurimum ſtudioſis Medicinæ candidatis profuturum nobis

perſuademus, in quorum gratiam hic tractatus potiſſimũ elaboratur, prout à principio non ſemel fuimus conteſtati, quamvis cæteri non minimum ex illo capere poſſint emolumentum.

Principio itaq; peſtem furiæ infernalis nomine exprimere placuit, Virgilium imitando, qui omnia mala furiarum harum deteſtanda compendioſius exprimere ſe poſſe non putavit, quàm ſi peſtes eas cognominaret, dum ait:

*Dicuntur geminæ peſtes cognomine Diræ.*

Fingimus deindè eam capillo demiſſo ac malè pexo, capite licet nudo, præ calore tamen exæſtuante ac tremulo, oculis oberrantibus, præque inflammatione rubentibus. Poſito hoc fundamẽto temporibus contagii nomine ſuſpectis, Medicus debet, antequam propius ad ægrum accedat, ante omnia capitis in univerſum ac ſpeciatim, oculorum characterem ac motum, in ægro quàm accuratè perpendere. Si namque primo ſtatim die ipſum conſpexerit capite tremulo, nec in ullo loco quieſcente (id quod à multitudine vaporum copioſorum & veneno infectorum, jam cerebrum præcipuam animæ noſtræ officinam ingreſſorum, ejuſq; actiones partim abolentium, partim depravantium,

*Quid medicus ad ægros tempore peſtis evocatus obſervare debeat.*

vantium, fieri certum eſt, ſi ægrum præterea æſtuantem ac aërem frigidiorem appetentem, nec ullo modo tegumentorum cooperationem ferentem, præ nimio calore qui ad oculos uſq; protendatur, & ad inflammationem internam neceſſario tendat, eoſq; ut inflammatos ſic vagos quoq; reddat ac rubicundos, quæ tamen rubedo ſæpe ſuos terminos dilatando totam faciem obſideat. Ex his inquam indiciis quæ nequaquam mendacio ſubeſſe poſſunt, neceſſario labem ineſſe concludet, ſibiq; conſulet perſpectius. Galenus libro de præſag. ex pulſu cap. 4. expreſſis verbis teſtatur, non paucos homines plebejos, ruſticos, ac medicę artis ignaros, ex ſolius faciei charactere, citra ullum errorem, de peſte præſagia ducere: inq; hoc puncto ſæpe ſuperare Medicorum expertiſſimos. Falloppius quoq; libro ſuo de tumoribus, cap. de bubone inter cætera peſtis quæ enarrat ſigna, recenſet vehementem capitis tenſionem, cum dolore ac calore vehemétiſſimo conjunctam. Ac quod oculorum attinet ruborem, eum præcipuum ac pathognomicum peſtis ſignum merito ſtatuimus, quodq; Galenus lib. ſupra citato accuratè præcipit obſervari. Quin & ibidem ægrotum oculos vult ablui frigida, cujus ablutione ſi magis magisq;

*Certiora peſtiferi morbi ſunt indicia.*

*[Ocu]lorum [r]ubor.*

magiſq; inflammentur, pro certiſsimo ac infallibili id peſtis ab ipſo reputatur indicio.

Lubanus libr. 6. peſtem deſcribens inter ejus ſymptomata, capitis titubationem oculorumq; ruborem expreſsit ſequentibus verſibus:

*Igneaq; in vultus, & ſacro fervida morbo*
*Peſtis abit, feſſumq; caput ſe ferre recuſat.*

Adjungimus quoq; omnem peſtem ægrum continuis dejicere vigiliis, & quandoq; immoderato ac quaſi continuo obruere ſomno, Idq; pro diverſitate tum exhalationum ſeu meteororum, è corporis noſtri locis inferioribus, ac quaſi microcoſmi culina, in arcem ejus editiorem, cerebrum puta, elevatorum, tum complexionis ſeu temperamenti ipſius ægri. Habitu namq; corporis pinguiori ſi fuerit æger, cerebroq; præhumido, ac inſuper ſi humidi vapores hanc nativam cerebri humiditatem obſidentes in haud levem exceſſum abripiant; indubia ſubſequetur ſomnolentia ac torpor. Si vero è contrario, temperaméto fuerit tum univerſi corporis, tum cerebri calido & ſicco, ſimileſq; exhalationes cerebri temperiem intendant, & actiones diſturbent: vigiliæ ſubſequentur immoderatæ, adde & quandoq; phreneſes. Quæ ſymptoma-

*Unde peſte affectorum quidam ſomno & quidam vigiliis corripiantur.*

ptomata ambo ab Hippocrate lib. 3. Epidem. cap. 3. minime fuere prætèrita, ubi ait: *Urinæ turbatæ, multæ, malæ: diu ſoporoſi & rurſus inſomnes*, & paulo poſt: *in totum autem plurimos aut gravis ſopor comitabatur, aut parvos ac tenuos ſomnos habebant*.

*Cur Peſte affecti ægrè reſpirent.*

Sequuntur jam explicanda verba, quibus peſte laborantes ore hiante dicimus reſpirare, ac ob reſpirationis difficultatem, longe celerius ac frequentius quàm ſoliti ſint ſpiritum ducere, inſtar canis rabidi: quæ fœtor anhelitus, ac linguæ modo ſcabrities, modo ulceroſa fames, nigredo vero ſemper neceſſario ſubſequitur. Etenim cum peſtis ex veneno quodam, è varia variorum humorum corruptione & putrilagine progenito oriatur, eadē plane agnoſcit ſymptomata his, quæ venenum profert animantium venenatorum: exempli gratia ſerpentum & canum rabidorum, quæ vel morſu vel ejaculatione corpora inficiunt. Quemadmodum & vice verſa, hæc ipſa venena aſſumpta, eaſdem ferme vires qualitatesq; pernicioſas, quas ipſamet peſtis, exerunt. Signa namq; canis rabidi (prætérquam quod nutante incedat capite oculisq; variè oberrantibus, ut modo in peſte laborantibus fieri audivimus) ſunt, hiante ore reſpirare quàm celerrime, avidiſſime

*Signa canis rabidi quædam.*

ſiti

ſiti excruciari, & linguam nigram protendere, quæ rugis ſuis ſcabiem mentiatur. Quæ etiam ipſius peſtis ſymptomata exiſtunt ſingula.

Quod verò peſtis venenum beſtiarum reliquarum venenatarum veneno aſſimilamus congenito ac naturali, in eo utiq; ipſius Galeni authoritate haud deſtituimur: utpote qui lib. 6. de locis affectis cap. 5. expreſſe dicit à Medicis olim indubio ſancitum & concluſum fuiſſe. *Quod in animantibus corruptio quædam poteſt excitari, tam vehemens, ut veneni ſerpentis ſimilem habeat vim & qualitatem.* Et comment. 1. Prorrhet. contex. 17. ſcribit: *aliquas cauſas eorum quæ in corpore gignuntur, habere ſimilem vim: & rabidorum canum, & lethalium pharmacorum veneno.* Ne verò in allegandis authoritatibus plus æquo ſolliciti ſimus; experientia quotidiana edocemur, Dipſadis ſerpentis morſum peſti prorſus ſimilia producere ſymptomata. Id quod Lucan. poetam minimè latuit lib. 9. dum hiſtoriam cujuſdā juvenis Auli nomine, à Dipſade ſerpente vulnerati, haud minus doctè quàm eleganter enarrat, & præcipuorum quæ talem ſerpentis ictum ſubſequi ſolent ſymptomatum reminiſcitur.

*Authoris ſententia Galeni ſuffragio comprobatur.*

Inter cætera verò ſitim, quam & peſtis indi-

individuum comitem aſſeruimus,miro artificio depingit, quæ ſæpius tanto cætera ſymptomata morbi peſtiferi ſuperat intervallo, ut nullo potûs genere domari ſuperarive queat.

*Cur ſitis in peſte nimia.* Cauſa verò tantæ ſitis non niſi perenni bilioſorum ac venenatorum humorum,in ventriculi ac præcordiorum regionem affluxui, ac ſiccarum exhalationum ex aduſtis quodam modò inteſtinis ad regionem ſuperam elevationi abſcribi debet: quæ quidem elevatio dum oris concavũ ſubit, ejus ſuperficiẽ mira ratione deſiccat, prout inſpiratione quæ ore fit hiulco,& fumũ reddit clibani fumo ſimillimum, manifeſtò comprobatur. Hinc fieri ſolet, quod ore ferè ſemper ſint hiante & aperto. Natura quippe tã infenſo hoſti potiùs, quàm hoſpiti velocem exitum expiratione molitur, ſimulq; inſpiratione flacceſcentia ac quodammodo tabeſcentia interiora viſcera, quantum in ſe eſt, recreare meditatur. Unde haud mirum ſi linguæ aſperitatem comitetur nigredo. Exhalatio quoq; hæc tanta quandoq; acredine prædita eſt, ut non tantùm uvulam, ac interiora gutturis cum linguæ ſuperficie erodat: verùm totius oris concamerationi qualitatem hanc ſuam indat & communicet.

*Cur lingua in peſte affectu nigra.*

Atq;

Atq; horum quidem accidentium modo enarratorum pleraq;, â plerisq; qui materiam hanc lucubrationib. ſuis illuſtrandam ſuſceperunt, melioris notæ Medicis minimè prætérita ſunt. Ac in primis anhelitus graviolentia ac fœtor, nec non prædicta oris excoriatio, quæ ſigna hujuſce morbi lethalia omnes paſſim agnoſcunt. Nam ut Hippocr. dicit in Progn. *Fauces ulceratæ cum febre grave malum.* Lucretius etiam ſymptomatum in lingua apparentium mentionem facit verſibus ſequentibus:

*Atq; animi interpres mandabat lingua cruore,*
*Debilitata malis, motu gravis, aſpera tactu.*

Anhelitus verò fœtorem ſic effert:

*Spiritus ore foras tetrum volvebat odorem*
*Rancida quo perolent projecta cadavera ritu.*

Avicennas quoq; de fœtentis anhelitus ſymptomate ſequentẽ in modum ſcribit: *Plurimi ex iſtis quorum anhelitus fœtet, ex primis moriuntur: ſignumq; eſt putredinem jam in corde eſſe confirmatam.* Fracaſtorius quoq; lib. 2. cap. 4. de morbis contagioſis, hoc ipſum inter ſymptomata peſtis mortalia præcipua refert cap. 10. dum refert verbis expreſſis: *Quorum anhelitus præter ſolitum immodicè fœtet, omnes moriuntur, quod putredo in corde omnino confirmata ſit.* Ratio horũ

*Unde putredo oris oriatur.*

F pronun-

pronunciatorũ eſt, quod in genere omnis excrementorum fœtor, in quocunq; etiam morbo, ſignum exiſtat peſſimum & mortale, veluti odor quidam à naturali plurimum diſtans, utpote qui univerſalem interiorem corporis humorum, corruptionem portendat, eoſdemq; penitus labefactet & dejiciat.

*Quodnam è puſtulis ſive exanthematis quæ peſtiferis ſuperveniunt, fieri debeat judicium.*

Symptomata verò peſtis mortalia in exteriori corporis habitu apparentia, ſenſibusq; tactus & viſus expoſita, qualia ſunt puſtulæ malignæ, exanthemata, anthraces &c. examen & diſcuſſionem recipiunt non minus, quàm authoritatem obviam atq; perſpectam. Hæc ſiquidem cùm omnem fermè peſtem concomitari ſoleant, vel ipſi innotuere plebeculæ.

Hæc exanthemata ſive maculæ & puſtulæ, quæ corporis ſuperficiẽ deformant, ſunt efflorescentiæ ſive fructus, quæ tum à peſte febriq; peſtilentiali, tum etiam ab omnibus morbis epidemicis quadam qualitate malignã comitatis producuntur. Ubi obiter nota: licet hæc ſi in morbi principio appareant, ſymptomatica potiùs ſint dicenda quàm critica: attamen prout tardiùs celeriuſve vel apparent vel diſparent (quorum poſterius conatum naturæ arguit irritum) proq; diverſitate apparentium colo-

colorum(qui quidem ſi livorem cum duritie vel nigredine conjunctum habeant peſſima quæq; præſagiunt)ex his quoq; varias fieri prænotiones. Quod ſi critica die hæc ſupervenerint, ac certam διαδόσεος ſeu translationis ac propulſionis materiæ morbificæ ad ſuperficiem exhibeant conjecturam: atteſtantur naturam veneno cauſaq; morbifica hactenus oppreſſam, collectis copiis ab iiſdem ſe vindicare harum macularum ſive exanthematum beneficio, ſi præſertim ante tales eruptiones natura ſponte,vel arte adjuta, manifeſtam evacutionem, citra notabilem virium reſolutionem molita fuerit, Galen. quippe lib. 5. meth. cap. 12. ubi aliquot adoleſcentum à peſte liberatorum meminit, in quibus omnibus critica hæc exanthematum eruptio conſpiciebatur,ait: *Hi vero ex peſte convaluiſſe mihi videntur, eò quod ante fuerit præſiccatum & præpurgatum corpus: etenim vomitus nonnullis ipſorum adfuerat,& alvus omnibus eſt turbata,& ſic jam evacuata. His qui ſervandi erant, exanthemata nigra per univerſum corpus affatim apparebant, multis quidem ulceroſa, omnibus autem ſicca, & erat conſpicuum aſpicientibus, putrefacti in febribus ſanguinis eſſe has reliquias, quaſi cinerem quendam propellente ad cutim naturâ.*

*Purgationes in peſte ſunt aliquando neceſſariæ.*

Ex modo citato loco Galeni manifeſtò apparet error eorum, qui cœco quodam metu (ne ſcilicet natura impediatur ac à talium exanthematum &c. productione per purgationem avocetur) ab omni prorſus evacuatione in peſte reliquisq; morbis Epidemiis abſtinendum, credulæ muliercularum coronæ tremula voce conantur perſuadere. Quod enim expreſſiſſimo textui Galeni, ubi ait, *quibus vel per vomitum vel per alvum corpus præpurgatum fuiſſet*, objiciant, planè non habent. Norunt enim vel medicinæ tyrones, artem dum naturam quo vergit aut vergere debet, dextrè imitando juvat: nunquã poſſe aberrare. Cordatè itaq; contra hos mulieroſos homines concludimus, in dictis morbis ad imitationem naturæ, cæteris paribus purgationem per vomitum, alvumq; plerumq; utiliter adminiſtrari. Ut nihil dicam de pluſquam inepta ipſorum in arguendo puerilitate: ſiquidem tantùm abeſt ut tales evacuationes naturam talia exanthemata meditantem, ab intento ſuo abducant, ut ejus potiùs conatus proſperent, ac dirigendo quodammodo accelerent, modò ſint ſpecificæ & ad propulſandum venenum aptæ.

*Quæ purgationes in peſte accommodatæ.*

*Cautela in morbillis & variolis obſervanda.*

Modò dicta non minus quoq; in variolarum & morbillorum eruptione ſunt obſervan-

ſervanda, in quibus hæc exanthemata, morbilli, variolevæ, principali, quadam intentione, ſeu robore naturæ, & non vi morbi producuntur. Siquidem in his quoque morbis quidam è vulgo ſupra dictæ ratione decepti, ut purgatione, ſic ſáguinis miſſione interdicunt: eò quôd malè cenſeant tales molitiones artificioſas, naturæ laudabilē curſum non modò interrumpere, verùm etiam planè invertere, dum cauſam morbificā, quam ipſa à centro ad circumferentiam in animalis ſalutem ablegare totis annititur viribus, ad centrum in quo principium mali & fomes. purgatione inprimis revocari clamitant. Ut autem hujus ſententiæ falſitas apertiùs convincatur: dicimus à divina munificentia data generi humano eſſe purgantia ſpecifica, certisq; morbis appropriata, quæ ſi in decoctionibus, ſyrupis &c. bezoardicis & cordialibus, ſpecifica quadam proprietate corruptioni ac venenis in genere adverſantibus omnibus, propinentur, maximo ægrotantium bono, citraq; ullum periculum, materiæ morbificæ non contemnandam partē foras ejiciant, & tantundem de morbi vehementia demant. Atq; ita natura á tanta mole, cui ſuſtinendæ vel etiam excutiendę par antea nō fuerat miris modis ſublevata

*Authoris ſententia rationibus cōfirmatur.*

ac liberata, quod ex fomite mali reliquum, facilè ipſa digeret, & per commodas vias è ſuo territorio eliminabit. Si vero totum hoc naturæ committendum putemus: periculum ſanè fuerit, ne ab hoſte jam diu preſſa plane opprimatur.

*Quando vena tempore peſtis incidenda.*

Quin & ipſa ſanguinis miſſio, ſi febris peſtem comitetur, adſit plethora vera, & vires ſimul cum ætate ægrotantis id permittant, tuto adminiſtrabitur. In quibus tamen probè dijudicandis maximâ opus eſt Medici dexteritate & prudentia, utpote ex qua ſola ſæpe in gravioribus ejuſmodi malis, pendentis litis dependet exitus.

*Cautela circa anthraces, & carbunculos peſtiferos.*

Quod porro ad carbunculos & anthraces attinet, illi vulgò habentur indiſtincti, eò quod idem à Græcis dicantur: nos verò invicem diſcernimus, & pro uno eodemq; malo minimè habemus: cùm priores à ſale arſenicali magis ſeptico oriantur & erodente. Ac à carbunculis quidem Hippocrates incipit lib. 2. Epidem. dicens: *Carbunculi in Cranone æſtivi.* Et in ſect. 3. lib. 3. ubi ſpeciatim peſtilentialia ſymptomata perſequitur, ſic inquit: *Carbunculi per æſtatem multi & aliæ quæ vocantur puſtulæ magnæ.* Galenus 14. meth. cap. 5. quoq; carbunculorum peſtilentialium meminit.

Bubones quoq; peſtilentiales, (qui in lue

ſue Venerea circa inguina ſolùm pullulare conſueverunt) ſine anthracum aut carbunculorum eruptione in peſte frequenter indifferenterq; in tribus corporis noſtri conſpiciuntur emunctoriis. Fiuntq; quoad conatum naturæ pari ratione omnes per diadoſin videlicet, & translationem materiæ morbificæ, dum venenum è centro & partibus corporis interioribus ad exteriores evocatur. Atq; hæc ſymptomata ubi apparuerint, peſtem jam ante formatam ac terminis ſuis circumſcriptam eſſe, judicandum eſt: ſin autem ante peſtem tale quid conſpiciatur, non ſymptomatis (quod hac ratione filius naſceretur ante patrem) ſed præcurſoris atq; anteambulonis titulum nanciſcetur: ejus nempe *Peſtis quæ eſt in fieri ſeu in via, quæq; nondum periodum ſuam attigit*. Secus verò judicium feratur, ſi quando peſtem ſigna & indicia magis intrinſeca, quæq; pectori & viſceribus bellum denunciant, conſequuntur.

*Bubones peſtilentiales quibus in locis oriantur.*

*Quomodo fiant.*

*Et quid ſignificent.*

Atq; hactenus examen ſuſtinuere publicum ſymptomata peſtis ea, quæ in ſupremo capite, itemq; exteriori corporis habitu conſpiciuntur: ſequuntur ordine reliqua.

Ac facultatem quidem vitalem præcipuè ab hujus morbi veneno oppugnari:

*Reſpirationis difficultas peſtis comes.* ſatis teſtatur conjuncta cum omni ferè peſte reſpirandi difficultas, hinc Lucretius, *Creber ſpiritus, aut ingens, raroq́ꝫ coortus.*

*Sudor.* Itemq; *ſudor* circa regionem pectoris & collum ex labore & conflictu interno frequenter erumpens copioſus. Cujus vehementis ſymptomatis Hippocrates meminit lib. 3. Epidem. ſect. 3. dicens: *multi ſudantes, & hi quidem qui pernitioſe habebant.* & paulò poſt denuo de ſudoribus in peſte loquens ait: *ſudores intempeſtivi multi, frigidi perpetuo.* Lucretius verò hæc ſymptomata ita exprimit:

*Sudoriſq́ꝫ madens per collum ſplendidus humor.*

*& tuſſis.* Meminimus quoq; ſupra peſtiferis adeſſe ſolere, *tuſſim ſiccam maximeq́ꝫ ferinam:* quod quidem ſymptoma teſte Galeno lib. 5. meth. cap. 12. omnibus verè peſtilentialib. affectionibus teſtatur commune experientia dictum Galeni ſatis ſuperq; confirmante. Siquidem, morbum quem *Coqueluche* Gallicè vocamus, præ cæteris omnibus Epidemium & contagioſum, peſtiq; ſecundo cognationis gradu junctũ, hac tuſſi ſicca ac effeta perpetuò ſe prodere manifeſtiſſimum eſt. In cujus tamen rei confirmationem videre licebit elegantem locum Valeriolæ, in appendice locorũ communium, capite de peſtilentibus morbis.

Venia-

Veniamus jam ad ſymptomata viſcerum nutritioni dicatorum, ſubverſionem nempe ventriculi, cardialgiam, nauſeam, ac vomitum. *Symptomata viſcerum in peſte.*

Ac *Cardialgiæ* quidem voce (licet Grammatica notitio aliud imperare videatur) ex primis Medicinæ fundamentis notum eſt, minime cordis dolorem intelligi, ſed ventriculi, à veteribus cordis nomine appellati dolorificam eroſionem. Atq; hæc explicatio deſumpta eſt ex Galeno 5. de locis affect. cap. 8. dicente: *Veteres cor appellabant quod à recentioribus dicitur etiam ſtomachus.* Cardialgia itaq; ſeu cardiogmos, nihil aliud eſt quàm dolor ventriculi, non quidem totius ſed ſecundum ejus orificium: idq; occaſione inſignium qui numeroſi eidem inſeruntur nervorum, dum ab humore eò delato acri ac bilioſo, aut etiam ab alia aliqua venenoſa & maligna qualitate prædito vellicantur. *Cardialgia.* *Cur ventriculus olim dictus.*

Quando verò natura ipſa ad humorem hunc malignum naturæq; maxime offenſum excutiendum, in vanum ſæpe exurgit: ſequentia ventriculi oriuntur ſymptomata. Subverſiones nimirum, vomitus, & nauſeæ: quæ inter ſe gradu diſtincta, omnes affectus cauſam malignam ac venenatam habentes perpetuo comitantur: *Symptomata quæ cardialgiam comitantur.*

ſive venenum illud intra nos genitum, ſive extrinſecus introductum fuerit. Omne ſiquidem, citra ullam exceptionem, in genere venenum, conjunctam habens qualitatem acrem & malignam, continuam ventriculi ſubverſionem, nauſeam & vomitum, ob facultatis nimirum expultricis irritationem excitat. Id quod ex venenis metallicis teſtantur *arſenicum* & *ſublimatum*: ex vegetabilibus Helleborus albus, Tapſia & cætera ſimilia. Ex humorib. verò in corporibus noſtris generari ſolitis, ſæpeq; malignis ac virulentiam quandam redolentibus, dictaq; conſequenter ſymptomata pari ratione producentibus, ſunt bilis ærugi-noſa, bilis porracea, & bilis aduſta. Atq; hæc dum natura molitur, quis non videt eandem, qua in artificioſa molitione ſeu medicatione procedendum ſit, quaſi digito nobis viam commonſtrare.

*Vomitus à quolibet veneni genere cauſatur.*

In dictorum tamen confirmationem audiamus quæſo locum Galeni quo ait: *In ventre*, inquit, *non ſolùm morſus ſed etiam alii affectus, tum qui nauſeam in eo excitant, tum qui* (καρδιογμὸς vocatur) *expultricem irritant*. Quibus ſanè verbis Galenus innuere videtur, καρδιογμὸν oris ventriculi morſum eſſe.

*Quid ſit καρδιογμὸς Galeno.*

Qui vero Galenum lib. 5. meth. cap. 12. legerit,

legerit, videbit quàm planè ac perſpicue inter ſigna peſtis pathognomonica, ac ſymptomata eam perpetuò concomitantia, *nauſeam*, quoq; & *vomitum* referat.

*Nauſea & vomitus perpetuò comitantur.*

Atq; hæc in ventriculi orificio apparentia (videlicet ejus ſubverſio, cardialgia, nauſea & vomitus) frequentiſſimè adhuc alium maximè pernicioſum agnoſcunt comitem, ſingultum nempe convulſivum, ab iiſdem planè cauſis, ſed intenſioribus productum.

Eſtq; hoc ſymptoma planè mortale teſte Hipp. Aph. 3. ſect. 7. ubi ait: *A vomitu ſingultus malum. Maximè verò is qui ab evacuatione procedit.* Duplicis enim apud Hippocratem mentionem ſingultus fieri, unius ex repletione, alterius ex inanitione, patet ex aph. 6. & 39. quibus dicit: *ut convulſio ſit ex plenitudine, & inanitione, ſic & ſingultus.* Licet agnoſcat Hippocrates (ut ex aph. 5. & 4. & ex pluribus aliis Galeni locis patet) eum qui ab inanitione eſt, altero longe periculoſiorem.

*Singultus in peſte lethalis.*

Reſtat ut de inteſtinorum ardore pauca ſubjiciamus. Qui enim reliquorum jam enarratorum ſymptomatum naturã probe perceperit, mente facile concipiet, fieri aliter nõ poſſe, quin hoc quoq; ſymptoma neceſſariò ſubſequatur. Non aliter enim

*Inteſtinorũ ardor peſtẽ conſequitur.*

ac

guntur his verbis: *Plerúq; maxima*, inquit, *eſt inquietudo ob æſtum & pectoris qua premuntur anguſtiam (quo etiam tempore pulſus eſt vehementior & inæqualis) quod ſuſcitati vapores minus difflari & diſcuti poßint, magiſq; incluſus manens calor. Inde fit ut nuſquam conſiſtere valeant huc atq; illuc agitati, & in lecto ſeſe dimovere impatientes velamenta abjiciant.*

Ovidius quoq; æſtum hunc, quo univerſa ferme peſte laborantium extorreri conſueverunt viſcera, ſequentibus verſibus eleganter deſcripſit:

*Viſcera torrentur primo flamúq; fatiſcunt,*
*Indicium rubor eſt & ductus anhelitus igni,*
*Aſpera lingua tumet tepidiſq; arentia ventis*
*Ora patent, auraq; graves captantur hiatu.*
*Non ſtratum non ulla pati velamina poſſunt,*
*Dura ſed in terra ponunt præcordia, nec fit*
*Corpus humo gelidum, ſed humus de corpore fervet.*

Dum viſcera cæteræq; corporis partes interiores, ratione enarrata, potius officinam Vulcani quàm naturalis œconomiæ culinam moliuntur ſpiritibus ipſorum à ſulphure quodam nitroſo fervente & febrili, ſicq; violentiſſimo ac proprium domicilium conſumente, magis magiſq; torrefactis, ac in tantam ſubtilitatem, quam eo-

rundem

rundem diſſipatio proximè excipiat elevatis, contingit, ex natura antiperiſtaſeos, ut corporis exteriora præ frigore & ſtupore comitante interim rigeſcant, motuq; ſuo priventur. Quo tempore vita è filo pendente tenui, ni divina omnipotentis intervenerit miſericordia, mors præ foribus victrix adſtat, jamq; triumphum meditatur.

*Brevis ſupra dictorũ epitome.*

Atq; ita hactenus propoſitâ deſcriptione, quaſdam velut umbras & colores induximus, ad faciem peſtis Hippocratico penecillo delineandam, quatenus ei tempora depreſſa, oculos excavatos, naſum acutum, nares diductas, & ſimilia affinximus. Id autem ratione peſtium quæ alicujus ſunt durationis præſtitimus, non vero illarum quæ homines ſubito è vivis tollunt interitu, nec idcirco faciem ullo modo immutant. Secus vero in morbis acutis accidit in quibus vultus pallidiſſimus & aſpectu fœdiſſimus mortem propinquam inducit. Id totum autem ad imitationem Lucretii expreſſimus, qui hac graphica peſtè veluti ſub oculos ſubjicit deſcriptione.

*ad ſuprèmum deniq; tempus*
*Compreſſæ nares, naſi primoris acumen*
*Tenue, cavati oculi, cava tempora, frigida pellis*
*Duraq; inhorrebat, rictum frons tenſa minabat,*
*Nec nimio rigidæ poſt ſtrati morte jacebant.*

De

*De ſignis prognoſticis, cæteriſq; peſtis ſtupendis effectis: in primis vero horrore, quem univerſo generi humano incutit hæc furia.*

## CAP. IV.

DE peſtis præſagiis ab Hippocrate ſ. Epidem. propoſitis, dictum ſatis: quibus, in doctiorum gratiam ac pleniorem paulo ipſius rei tractationem, ſequentes inſuper prognoſticationes placet annectere.

*Indicia peſtis & præſagia diverſa repetuntur.*

Harum autem quædam deſumuntur ab Ecclipſibus Solis & Lunæ, à Cometis, cæteriſq; meteoris igneis in ſupera aëris regione apparentibus. Item à rubore cœli diurno, ac diverſorum motuum ac figurarum varietate ſubdiſtincto: quæ omnia ſiniſtro ſuo aſpectu ſi non ſubitaneam luem: tamen eam tandem adduceunt, & hunc ſuum veluti poſthumum generi humano obtrudunt.

*A cœlo.*

Quatuor quoq; anni temporum decurſus præter naturam: ut ver calidum & ſiccum, æſtas calida & humida, non minus ex ſententia ipſius Hippocratis, quàm terræ motus, peſtem mortalibus præſagiunt.

*Ab anni tempeſtatibus.*

Sic & extraordinaria quædam nubium ſterilitas, vel ipſas fontium perennes defic-

*A terræ motu.*

*A nimia ſiccitate vel humiditate.* deſiccans ſcaturigines, non minus quàm ſi continuo quaſi madore cœlum deſtillet, firmum ac ſtabile peſtis præſagium eſſe ſolet.

*A morbillis & variolis frequentib.* Quin & ex ipſa morborum claſſe peſtis ſuos habet præcurſores: ſi nempe frequentiores morbilli ac variolæ communiter exerceant ætatem puerilem, ſive crebræ ex ſententia Galeni phlegmones & carbunculi graſſentur.

Ac licet vulgi hominum tanta capacitas, quæ de ſiniſtris cœli aſpectibus dextre judicare queat, non exiſtat: novit tamen peſtis præſagia ſumere ex plurimis aliis, ut animantibus ac inſectorum præcipuæ genere. exempli g. ſi plus ſolito campi ſcateant, domusq; infeſtentur muſcis: lecti cinicum defœdentur odore: à pulicibus grata interpoletur quies: erucæ hortos, ac cicadæ agros depopulentur: ſique ſimilium inſectorum major exoriatur copia, infallibiles ſane prolicere ſolet peſtis futuræ populus conjecturas. *A nimia inſectorum copia.* Itemq; ſi aviculæ admiranda quadam, in aëris mutationibus tam percipiendis quàm dijudicandis, naturæ ſubtilitate præditæ, aëris incipientem corruptionem percipiendo, ſuæ præcipue ſaluti conſulant, & pullos in prædam fami exponant. *Ab inſolita avium fuga.* Vel ſi armentorum gregumq; nume-

numeroſa repente ſtrages præcedat, quæ quidem venenatos terræ vapores prima omnium excipiunt, eo quod videlicet inter paſcendum capita in terram gerant prona.

*A repentino armentorũ interitu.*

Ut vero hac in parte vel iis, qui nimia, ut ita loquar, religione increduli, omnem plane humanam providentiam, ſicq; prudentiæ partem præcipuam, quod ipſi ea careant, ut impiã ac impoſſibilem rejiciunt, os obturemus: quæ de peſtis præſagiis modo attigimus authoritate & exemplis confirmemus,

*Supra dictæ prænotiones auctoritatibus & exemplis confirmantur.*

Legimus in Tito Livio hiſtoriam, poſt ipſũ à Sabellico ſuis circumſtantiis copioſius paulo exornatam. Anno vidlicet 290. ab urbe condita, L. Ebutio, & A. Servilio Conſulibus, cœlum tempore multo omnium cum ſtupore animiq; conſternatione, apparuiſſe in forma flammæ ardentiſſimæ. Hoc vero cœleſte ſignum brevi poſt maxima ſubſecuta eſt peſtilentia, internecionis ſuæ initia ducens ab equis & bobus: hinc progrediens ad capras & oves, tandemq; ipſos opiliones. Paulò verò poſt ipſa urbe contagio obſeſſâ, tanta hominũ ſubſecuta eſt ſtrages, ut veſpillonibus deficientibus, ingentibus excavatis foſſis, abſq; ceremoniis ac ordine ullo injicerentur demortuorum cadavera.

*à cœlo.*

Conſulibus quoq; Cornelio Coſſo & T. Quinto Pæno, tanta Romanum tractum exercuit ſiccitas, ut tàm fluminum quàm fontium totalis ferme ſubſequeretur ſterilitas, animantibus brutis ſiti pereuntibus quàm plurimis. Paulo vero poſt earũ reliquias invaſit ſpecies ſcabiei malignæ prorſus ac peſtilentialis, adeo ut & ipſos ruricolas inficeret, ſicq; facile contagiũ in urbem transportaretur. In quam ſemel ingreſſum non magis hominibus quàm prius pestiis pepercit. Hujuſq; peſtis præter Livium, Sabellicus quoq; meminit. Virgilius Æneidos 3. deſcribit, huic plane ſimilem his verſibus.

*à ſiccitate.*

*Linquebant dulces animas & ægra trahebant*
*Corpora, tum ſteriles exurere Sirius agros,*
*Arebat herba, & victum ſeges ægra necabant.*

*Cur nimia cœli ſiccitas peſtem inducat.*

Neq; vero hoc loco exemplis certare animus eſt, nimiam videlicet anni conſtitutionem, cœlive ſtatum plus æquo ſiccum, peſtes ſolere inferre contagium; verũ potius in hujus rei cauſas paucis inquirere lubet. Ex quarum ordine, immoderata præcipuè videtur eſſe ſiccitas, quæ frugibus debitam denegat maturitatem, dum videlicet principio eas è terrę gremio obſtetrice manu, at præcipiti nimis evocat, nutrimen-

tum

tum dein uberius, poſt parcius largitur. Unde neceſſario ſemicoctæ, ſeu potius inæqualiter(eo quod extrinſecus ſint aduſtæ, intrinſecus verò adhuc plane crudæ, inſtar carnium nimium ignis violentia aduſtarũ potius quàm toſtarum)indigeſtionis,variarumq; cruditatum cauſa exiſtunt. Quibus adde,immenſam hanc ſiccitatem, humores quoque corporis noſtri torrefactos primum inſpiſſare,qui tandem in atram (unde anthraces poſtmodum progerminare ſolent, & carbunculi ) bilem convertuntur.

Quin eadem nimia ſiccitas, ſpiritus noſtri corporis caloremq; nativum diſſipando,cunctas illorum functiones evertit roburq; imminuit. Quæ, tanquam umbra corpus, poſtea ſubſequuntur digeſtiones parvæ, cacochymiæ humorumq; putredines,quibus tandem,vel ipſa in corpore noſtro diuturniore mora, ingenerantur malignæ & peſtiferæ qualitates.

E contrario vero, annò 194. urbis conditę,qui ob continuas à menſe Octobri ad Aprilem usque pluvias, annus pluviarum dictus fuit, nimia de cœlo deſcendens, corporaque omnia diffluere faciens humiditas, non minoris quoq; contagij in locis aquoſis, quale totum fere Belgium *Alluminitas.*

exiſtit, autor extitit: (de quo conſulere licet Iacobum Meierum) utpote quæ non tantum omniū quibus veſci conſuevimus naturalem temperiem invertendo, peſſimum animantibus præſtiterit nutrimentum, verum etiam probos corporis noſtri ſuccos pari ratione ad peſtis ſeminarium facilius recipiendum diſpoſuerit.

*Cur nimia humiditas nos peſte reddat obnoxios.*

Anto vero 217. urbis conditæ M. Cornelio Megalinenſi & L. Papinio Craſſo Conſulibus, ingens terræ motus, maximæ ſubſequenturæ peſtis fuit nuntius.

*A terræ motu.*

Anno primo regni Veſpaſiani (quo & capitolium Romanum incendio vaſtatum eſt) tres inſigniores urbes in regno Cypri terræ motu ſubverſæ, univerſæ Italiæ peſtem maximam præceſſerunt, ita ut Euſebio teſte Romæ quotidie decem hominū morerentur millia, Cujus quidem rei ratio ſpirans nec paucis incognita hæc adferri poteſt: quod videlicet per talem motum, terræ quodammodo reſerata penetralia recluſaq; viſcera diutiùs hiantia, malignos ac peſtiferos, ex beſtiarum aliorumq; quæ alit, naſcentium venenatorum, ſpeluncis aſcendentes, emittant vapores & halitus quam plurimos.

*Cur terræ motus peſtē præſagiant.*

Famem quoq, inſigniorem per totam ac univerſam aliquam provinciam ſe extenden-

*Exempla peſtis procreata.*

tendentem, communiter peſtem portendere, hiſtorici de territorio Romano loquentes, pluribus in locis teſtantur.

Quin etiam peſtem, famemq; conjunctis quodammodo viribus hanc Urbem tanta cum vehementia afflixiſſe ſæpe legimus, ut vel duriſſimæ cervici horrorem incutere ſola hiſtoria queat. Exempla hujus rei contigerunt anno urbis conditæ 300. Conſulibus P. Curatio & S. Quintilio. Itē anno 320. Conſulibus M. Fabio Vitulano & M. Floccio Flaccinate, Sic annō 341. Conſulibus Q. Fabio Ambuſto, & Furio Patillo. Deniq; anno 361. L. Valerio Procio & M. Manlio Capitolino Conſulibus. *A Fame.*

Sin autem hujus rei cauſas rimemur penitiores, principio reperiemur tria hæc, *Peſtem, Famem, & Bella*, præcipua eſſe Dei omnipotentis, quibus mortalium viſitare iniquitates ſolet, flagella, ut patet ex Davidis hiſtoria, cui Deus ipſe ob duo quæ cōmiſerat peccata maximè enormia, adulterium videlicet, & homicidium, inter hæc tria pœnarum genera electionem permiſit. Hæc autem aliquando ita inter ſe cohærent, ut vel ratione à ſe invicē vix ſeparari poſſe videantur; uno videlicet alterius cauſa exiſtente proxima. In cujus quidem ſententiæ confirmationem, niſi ſcopi no- *Cur famem peſtilentia ſubſequatur.*

ſtri principalis potior habenda eſſet ratio, adferri poſſent hiſtoriarum myriades. Verùm enim verò cum Medicum potius agamus quàm hiſtoricum, ſufficiet nobis teſtimoniis & rationibus aliorum Medicorum, famis, & peſtis inter ſe cognationem, ac quaſi reciprocationem domonſtraſſe. Galenus lib. 1. de bonitate & vitio ſuccorum, meminit peſtis quæ Romam afflixit crudeliſſimè, quamque continuo excepit haud mitior fames. Avenzoar Arabs idem lib. 3. tract. 3. cap. 4. teſtatur. Plutarchus quoq; in vita Alexandri narrat, poſtquam in expeditione indica milites ejus maxima cum fame diu multùq; fuiſſent conflictati, variiſque promiſcuè ac peſſimi ſucci herbis, foliis, radicibus, truncorum corticibus, quin & cornibus, ac demortuarum beſtiarum ſemiputridis veſci cadaveribus coacti fuiſſent: peſſima hac victus ratione, tantam non tantum putredinem, ſed & qualitates contraxiſſe venenatas, ut in ipſo reditu, poſt tam varios exantlatos labores, peſte à veneno in propriis ipſorum corporibus genito orta, miſerè fere omnes periierint.

*Fames & peſtis idem ferè ſonant Græce.* Deinde ex ſimilitudine ſeu potius identitate vocum Græcarum, duo hæc mala exprimentium, quæ ſunt λοιμὸς & λιμὸς: quis

quis naturarum quoq; in ipſis ſimilitudinem ſignificat s non arguat?

Utrumq; ſatis convinc t Delphicum oraculum. quod cum conſulentium animos, celeritate, qua in vocum harum alterà utebatur pronuncianda, reliquiſſet in ſuſpenſo utrum videlicet horum duorum malorum ab ipſis expectandum eſſet; hoc ipſo ſatis ſignificavit, utrumq; ſimul (non aliter ac eorum nomina in unum quaſi contraxerat) hoc eſt *peſtem & famem* conjunctis vir bus Græciam afflicturum, id quod & factum eſt anno ſecundo poſt bellum Peloponeſiacum.

Inter beſtias vero ſeu potius inſecta, quæ ſua abundantia in hoc Galliæ noſtræ regno peſtem vel alium ſaltē aliquem popularem morbum prænunciare ſolent: primum ſibi locum vendicare videntur Cyniphes inſectorum alatorum genus, qui ſæpe ternos aut quaternos annos continuos, verno tempore, maximo exercitu arborum genus univerſum operiunt, quiq; dū folia omnia depaſcuntur, ipſorum quoque fructuum partim maturitatem præcipitant, partim ipſos corrumpendo quandam annonæ charitatis ſpeciem introducunt: præcipuè verò quod ex maxima aëris corruptione pronaſcantur, certiſſima

*Exemplum peſtilentia ab inſectis producta.*

contagia prænunciant. Hanc tamen aëris corruptelã homines prudentiores, qui de ſalute tum amicorum tum propria ſunt ſolliciti, tam evacuatione pravorum humorum in corporibus per hyemale tempus progenitorum, quàm diætæ mutatione facile declinant. Ad cujus confirmationem facit locus Sabellici lib. ejus. 9. En. 5. quo enarrat Africam aliquando tanta locuſtatum copia fuiſſe repletam, non ſolum omnes herbas arborumq; folia, verùm & fructus ipſos depaſcerentur: quibus poſtmodum ab Aſtris in mare ipſum deturbatis, tanta ſubſecuta eſt putrefactio aquarum, ut brevi pòſt univerſus inde inficeretur aër, ac tantam ſecum introduceret peſtilentiam, ut in regno Affricæ undecim centena hominum millia, brevi temporis ſpatio interrirent. Quin & Affricæ terminis circumſcribi ſe non paſſa eſt hæc lues, ſed mare in Italiam, Romam uſq; tranſvecta, maximam quoq; inibi ſtragem exercuit, ut videre eſt apud Auguſtinum lib. 3. de Civitate Dei cap. 31.

*Præſagitur aliquando peſtilentia per prodigia.*

Hîc quaſi in tranſitu notare lubet, peſtem quandoq; etiam non naturalibus præſagiis portendi, ut patet ex miraculo, ſeu mavis vocare præſtigio, quod in urbe Lavinia accidit, Conſulibus L. Æmilio

Paulo,

Paulo & En. Belio, lachrymas effundente ſimulachro Iunionis ſoſpitis, quas tanta mox hominum peſte ſublatorũ eſt ſubſequuta internecio, ut tota ferè civitatis incolis orbaretur: vide Iul. Obſequ. cap. 13 de prodigiis.

Neq; hic moramur Criticorum cenſuras, quibus fequentiorem hiſtoriarum allegationem, in hoc tractatu à nobis factã, minus placere haud ignoramus: ſola quippe voluptate & utilitate ſumus contenti, quæ ex illis ad plurimos propagatur.

Quod ſi Furiæ hujus, qua inter necandum uti ſolet, ſpectes crudelitatem, vix fieri poterit quin ingemiſcas. Primo namq; corporum noſtrorum ſtrage non contenta, manifeſtam ingenerare ſolet optimè alioquin natorum animis impietatem: dum nimia peſtis formidine officij ac caharitatis qua proximo ſuo obligati ſunt, turpiter obliviſcuntur. *Quanta ſit peſtilentiæ malignitas & horor.*

Quanta enim mentis conſternatione videas, peſte domum, ſeu familiam aliquã infeſtante, parvulos quorum ſpes omnis à majoribus dependet deſeri, filios à parentibus, parentes à filiis, uxores à maritis, & maritos ab uxoribus: Idq; tanta animorum exolutione, (cui propellendæ ne ipſa quidẽ ars Medicina æquivalens adhuc reperit

perit remedium) ut vel ex ipſorum Medicorum genere, nulli, aut ſane pauciſſimi reperiantur, qui non hujus Megæræ inexorabilem tyrannidem remis veliſq; omnibus, ut ajunt, fugiant. Quæ ſæpe ex Oriente in Occidentem, è Septentrione in Meridiem mira ſe recipit, & omnes circum regiones populatur, velocitate quęq; clanculū dum nos maxime liberos ab ejus incurſionibus credimus, à tergo adoriens, ſine diſcrimine, non modo ætate provectiores, ſed & juniores, viros & fœminas abripit: ac non ſolum populoſiſſimas civitates, verùm & integra regna, ſæpe momento in ſolitudines ac deſerta transmutat.

*Peſtis arbores aliquando adoritur.* Neq; vero crudelitas ejus, objectum in quo exerceatur ac occupetur, amplū ſatis reperit genus humanum cæteraq; animantia, verum & in ipſum genus vegetabilium, virus ſuum frequentiſſimè effundit, diciturq; hæc infectio à Græcis σφοβολισμός, Latinis ſyderatio.

In ſumme ſi calculus eorum qui diverſis in locis vel unica die peſte occubuerunt inſtituendus à nobis eſſet, myriadum myriades facilimo labore colligeremus. ſufficit ergo in hujus rei fidem ſequentes allegaſſe hiſtorias.

Refe-

Referunt antiquitates, olim in Seleucia templum Apollini ſacrum inprimis fuiſſe celebratum trunco quodam ſeu ciſta deaurata, in qua maximum theſaurum fama mendax ferebat aſſervatum. Cùm verò profani quidam milites etiam ipſi Deo ejusq; cultui conſecratis quantū in ipſis eſt non parcentes, avaritia obcæcati, ſacrilega manu dictam ciſtam aperirent, ut recondito in ea theſauro potirentur: hanc prædam reportarunt, ut ex infeſto illinc prodeunte, ac in univerſum mox aërem ſe extendente vapore, non ſolū Seleuciæ urbs, verùm etiam univerſa Babylonia, mox & Græcia, tandemq; ipſa inficeretur Italia: ac tanta ſubſequeretur peſtilentia, cui vix ſimilem ab hiſtoricis reperias deſcriptam. *Memorandæ peſtilentiæ quæ olim contigerunt, Seleucia.*

Regnante Imperatore Commodo, prout referunt Dion, Nyſſenus, & Xyphilinus, contagioſi hujus veneni in Italia tanta fuit infeſtatio, ut in urbe Roma quotidie jugularentur duo hominum millia. *Roma.*

Volaterrano teſte ſub imperio Leonis Iſaurici, Conſtantinopoli, paucis diebus peſtis gladio cecidere, ter centena hominum millia.

Iacobus à Partibus quoque meminit peſtis, quæ anno 1345. quinque annorum *Conſtantinopoli.*

conti-

continuorum ſpacio, mediam univerſi humani generis partem è vivis ſuſtulit.

*Florentia.* Anno ſalutis 1400. paucis diebus Florentiæ quæ urbs eſt Italiæ, peſte è vivis diſceſſere, triginta hominum millia.

*in Germania.* Ac ut parentum quoq; noſtrorum refricemus memoriam, traditum ab ipſis habemus, anno 1529. contagioſum quendam ac peracutum morbum, quem, quod ex Anglia primùm advolaſſe crederetur, ſudorem Anglicum nominabant, tanta cum vehementia univerſam Germaniam afflixiſſe, ut homines infinitos 24. horarũ ſpacio perimeret. Teſtanturq; hiſtoriæ, hoc malum pauló antè in Angliæ regno ſub Henrico VII. ob nimiam hominum pariter *in Anglia.* ac beſtiarum internecionem tantam deſolationem invexiſſe, ut aves ſylvas inhabitantes contagij metu nidos, feræ cavernas, ſerpentes cum reliquo ſubterraneorum genere incognitos ſuos receſſus, in vanum delererent. Id quod ipſorum demortuorum hinc inde per campos jacens multitudo ſatis commonſtravit.

Sed quare è longinquo accerſimus id quod præ foribus nobis verſatur. Anno ſiquidem 1466. hæc Pariſiorum urbs, pau- *Pariſiis.* ciſſimo tempore, quadraginta civiũ ſuo-

rum

rum peſte jugulatorum conſpexit millia, Ricio Neapolitano referente.

Cujus porro præ horrore, ut cum poëta loquar, non ſtent comæ, dum legit inauditam illam quam peſtis in Galliæ urbe *Aix en Provence* exercuit ſtragem. Ejus ſiquidem tanta fuit malignitas ac ſubita pernicies, ut vel infectorum anhelitus quamcunq; ſani corporis partem contingeret, eam continuò plurimis ardentiſſimis puſtulis coinquinaret: pluribus etiam menſæ accumbentibus, cibosq; interdum degluttiendo, animam vomentibus. Unde non absq; cauſa tanta animornm ſuborta dejectio, ut plurimi eorum, ac ſi de interitus ſui hora divinitùs fuiſſent admoniti, ſemet vivos ſanosq; ſudariis inſuerent ipſi, certò ſcientes poſt mortem, qui hoc charitatis ſupremum munus ipſis præſtaret, fore neminem. *Aquis granl.*

Silentio hoc loco præterire placet peſtem noſtri temporis, quæ non tantùm Lutetiæ Pariſiorum, verùm & apud Lugdunenſes, aliasq; Gallici regni inſigniores regiones mira velocitate vita ſpoliavit cives innumeros, eadem planè qua Londini Angliæ urbe ratione. *In Gallia, & præſertim Lugduni.*

Leonina porro contagij hujus rabies, vulgari hominũ carne ſatiari neſcia, loco

bella-

bellariorum fortiſſimos ac literatiſſimos quosq; , quin & eos qui tum cunctis profuerant & nemini nocebant, vitam degebant innocentiſſimam, abſumpſit. Ut latè parentem ſuam in omnes paſſim, tot cladibus manifeſtaret dominationem.

Ne pigeat quæſo, in præcipuorum heroum ab infenſa iſta Erynni in duello ſuperatorum, commemoratione paucula moras nectere.

*Viri præſtātiores peſtilentia ſublatire feruntur.*

*Duces bello fortiſſimis.*

Furius Camillus licet annum ætatis attigiſſet octogeſimum, ejus tamen declinare laqueos non potuit. Ejus manu cecidit Imperator Antonius. Hoſtilianus Perpenna eo ipſo temporis momento quo imperium Romanū invaſiſſet, hujus tyrannidi colla ſubdere, ac imperij gubernacula deponere coactus eſt. Alphonſus XI. Hiſpaniarum Rex, cum jam arces plurimas armorum vi, ſceptro ſuo adjecturus eſſet, herbam victricem peſtilentię porrexit. Michaëli Mauroceno Duci Venetorum, ab hujus inſidiis ne in proprio quidē palatio cavere conceſſum eſt. Conſtantino quoq; Imperatori cum conjuge hunc vitæ terminū fuiſſe fatalem prodiderunt. Ioannem Ziſcam Bohœmum ac Huſſitanorum Ducem, dū omnibus ſuis hoſtibus terrori, vel nomine tenus, eſſet maximo, in momento

ſcena immutata à Peſte abreptũ ſuis mœrori eſſe cœpiſſe domeſticis Æneas Sylvius teſtatus eſt.

Quàm verò præſtantiſſimorum quorumvis ingeniorum omniq; perfectionis genere cumulatorum hac in parte putamus eſſe prærogativam? planè nullam. Poëta Oppianus in arte quam de venatione & piſcatura, ut omnibus numeris abſolutam ſic carmine deſcripſit elegantiſſimo, indeq; non vulgaria præmia ab Imperatore retulit: dum hujus feræ non dico domandæ, ſe tantùm à finibus ſuis fugandæ modum ac rationẽ præteriiſſet, ab ea ipſo miſerè dilaniatus eſt. *Viri literati. Poëta.*

Subtilitas Palladij & Xantippi philoſophorum non eò uſq; ſe propagavit, ut hujus hoſtis technas amoliri & præcavere potuerit. Nec juvit Ioannem Andreãrũ prudentum juris reſponſa in primis calluiſſe, eò quod impar nimis illi cum atroce adverſario decertatio incubuit. Nec juvit Hermolaum Barbarum ſcientiam varietas, qua omnibus maximę extitit admirationi. Alexiteria Conradi Geſneri Medici Tygurini, quæ callebat & habebat varia, in peſtis aſſultibus ipſum deſtituerunt. Hic ſiquidem Geſnerus, quem ob cumulum multiplicis eruditionis in ipſo reſidentis coacerva- *Philoſophi. Iuriſconſulti, peſte occubuerunt. Hermolaus Barbarus. Conradus Geſnerus.*

cervatum, Germaniæ Plinium meritò nominare poſſis: poſtquam nocte præcedente ſe ſerpentis ictu vulneratū ſomniaſſet, hujusq; ſomnij veriſſimus interpres ipſe extitiſſet, dicens ſe anthrace peſtilentiali correptum iri: paucis poſt dieb. anthrace in ſiniſtra mamilla, quinto ante ejus obitum die apparente, ex hac miſeriarum valle ereptus eſt, 13. Novemb. anno 1565.

Quod ſi aliqua ſaltem ratione hujus mali furias demulcere datum mortalibus eſſet, virtus profectò morumq; probitas, ac vitæ ſanctimonia, an non in hoc ordine primas obtinerent? Nullum ſanè hac de re dubium apud quenquam eſſe arbitror. Verùm enim verò occulto ac imperſcrutabili decreto non raró videmus hanc cladem à domo Dei incipere. In cujus quidem confirmationem exemplum quo vix putamus ex cunctis hiſtoriarū momentis erui poſſe illuſtrius allegabimus. S. Ludovici Galliarum Regis. Sanctus hic ſiquidem ac Chriſtianus Rex, in obſidione Thunenſi anno 1270. die 25. Auguſti unà cum filiolo, à peſte obſeſſus, placidè in Domino obdormiſcens, hanc mortalem domum ejus tyrannidi tradidit.

*S. Ludovicus.*

Ac licet quàm plurima alia à nobis adduci poſſint exempla ſimilia, tamen brevi

perſpi-

perſpicuitati, quantum in nobis eſt ſtudentes, pro concluſione hujus capitis ſubjeciſſe ſufficiat, ea quæ Thucydides, Galenus, Lucretius, & Manilius narrant accidiſſe iis, qui è magna illa Athenienſium Peſte evaſeruut. Videlicet quòd inter alia ſympomata ac cicatrices, quas poſt cruentam illam victoriam circumferre cogebantur, iſthæc fuerint: tanta vibelicet præteritorum (quæ reliquarum animalis facultatis potentiarum haud exiguam debilitationem neceſſario arguebat) oblivio: ut eorum quidam ne parentes quidem proprios agnoſcerent, ne dum amicos & vicinos alij inſuper proprij etiam nominis obliviſcerentur, alij præterea viſu privarentur. Alij paralyſi manuum corriperentur: alij generandi organis orbarentur. In aliquibus verò dicti veneni tantæ ſe manifeſtabant reliquæ, ut lymphaticorum inſtar ac ratione carentium, per plateas & vicos diſcurrerent. Unde ſanè manifeſtum evadit, hoc peſtes venenum quandoq; non ſolùm vitalem, ſed & animalem ſimul oppugnare facultatem. Cujus quidem obſervatio, in abſtruſiorum peſtis cauſarum peritiore inquiſitione reſervatur.

*Variæ ac diverſæ peſtis efficientes cauſæ: externæ & internæ, antecedentes & conjunctæ: item de peſte cœleſti brevis enucleatio ſuſcipitur.*

## CAP. V.

QVAM plurimi philoſophorum non minus doctrina quàm authoritate graves, ſapienter ſanè atq; judicioſe hanc rerum univerſitatem in duos diviſere globos, ſuperiorem videlicet & inferiorem: illum æetherea regione comprehenſum appellantes cœleſtem, hunc verò elementarem. Simul & mirabilem illam inter utrumq; harmoniá, ſeu συμπάθειαν eò usq; propagarunt, ut omnium quæ in inferiori hoc globo conſpiciuntur, archetypum in ſuperiori reperi, conſtanter docerent: differentia in ſolo perfectionis gradu collocatâ. Nullus enim dubitat quin cœleſtia elementaribus ſpiritualia magis & formalia, hæc verò illis magis ſint materialia & corporea. Cùm verò hac de materia in aliis noſtris operibus, tum ex profeſſo lib. 2. magni ſpeculi mundi egerimus: hoc loco τὸ ὅτι indigitaſſe ſufficiet, ſimul facta mentione eorũ, qui hanc præ cæteris illuſtraſſe ſpeculationem videntur: Ut ſunt magnus ille licet obſcurus Hermes

*Mundi in duas ſphæras ſive globos diviſio.*

*Vnde prædicta diviſio depromatur.*

Hermes Triſmegiſtus, in tabula ſua ſmaragdina: Ioannes Picus Mirandula in ſuis Hepta. Franciſcus Georgius Venetus in harmonia mundi. In primis verò Marſilius Ficinus oculatiſſimus ille Platonis interpres in commentariis quos ſcripſit in Timæum.

Ad hujus mundanæ diviſionis imitationem, nos quoque peſtem dividemus in cœleſtem, ſic dictam, quod cauſæ ejus efficientes magis ſubtiles & ſpirituales eo ipſo originem ſubliniiorem arguere videantur: & Elementarem, ut pote cujus cauſæ prioribus magis corporeæ ac materiales, ſicq; minus obſcuræ ſeu occultæ nobis exiſtant. Ac cœleſtium quidem peſtilentiarum cauſæ ab Aſtrologis, teſte Cardano lib. 2. de venenis, collocantur in planetarum conjunctionibus ac aſpectibus ſiniſtris, exempli gratia Iovis & Saturni: item Martis, Iovis & Saturni: Martis & Saturni, aut Iovis & Martis: ſiq; fiat ſub ſignis, aëris, puta aquarij, libræ, ſcorpionis, vel etiam ſub gemnis, & virgine, ecclypſi ſimul Solis aut Lunæ ſuperveniente. Tunc enim ajunt præſentiſſimam ac maximam portendi peſtem: *Tanquam fatali ac deſtinata mundi lege: conſcia enim fatorum ab eis habentur ſydera.*

*Peſtis in cœleſtem & Elementarē diviſio.*

*Unde peſtes cœleſtes exoriuntur.*

*Vtrum corporum cœleſtium influentia aliquid poßit in hac inferiora.*

Non tamen omnes in hanc pedibus eunt ſententiam: quibuſdam ſyderum cœleſtium vim ac influentiam in elementis terminari, mordicus defendentibus, hocq; Achillæo clypeo ſententiam ſuam munientibus: ſydera videlicet ad creaturarum rationalium potiùs bonum qáum detrimentum condita eſſe. Nos regia quodammodo, hoc eſt, media via incedentes, ab una parte ſtatuimus: ſyderibus in creaturas rationales abſolutam nullam potentiam à Creatore conceſſam eſſe: à parte verò adverſa experientia edocti ſumus, Aſtrologiæ, hoc eſt ſyderum curſus notitiam bono Medico haud ſanè levia adferre in præſapiendo ſubſidia. Hac ſiquidem mediante, magnus ille Hippocrates peſtilentias alioſq; epidemios morbos plures perdixit, diſcipuloſq; ſuos, ſimul atq; graviùs hoc malum prævidit, huc illuc per univerſam Græciam in mortalium ſolatium ablegavit.

*Cœleſtium corporum virtus in hæc inferiora.*

Quotidiana ſanè experientia ex qua verè oculares demonſtrationes deſumuntur, cœleſtium corporum in hæc inferiora dominium luce meridiana clariùs evincit, cum illius opera dignoſcamus, tum *aquas* ex affluxu & refluxu maris ſecundū communem opinionem ab influentia Lunari depen-

dependere, tum terræ ſementationem, plantationem, ac arborum ædificationi ſervientium cæſionem, ſecundum Lunæ quadra inſtituendas: tum cerebellorum ac medullarum plenitudinem in pleniluniis manifeſtari, tum deniq; *ſacros illos morbos* (qualis Epilepſia, unde & Lunaticus morbus à multis dicitur) in ſuis paroxyſmis, Lunæ motum obſervare.

Quemadmodum igitur ambigere de certis corporum cœleſtium in hæc inferiora, non tantùm noſtra, ſed etiam elementaria influentiis, doctorum ſe exponere foret ludibrio: ſic quoq; ab eorum nutu ſeu motu, omnes ſublunares, tum actiones, tanquam ex neceſſaria quadam fatorum lege, ad plurimorum aſtrologorum imitationem ſuſpendere, ut vanitate ac errore, etiam Ethnicorum judicio non caret, ſic ſanè Chriſtianæ religionis fundamenta everteret.

Noſtro itaq; ſi credatur conſilio, melior longè ac tutior ratio fuerit, peſtilentiarum cœleſtium æthearearum ac deſuper deſcendentium, (queq; cum ſpirituales planè exiſtant, velocitate ſua ſumma, ſæpe nobis in utramq; aurem ſecurè dormientibus, alterutram vellicant) cauſas non tam in cœleſtibus influentiis, quam in *Auctoris pium de propoſita quæſtione judicium.*

ejus arbitrio collocare, qui fons & origo eſt omnis influentiæ, hoc eſt, Dei Optimi Maximi; à quo etiam ad peccata noſtra, & viſitandas iniquitates demittuntur. Hæc eſt cauſa principalis, quæque ab omnibus agnoſcitur, peſtis illius, qua David in S. Scripturis uſitatus legitur: ut & Ægyptiacæ ob pertinaciam regis Pharaonis, univerſo ejus regno, populo Iſraëlitico excepto, inflictæ, eò quod populum Dei dimittere detrectaret ut conſtat Exod. cap. 9. Multò verò magis illius, quam refert Euſebius hiſtoriæ ſuæ Eccleſiaſticæ libro 9. capite 8. quæque in omnes indifferenter idololatras ac paganos, Chriſtianorum planè intacta Eccleſia deſævit. Ex quo poſteriori exemplo, tanquam ſigno pathognomonico, Divina planè talium peſtilentiarum ſcaturigo elicitur. Atq; hanc quidem cauſam, ingenuè fatendum eſt, verè eſſe occultam, ac intellectus humani etiam illuminatiſſimi diſcurſum ac capacitatem tranſcendentem. Id quod in multorum Chriſtianorum philoſophorum perpetuum opprobrium, Hippocrates ipſe, licet Chriſtiana veritate colluſtratos oculos non haberet, vidit ac ingenuè faſſus eſt: dum in pluribus talibus malis ut peſte & Epilepſia, τὸ θεῖον, id eſt, divinũ ac

*Peſtium à Deo immiſſarum diverſa exempla.*

*Hippocrates cauſas quaſdam divinas peſtium agnoſcit.*

ac intellectum humanum tranſcendens quid latere, infinitis in locis profitetur. Licet Galenus, prout erat præceptore ambitioſior, hanc vocem ad ſolam aëris conſtitutionem & qualitates retulerit.

Ex dictis ergo patet ſiniſtrum ſyderum cœleſtium aſpectum, indeq; ortam influentiam, ſeu potius Dei omnipotentem manum, morborum horum communium ac peſtilentialium efficientem cauſam ſtatuendam eſſe: licet non ſemper agat immediatè Dominus, ſed quandoq; cauſa communi interveniente, videlicet aëre, quem fatali quadem neceſſitate inſpirant omnes. Hippocrates lib. de flatib. hanc cauſam proximam probè agnovit, dum inquit, *Aër quippe in omnibus quæ corpori accidunt author eſt & Dominus.* Idem quoq; Hippocrates poſt declaratam in conſervatione omnium viventium ac præcipuè hominum, hujus, ut vocat ſpiritus, excellentiam, ſubjungit. *Subijciam igitur mox & illud, quod non aliunde veriſimile ſit morbos evenire, quàm inde, ſi is aut plus, aut minus, aut cumulatior, aut morbidis ſordibus inquinatus, in corpus ſeſe ingerat.* Galenus verò, ne magiſtro ſuo forſan videretur inferior, inſuper ſtatuit, aërem quoq; omnis generis peſtilentiarum authorem eſſe, primo

*Qaunta ſit aëris in corpora noſtra virtus & potentia.*

libro de differ. morb. capite quinto, ſic
,, ſcribens: *Peſtilentem febrem* (vel peſtem)
,, *inſpiratione conſtat contrahi. Aër enim cùm*
,, *naturæ exiſtat volatilis ac totaliter ſpiritualis*
,, *corpora poroſa, aërea, ac ſpritualia, ſive bo-*
,, *na, ſive mala, ſalubria, vel inſalubria, fuerint,*
,, *pari ſubtilitate permeat ac facilitate.* Ac prout ad ejus ſpiritualitatem propius acceſſerint, cùm iis faciliùs incorporatur, ac quaſi unum corpus mixtum evadit. Cujus quidem rei fundamentum in eo querendum eſt, quod philoſophi ajunt, ſimile ſimili gaudet: ſicq; ſubtile alteri ſubtili, ſpirituale alteri ſpirituali (ſecundum illud in ſcholis tritum, ſimilia ſimilib. nutriuntur) facilè conjungitur ac informatur. Hinc quoq; videmus dictum aërem non tantum in noſtri corporis ſpiritus tranſmutari, verum etiam eoſdem, totumq; noſtrum corpus mira celeritate immutare, (prout fert contrariorum pariter ſe habentium natura) ubi ſemel ille aliunde alteratus, ac peregrina imbutus qualitate fuerit.

Verum ne diutius in hac re probanda immorari, ac eandem quodammodo recoquere cramben videamur, rationibus miſſis benevolum lectorem relegamus ad loca Aëtij tetra. 2. ſerm. 1. cap. 94. & Æginetæ

ginetæ lib. 2. cap. 35. ubi de morbis popularibus ac peſtilentialibus ſermone inſtituto, omnia quæ à nobis modo dicta ſunt aëri tribuere non verentur.

Concludamus igitur, Deum ubi genus humanum peſtilentia aut alia aliqua extraordinaria viſitare via decreverit, pro beneplacito voluntatis ſuæ ac judicio imperſcrutabili, varie ac diverſimode cauſas ſecundas, in quorum etiam numero ſyderum reponimus adſpectus ſiniſtros uſurpare. Quorum quidem ſyderium notitiam Deus ideo ſapientibus quibuſdam conceſſit, ut inde imminentia populo mala prædicendo, ipſumq; ad pœnitentiam tanquam unicum ac verum in talibus morbis remedium deducendo, à ſolius omnipotentis miſericordia, horum, ut omnium aliorum morborum, veram ac ſolidam dependere curationem edoceant.

*Deus ſyderũ influxu & aëris corruptione ad peſtes immitẽdas utitur.*

Occurrit in præſentia memoria magnæ illius conjunctionis duorum ſupremorum planetarum Saturni videlicet & Iovis factæ 1584. prima Martij, idq; die Dominica hora duodecima: quam tantus continuo excepit terræ motus, ut præ ingenti turrium concuſſione ac quodammodo vibratione, ſuſpenſæ in ipſarum ſummitatibus campanæ reſonarent quàm pluri-

*Hiſtoria ingentis cujuſdam terræ motus qui in Gallia pridem accidit, à Leovicio ante prædictus.*

plurimæ: ſiq; motus hic quartam concuſſionem ſuperaſſet, nihil aliud quàm univerſalis ædificiorum ruina expectari poterat. Verum ut ſemel impetum ſuum, ſecundum terræ longitudinem ac latitudinem (repertis videlicet occultis meatibus) ad centum fermè milliaria extendiſſet, poſt ternam aut quartam concuſſionem evanuit. Cumq; Leovicius hanc conjunctionem magnam quandam ſubſecuturam immutationem prædixiſſet, mihi in ſcriptis ejus ſatis verſato, ac ſub ipſum dictæ diei meridiem, quidnam futurum eſſet avidè expectanti, duplo profecto quàm aliis metus major incuſſus eſt.

*Terræ motũ prædictum peſtis, fames, nec non bella Galliæ civilia exceperunt.*

Fecit hujus terræ motũs mentionem liber 4. magni mei ſpeculi mũdani. Paucis vero poſt annis, tanta pariter fames ac peſtis in diverſis climatibus ac regionibus mortales invaſerunt, ut nihil ſub ſole miſerabilius conſpici potuerit. Neq; hi ſoli conjunctionis hujus extitere fructus, verum inde forſan & bella inteſtina Galliam noſtram quàm miſerrimè dilacerarunt.

*Ariſtotelis circa adſpectus ſyderum ſententia.*

Ariſtoteli quoque ſiniſtri plane ac ominoſi, ſupremorum horum duorum planetarum conjunctionis affectus probe cogniti fuerunt, dum ſcribit: *Coitione Iovis & Saturni regum principatus oppreſſum iri, arſuramq; peſtilentiam.*

Ad

Ad majorem ſententiæ noſtræ confirmationē ex ſupra dictis non minus quàm ex ſententia Ariſtotelis, hæc vera ex planetarum conjunctione elicere poſſumus corollaria: videlicet quotieſcunq; *Iupiter & Mars, aut Iupiter, Mars & Saturnus conjunguntur: univerſales planè integraq; deſolantes regna ſubſequi ſolere peſtilentias.* Ac talis quidem illa fuit, quæ ſub imperio Marci Antonini poſt conjunctionem Martis & Saturni, univerſam Babyloniam, Græciam & Italiam concuſſit.

Sequentibus poſt conjunctionem hanc ſæculis, morbus ille deteſtandus (quem multi à populis, qui priores ipſo laborarunt, Neapolitanum: ego à communicationis modo omnium frequentiſſimo, *Luem Veneream* appellandam puto) in Galliam noſtram ex Italia, ſub Carolo videlicet VIII. dimanavit.

*Quo tempore Lues Venerea Gallias infeſtavit.*

Quæ ſi vera ſunt, minus multo mirandum fuerit, ſi tales conjunctiones ipſi quoq; aëri venenoſas ac peſtilentes imprimere dicamus qualitates, aëri inquam, regionum directæ earum influentiæ magis ſubjacentium. Cujus vel in utroq; tum ſolſtitio tum æquinoctio manifeſta ſatis nobis patent exempla: ſimiliterq; in Pleiadum, Hyadum, Caniculæ, Arcturi,

Orionis,

Orionis, aliorumq; cœleſtium ſyderum, cum Sole vel invicem facta conjunctione nec non in receſſu, ortuq; vel occaſu eorundem.

*Diverſæ ſyderum conſtellationes quantum aëri poßint vel officiãt, diverſis poſitionibus eorundem illuſtratur.*

Atq; ut hæc breviter & in compendium quodammodo contracta, exemplo Zenonis in palmam dilatemus: cui vel ruſticorum ignotum eſſe poteſt circa 21. & 22. Martij ſtylo novo diem, Sole calidum Arietis ſignum ingrediente, ac Pegaſo ſimul oriente, coſmicè, maximas ſimul aëris mutationes ſubſequi ſolere? Inter cæteras vero, tunc temporis terram, dum Sole incaleſcit, gremium ſuum ad varia naſcentia depromenda, ſtudioſè videmus diſponere, moxq; non modo camporum verum etiam ſtipatarum utrinq; montibus vallium hybernam veſtem grata commutare viriditate. Quam naturæ mutationem, non tantum collecta vina doliis incluſa, ac inprofundis caveis recondita. geſtiendo quaſi, ac longe licet ab igne remota, ebulliendo: verum & corporum noſtrorum turgentes humores, in variarum defluxionum ac morborum productione, tunc temporis ſatis commonſtrant.

Sub finem quoq; Aprilis & initium Maij, Sole ad frigidum ſydus Pleiadum, oculumq;

oculumq; Tauri vicinum appropinquante, terra novo quodammodo frigoris paroxiſmo ita quandoq; exhorreſcit, ut glaciei non obſcura conſpiciantur lineamenta.

Sic eodem Sole in ſigno Cancri Hyadibus vicino verſante, frequentes decidere pluviæ ſolent.

Ipſo vero calidum Leonis ſignum ſubintrante, nec non ad utramq; caniculam propius accedente, quis non ardoribus reſolvitur ſudoribuſq; diffluit? qua conjunctione durante, ut paulo ante & poſt caniculam, cum periculo corpora, utpote ſatis à circumiacente æſtu defatigata, purgari ab Hippocrate accepimus.

Arcturus & ſpica, quàm primum oriuntur heliacè, quod fieri ſolet 17. & 18. Septembris, Sole introitum meditante in Libram, ac ita æquinoctium autumnale conſtituente, continuæ quaſi contingere ſolent aëris mutationes, quæ omnia ipſo inferiora, aquam videlicet, terram, eorumque in colas in ſuum trahunt contagium.

Hinc humoribus corporis noſtri turbatis: á decimoquinto uſque ad 34. Septembris Aëtius à venæ ſectione, purgatione, ac violentiori exercitio abſtinendum ſuadet. Orion,

Orionis, aliorumq; cœleſtium ſyderum, cum Sole vel invicem facta conjunctione nec non in receſſu, ortuq; vel occaſu eorundem.

*Diverſæ ſyderum conſtellationes quantum aëri poſſint vel officiãt, diverſis poſitionibus eorundem illuſtratur.*

Atq; ut hæc breviter & in compendium quodammodo contracta, exemplo Zenonis in palmam dilatemus: cui vel ruſticorum ignotum eſſe poteſt circa 21. & 22. Martij ſtylo novo diem, Sole calidum Arietis ſignum ingrediente, ac Pegaſo ſimul oriente, coſmicè, maximas ſimul aëris mutationes ſubſequi ſolere? Inter cæteras vero, tunc temporis terram, dum Sole incaleſcit, gremium ſuum ad varia naſcentia depromenda, ſtudioſè videmus diſponere, moxq; non modo camporum verum etiam ſtipatarum utrinq; montibus vallium hybernam veſtem grata commutare viriditate. Quam naturæ mutationem, non tantum collecta vina doliis incluſa, ac inprofundis caveis recondita, geſtiendo quaſi, ac longe licet ab igne remota, ebulliendo: verum & corporum noſtrorum turgentes humores, in variarum defluxionum ac morborum productione, tunc temporis ſatis commonſtrant.

Sub finem quoq; Aprilis & initium Maij, Sole ad frigidum ſydus Pleiadum, oculumq;

oculumq; Tauri vicinum appropinquante, terra novo quodammodo frigoris paroxiſmo ita quandoq; exhorreſcit, ut glaciei non obſcura conſpiciantur lineamenta.

Sic eodem Sole in ſigno Cancri Hyadibus vicino verſante, frequentes decidere pluviæ ſolent.

Ipſo vero calidum Leonis ſignum ſubintrante, nec non ad utramq; caniculam propius accedente, quis non ardoribus reſolvitur ſudoribuſq; diffluit? qua conjunctione durante, ut paulo ante & poſt caniculam, cum periculo corpora, utpote ſatis à circumiacente æſtu defatigata, purgari ab Hippocrate accepimus.

Arcturus & ſpica, quàm primum oriuntur heliacè, quod fieri ſolet 17. & 18. Septembris, Sole introitum meditante in Libram, ac ita æquinoctium autumnale conſtituente, continuæ quaſi contingere ſolent aëris mutationes, quæ omnia ipſo inferiora, aquam videlicet, terram, eorumque incolas in ſuum trahunt contagium.

Hinc humoribus corporis noſtri turbatis: á decimoquinto uſque ad 34. Septembris Aëtius à venæ ſectione, purgatione, ac violentiori exercitio abſtinendum ſuadet. Orion,

Orion, Scopioni hoſti ſuo in fenſiſſimo oppoſitus, dum ſub finem Octobris & initium Novembris heliacè oritur, aſpectu ſuo mutabili ita plerumq; nautas conſternit, metuq; replet ut mari relicto in tutiori aliquo portu ſtationem quærant.

Sole Capricornum ingrediente ac occidente coſmicè, ſolſtitio videlicet hyberno, aëris regio frigoribus, pruinis, ac glacie rigere incipit: pariterq; corpora noſtra plurimis catarrhis, aliisq; defluxionibus ad vernum ferme æquinoctium uſque, teſte Paulo Ægineta libr. 1. de re Medica cap. 100. circumfluere ac gravari ſolent.

Ventorum quoq; ſubitas mutationes, qui non ſolum orbi, ſed etiam nobis, pro varia homorum diſpoſitione, regionumq; ſeu climatum ſitu, diverſas inferre alterationes non agnoſcat?

*Ventorum & aëris in diverſas regiones potentia.*

Hinc Lelai, ac Mytilenes inſularum incolæ flantibus Auſtris, certis quibuſdam morbis conflictantur: tuſſi vexantur flante Coro, eadem repente contrario flante Borea liberantur teſte Cælio lib. 2. cap. 8. lect. antiquar.

Bæoiti, non minus, quam Thraces, ob climatis ſui aërem craſſum ac impurum, ingenio ſunt ſtupido ac hebeti: quo alluſiſſe

ciſſe videtur Horatius dum canit,
*Bœotum craſſo jurares in aere natum.*

Atq; hactenus quidem dicta, tantum abeſt ut in Aſtrologiæ contemptum adferantur, quin potius ad laudem ejus & celebrationem cuncta collimant. Quotidiana ſatis confirmat, & futuris retro ſæculis confirmabit experientia, notabiles illas, quæ ab antiquis longe ſubtilius in aſtrorum cognitone quàm poſteri verſatis obſervatæ fuerunt, ſyderum conjunctiones, magnas ſecum inducere, tum temporum, tum aliarum in humanam vitam rerum mutationes. Prout teſtatur Hippocrates lib. 1. Epidem ſect. 1 2. 3. Item ſect. 1. lib. 2. ubi de 4. anni temporum conſtitutione in genere tractat. Sect. vero 3. lib. 3. Conſtitutionem aëris peſtilentis ex profeſſo deſcribens aſſerit, pleroſq; morbos Epidemios & peſtilentiales, ut ſunt dyſenteriæ, lienteriæ, febres ardentes, phreneſes, ophthalmiæ, ignes ſacri, carbŭculi, & bubones, qui plurimos peſte ſæviente infeſtant, ob ſymptomatum inſolitorum ac horribilium vehementiam, certas aſtrorum conſtellationes in primis reſpicere, cum à cauſis ordinariis taliũ morborum produci nequeant. Si igitur magno Hippocrati licuit ſive ſoli, proprij genij ac induſtriæ

*Diverſa morborum genera ab aſtrorum influentiis cauſari tradit Hippocrates.*

ſtriæ auſpicio, ſive anteceſſorum ſuorum inſtitutione, & quaſi manuductione, ex varia temporum conſtitutione ac aſtrorum influxu, ſæpe numero graviſſima futura mala prænunciare: quid vetat quo minus & hodierna die ſimilia mala à nobis, qui ſumus iiſdem præceptis imbuti, ac exemplis antiquitatis in ſententia confirmati, citra ullum errorem & impoſturam prædicentur?

En cauſas efficientes morborum ſuperiorum & cœleſtium, quas paulò altius perſcrutamur, in cœlo nimirum, unde conſequitur illarum ſcaturiginem procul à ſenſibus noſtris eſſe remotam. Hinc peſtes generales germinantur, quibus tanquam flagellis vindicibus divina juſtitia hominum ſcelera punire ſolet, ac contra quas nullum pharmacum eſt accommodatius, quàm in cinere & ſacco pœnitentiam agere, & cum vera cordis contritione & lachrymatum effuſione domum Dei, ad iram illius mitigandam, accedere.

Hujuſce rei nobis exemplum ſuppeditent vel ipſi olim Ethnici, qui lumine quodam naturæ in tam gravibus afflictionibus illuſtrati, precibus ac lachrymis veram & unicam parari medicinam: hiſce malis ſuſpicati, ad Idolorum ſuorum invocationem

onem ſolicitè ſe accingere conſueverant.

Id ſatis convincit magna illa peſtis, cujus eſt ſupra facta mentio, quæ Coſſ. Lucio Ebutio & Publio Servilio Romam exercuit, cum prius ab ingenti cœli rubore per multos dies præſagiretur. Subjicit namq; hiſtoria. *Supplicatum eſt omnibus templis, matres paſſim ſtratæ crinibus templa verrebant, cœleſtium irarum veniam pacemq́ʒ poſcentes.*

*Quodnam Romanorũ in peſtibus cœleſtibus conſilium.*

Idem quoq; patet ex alia peſte quæ contingit Coſſ. A. Cornelio Coſſo & T. Quintio Pœno, quæq; magnam ſiccitatem excepit: in hujus enim enarratione ſic adjungit Sabellicus. Hujus contagionis occaſione multa introducta eſt ſuperſtitio, ita ut non minus ſpiritus quàm corpora contaminarentur. Fiebant ſacrificia inuſitata in omnibus templis, viarum quadriviis ac ſuburbiis. Hinc ſacrificulorum numerus ſupra modum fuit adauctus, ita ut Senatus, edicto cavere cogeretur, ne in poſterum ſacrificiis ſolitis, ac ab antiquitate receptis, plura celebrarentur.

Fit quoq; non rarò apud timidam plebeculam, eosq́; in genere omnes qui tremenda hæc contagionum mala, non qua par eſt animi conſtantia ſuſtinent, ut cæca quadam liberationis ſpe ad media

*Qui ad magicas artes ſeſe convertunt improbantur.*

illicita, puta characteres, ſententias aliasq; magicas ceremonias, (quas tamen toto cordis affectu judicamus deteſtandas) ſe convertant. Cujus rei plura exempla, non ſolum apud Ethnicos contigiſſe legas, verùm etiam magno religionis noſtræ dedecore inter ipſos Chriſtianos.

*Superſtitiones Ethnicorum in peſte diverſis exemplis illuſtrantur.*

Scribit Diodorus, Ariſtæum quendam, filium Apollinis & Cyrenæ, Græcia à peſte vehementer afflicta, immolatis in inſula Chio victimis, ardores Syrii mitigaſſe: ac Eteſiis (ventis præ reliquis omnibus ſaluberrimis) adductis, Græciam à peſte liberaſſe.

*Jachen præſtigiatoris Ægyptii hiſtoria.*

Suidas quoq; meminit alicujus Ægyptii Jachen nomine, hominis ut ait religioſi utiliſque Reip. qui carminibus non ſolum variorum morborum ac ſymptomatum curam feliciter ſuſceperit, verum etiam iiſdem mediantibus Caniculæ ardores moderarit, ac Ægyptum à maxima peſte liberarit. Meminit idem autor, ſacrificulos Ægypti in quovis malo graviori, peractis prius in hujus Jachen templo ſacrificiis, poſtmodum igni ex altari ejus ſecum aſſumpto, rogos hinc inde per urbem incendere, ſicq; peſtem fugere, fuiſſe ſolitos.

Ecce deplorandam populi hujus ſuperſti-

perſtitionem, qua non mediocrem aſtruebat virtutem igni qui ex lampadibus coram altari dicti præſtigiatoris incenſis accendebantur: cum tamen id omne ad ſolam illam referri par eſſet ignium efficaciam, qui diverſis in locis urbis infectæ, ad corruptiones aëris abſumendas, extruebantur.

Acron quidam Agrigentinus, Empiricæ ſectæ coryphæus, id ipſum Plutarcho teſte, etiam ante Hippocratem in Athenarum urbe expertus fuerat, inq; talibus morbis plurium ignium accenſionem, pro ſingulari remedio prædicaverat.

Hippocrates quoq; idem teſtatus eſt, in magna illa peſte ex Æthiopia in Græciem tranſvecta, in qua præcipuum ejus conſilium erat ad tantam aëris corruptionem ablegandam, in omnibus Græciæ civitatibus quàmplurimos ignes accendendos eſſe.

*Ignibus per diverſa loca extructis Hippocrates peſtem Græcia ablegavit.*

Galenus fideliſſimus Hippocratis interpres, hanc de eodem teſtatur ſolertiam, lib. ſuo de Theriaca ad Piſonem: licet quidam hunc librum genium Galeni haud agnoſcere aſſerant. Neq; vero hoc incantatorum genus Chriſtiani luminis fulgore diſparuit, verum ut ex revolutione hiſtoriarum ſatis patet, vel ad hæc

*Venefici aliquando à Chriſtianis approbati.*

noſtra uſq; tempora, diabolica quadam traditione perduravit.

Refert Paulus Jovius, temporibus Papæ Adriani VI. peſtem Romæ graſſantem ſedatam fuiſſe incantationibus cujuſdam Demetrii circulatoris, qui populari fretus benevolentia, & pontificio decreto, ne quiſquam tunc temporis artes magicas in remedium adhiberet, refragatus, taurum quendam ferociſſimum in medium produxit, cui poſtquam cornua reſecuiſſet, & quibuſdam carminibus in aures immiſſis, ipſius ferociam ita edomuiſſet, ut per plateas urbis filo annexus circumduceretur, ac eum poſtea in Amphitheatro immolaſſet: in vulgi creduli mentes induxit ſe ipſum brevi à contagio liberaturum.

Gilbertus Cognatus lib. 8. narration. ſuarum, eandem hiſtoriam, licet circumſtantiis paululum immutatis recenſet: referens eam ad annum 1522. ac ſub finem ejus annectens, gubernatores ac Antiſtites populi Romani præcipuos, cùm propter ſuam ab urbe abſentiam, enormem hanc ſacrorum profanationem impedire non poſſent, poſt reditum ſuum, magum hunc carceribus incluſum pro meritis quidem tractandum decreviſſe: verùm tamen ipſo præ furore populi è ma-

nibus

nibus erepto, juſtitiæ alia ratione ſatisfactum non eſſe, quàm librorum quos habebat magicorum publica concrematione, ejuſq; in perpetuum exilium relegatione.

Verum enim vero qui Chriſti nomen profitemur, quoties peſtilentiæ, cœleſtis in primis, cujus cauſæ à nobis abſconditæ, & effectus ſunt pernicioſi, flagellis, ſicut & ſimilibus divinæ ultionis inſtrumentis, ob ſcelerum noſtrorum immanitatem corripimur: ad ſolius divinæ Miſericordiæ aram debemus confugere, in eaq; preces noſtras ardentes cum cinere & ſacco immolare, ne hoc præſtantius ullum alexipharmacum inveſtigare. *Vera peſtilentiæ cœleſtis remedia*

*Cauſæ efficientes, externæ & internæ, antecedentes & conjunctæ, peſtilentiarum elementarium & inferiorum.*

## CAP. VI.

Atque hactenus quidem de peſtilentia cœleſti ac ſuperiori à nobis appellata, ſatis ſuperq; quantum quidem per rei ipſius obſcuritatem, fixasq; cruces licuit, à nobis dictum videtur: ſequitur elementaris cujus, prout morbi nobis communioris cauſæ, ad intellectum humanum magis videntur proportionatæ.

*Quibus de rebus hoc in capite Auctor agere inſtituat.*

Ac licet harum elementarium peſtilentiarum, tam internæ, quàm externæ cauſæ adferri poſſe videantur quàm pluri-mæ: nos tamen præcipuarum ſelectione facta, reliquum ſtudium in Philoſophorum veterum ac recentium hac de re opinionibus trutinandis, ac quantum fieri poterit conciliandis, in primis verc in ſeligenda ex utriſq; ſaniore ſententia collocabimus.

Galenus lib. 2. de diff. febr. cap. 5. unanimi reliquorum dogmaticorum applauſu ſtipatus, omnem peſtem ex aëris putrefactione oriri contendit.

*Duobus modis aër poteſt contaminari. intrinſecus,*

Hæc vero aëris, ſive putrefactio, ſive ma-vis dicere, corruptio, cauſam habet vel intrinſecam, vel extrinſecam. Ac intrinſecam quidem, cùm non corrupti ſed craſſiores modò vapores ei permixti adſuetam ejus ventilationem impediunt, vel etiam ſi Auſtris continuò ſpirantibus à nativa temperie, ad exceſſivam humiditatem, omnis corruptionis matricem, delabatur.

*& extrinſecus.*

Extrinſecus verò aêr corrumpitur, putridis ac malignis terræ ac aquæ ei permixtis exhalationibus: quales ſunt cavernarum perpetuam quandam Mephitim & venenoſitatem ſpirantium. Item antrorũ, ſepulchrorum, puteorum, & ſimilium, quæ

quæ diutiùs occluſa, ſubitò poſtmodum ad aperta, incredibilem fœtorem expirant. Stagnantium quoq; aquarum marinarum & aliarum exhalationes. Quæ omnia & ſingula ut aërem nobis proximum coinquinant, ſic cum ejus uſu in reſpiratione carere non poſſimus, extrinſecæ peſtis cauſæ evadunt.

Teſte quoq; Aëtio & Ægineta, poſt magna prælia, ex cadaverum copia ſepultura carentium, aër tetris exhalationibus, tanquam inquinamentis pari ratione infectus, peſtis ſeminarium in loca circumjacentia diſpergit.

Avicennas tractans de cauſis corruptionis in genere, poſtquam earum quamplurimas in medium adduxiſſet, tandem hanc quoq; ſubjungit: ex lino videlicet & canabe in ſtagnantibus aquis (in quibus, ut certum quendam lentorem acquirant, magisq; evadant tractabilia, communiter macerari ſolent) putreſcentibus: tantum aëri communicari ſæpe fœtorem, tantamq; in eum diſſeminari putrilaginem, ut talibus in locis, hanc ſolam ob cauſam, peſtis non rarò graſſetur. *Stagnantes aquæ quomodo aërem inficiant.*

Ut verò de hiſce authorum opinionibus, citra gravioris in nos cenſuræ metum, judicium noſtrum interponamus: dicimus *Sententiæ prædictæ improbantur.*

dicimus eos qui principalem peſtis cauſam attribuunt corruptioni vel aëris, vel aquarum, vel etiam humorum intra corpora noſtra contentorum, licet ratione plane non deſtituantur: quæſtionis tamen ſcopum non attingere. Siquidem in ipſo quaſi limine offendentes (immemores illius axiomatis philoſophici, qui bene diſtinguit bene docet)neceſſarias ante omnia corruptionis diviſiones præmittendas omittunt. Simulq; ſpirituum Arſenicalium, Napellinorum & Aconitalium, nullam mentionem faciunt, qui tamen tùm inter ſe variè mixti, tum per ſe ſigillatim, peſtis contagium(id quod nulli corruptionis generi, hujuſmodi ſpiritibus deſtituto, contingit)excitare poſſunt.

*Rationibus.*

Si enim magnus fœtor ingentis quoq; corruptionis index exiſtit: quis major eſſe poteſt, quám latrinarum ac reliquarum, ad quas omnis generis ſordes confluere ſolent, cloacarum? Ab illis tamen peſtis non continuò excitatur, prout qui talia purgare loca ſolent, ſatis comprobant. Unde certè conſequitur, Peſtes, graviſſimam etiam,cæteris ſecluſis,corruptionem minus inferre poſſe.

Præterea quid quæſo Empyorum purè ſordidius? quid apoſtematis ſuppurati,

ac

ac diutius in corpore ſtabulantis odore, abominandum magis? quid ſphaceli & quidem mortificati exitio præſentius? In his verò peſtis abſcondita ſeminaria nullus unquam ineſſe docuit.

Ac ut exemplo magis familiari, omnibusq; noto, rem expediamus, nemo eorum qui peregrinando, ut plurium regnorum ac civitatum viderunt mores, ſic territorii ac loci cujuslibet obſervarunt commoda, ac incommoditates, nullus unquam horum viſus eſt, qui fœtori platearum Pariſienſium aliquem ſimilem ſubodoratus fuerit. Non minus verò hujus urbis incolis notum eſt, loca ſæpenumero circumjacentia peſtis contagio ipſa urbe longè gravius affligi. Cujus rationem multi Medici hanc reddere auſi fuerunt, prædictam nimirum platearum corruptionem ſeu putredinem incolis familiarem, aëris corruptioni contagioſæ fugandæ exiſtere idoneam. *Exemplis.*

Quin & ſæpius audiviſſe me memini, in urbe Calete, tempore perfumationis halecum incredibili fœtore conjunctæ, urbem ſæpenumero â peſtis quo tenebatur contagio eſſe liberatam.

Placet huc conferre ſimilem locum ex Alexandri Benedicti lib. de febre peſtilenti,

ti, ſub finem cap. 6. ſcribentis, *Silentio hic præterire non poſſum, exemplum hoc, noſtro maximè tempore commemoratione dignum, ab opulento quodam Cretenſi Mercatore mihi relatum. Ipſo nimirum in Turcia negociante, ſæviſſimam obortam fuiſſe peſtem, cui cùm diu nullis reſiſti conſiliis potuiſſet; tandem cujuſdam Medici inter Sarmatas habitantis ſuaſu, quàm plurimos occiſos priùs canes cùm in plateas ejeciſſent, ingentem paulò poſt ex cadaveribus ipſorum prodeuntem putredinem ac fœtorem, peſtem, ferociſſimam licet, facile abegiſſe: quam quidem conſuetudinem in hodiernum uſq; diem apud Sarmatas ſartam inviolatamq; ajunt ſervari.*

*Mirum peſtis abigendæ conſiliū.*

Putredo ſiquidem in dictorum canum cadaveribus concepta, in aërem exhalans, ejus corruptionem animantium generi mortiferam neceſſariò immutat. Cujus quidem immutationis diſcordia ac diſſimilitudo rerum, cauſa exiſtit. Unde & unum venenum ſæpe fugare alterum, proculq; abigere obſervamus. Quod & ipſum inſignis quidam naturæ perſcrutator Zoar nomine, referente Benedicto, conſtanter affirmat.

Nos tamen, ut quod ſentimus liberè profiteamur, horum philoſophorum explicationi, ut ex parte erroneæ, ſuffragari planè

planè non poſſumus. Ut enim ſi malum malo addideris, ſic etiam ſi venenum veneno miſcueris, nunquam reſultabit bonum vel ſalutare.

Ut taceam hoc loco, licet corruptiones dictas, quas illi abigere peſtem contendunt, ad ipſam producendam ſolas judicemus impares: tamen cæteris paribus ad eam ſubtilitatem elevari poſſunt, ut contagium potiùs promoveant, quàm ejus inhibeant curſum.

*Quænam ſit propria peſtis elementaris cauſa.*

Quocirca, vera cauſa peſtis efficiens ſimplici corruptioni adſcribi, nec debet nec poteſt, ſed ſoli corruptioni venenatæ ac mortiferæ, ſeu ſi dicere malis corruptioni ſpiritibus venenatis, mortiferis, malignis, Arſenicalibus, Napellinis, ac Aconitalibus, ac in ſumma talibus, qui ſalutaribus ac vitali nectare plenis ſpiritibus naturalibus è diametro adverſantur, concomitatæ. Hi namq; ſpiritus, ut ſimile ſimili, ob ſubtilitatem ſuam, ac tenuitatem ſummam ipſi quoq; aëri facilè ac perfectè miſcentur: aër verò inſpiratione ac tranſpiratione, per os, nares aures, totumq; corporis habitum undiquaq; pervium, interiora ſubiens, dictis ſpiritibus vehiculi loco ſubſtratus, ac ſpiritibus noſtris permixtus, eos facilè inficit & contaminat,

è qua

è qua demum infectione peſtis ipſa procreatur, ut ſuperius patuit.

Poſt aërem, aqua quoq; corpus molle & liquidum impreſſionibus talium peſtilentialium ac lethalium ſpirituum ſuſcipiendis, non minus accommodum exiſtit vehiculum.

Quin &, ut jam ſupra à nobis demonſtratum eſt, ut alia plura reperiuntur (ſi modò rara fuerint, mollia, ac ſpongioſa) magis terreſtria, qualia ſunt lana lanæq; veſtes, lintea, coria, pelles, chartacea omnia, ac ſtraminea: in quibus hi ſpiritus, longiſſimo etiam tempore, tanquam in fomite deliteſcere poſſunt.

Ac ut uno verbo quod ſentio dicam, rei hujus in tam edito ac illuſtri loco collocata eſt veritas, ut de ea dubitare proprii accuſare ſit lumen judicii.

*Aquæ veneno corruptæ peſtem aliquando inducunt.*

Quin & Aretæus, anima Hippocratis à doctis non immeritò appellatus, aquas publicas veneno, & quidem peſtilentiali, inficiendi conſuetudinem apud Græcos uſitatam ſatis declarat, dum ait: *Quocirca neq; à ratione alienum fuit, in peſtilentia quæ Athenas tam graviter afflixit, nonnullorum opinio exiſtimantium, in puteos Pyræi à Peloponenſibus venena fuiſſe conjecta: homines enim peſtilentis morbi cum lethalibus medicamentis*

*mentis ſimilitudinem ignorabant.* Rationi ab Aretæo allatæ Galenus ipſemet ſubſcribit, dicens: *Talem vim peſti ineſſe, qualis in deleteriis medicamentis ineſt.* Ac fermè univerſa doctorum cohors unanimiter aſſeverat, peſtilentiale venenum non modò ſimilitudinem, verùm & identitatem cum beſtiarum virulentarum veneno habere. Unde & Galenus utrumq; venenum eodem Alexipharmaci ſeu Antidoti genere, Theriaca videlicet, ac Bolo oppugnabat.

Ex Æmilii quoq; loco hæc Aretæi ſententia non parum ſtabilitur, qui ſic habet: Anno 1320, regnante Philippo Longo, Rege Franciæ, peſtis quædam maxima ac extraordinaria Galliam afflixit, fraudeq; humana (addit) potius quâm vitio cœli, ita ut numinis vi crederetur id malum ſævire. Additq; Judæos priùs à Philippo dicto Pulchro, in exilium expulſos, brevi verò poſt à filio ejus Ludovico Hutino in integrum reſtitutos, partim ut præteritarum injuriarum vindictam inirent, partim etiam ut Satrapis & Regibus Saracenorum, fidei Chriſtianæ hoſtibus capitalib. obtemperarent, eò fuiſſe impulſos: ut leproſis quibuſdam, oſtiatim ac vicatim eleemoſynam colligentibus ad id conductis, omnes quoſcunq; pertranſirent, puteos

*Putei Galliæ à Judæis veneno infecti peſtilentiam procreant.*

lethali

lethali ac peſtifero veneno infici curarent. Quo facto tanta aquarum ſubſequuta eſt univerſalis corruptio, ut contagii cauſa in hac deliteſcere meritò judicaretur. Id quod ex Judæorum & Leproſorum confeſſione, quæſtionibus & aculeis extorta, ſatis patuit.

*Quod veneficorum maleficiis aliquando contrahatur peſtilentia.*

Peſtis verò contagium non modò mediantibus aëre & aquis, rebus quodammodo univerſalibus, aliisq; magis particularibus, puta veſtimentis, linteis, reliquiſq; mobilibus peſtiferorum attrectatione inquinatis, contrahitur: verùm à deteſtandis malè feriatorum quorumdam hominum, quos veneficos vocamus, ingeniis artibuſq; diabolicis, quarum medio certa quædam in unguenti formam contemperare venena, eademq; portarum cornicibus affricare conſueverunt, ita ut qui eas vel leviter attigerit, ſubtili hoc veneno ſtatim per cutis poros, & arteriarum extremitates, vehiculo diaſtoles, quæ vectoris vicem ſubit, ad cor ipſum uſq; penetrante, peſte ſtatim corripiatur: cui vix ullum humana induſtria adhiberi poteſt remedium.

Ipſe quoq; in Sabaudia, & quibuſdam Helvetiæ locis qui undique editiſſimis montibus circumvallantur degens, ac inter

ter alios Medicos in cognitione ſimplicium probè verſatos evocatus, ad dijudicationem quarundam herbarum, quibus loca illa ſcatent, non tantùm à veneficis, ad homines ac beſtias necandas, verùm etiam ad peſtem tum generandam, tum ad ejus contagium evitandum adhibitarum confeſſionem horum veneficorum judicibus factam, cum aliis meis Collegis veram animadverti. Hacili confeſſione ſe à diabolo edoctos fatebantur, ut expreſſos Napelli & Aconiti, probeq; permixtos invicem ſuccos aliis quibuſdam venenis (quorum hoc loco mentionem facere, ut à propoſito noſtro alienum, ſic minimè foret conſultum) pernicioſiſſimis admiſcerent, iiſq; ſecundum artem uterentur. Antidoti verò loco præſtantiſſima quæ habemus Alexipharmaca, ab eodem Dæmone ſe accepiſſe omnes ſumma cum admiratione audivimus. Id verò ſatis ſuperq; Judices certiores faciebat, malignos ſpiritus non imaginatione tenus, ſed revera, quam ipſa confirmaret experientia, mortiferas id genus mixtiones veneficos iſtos docuiſſe: cùm homines imperiti, & è media plebe mulierculæ maleficis artibus addictæ, per ſolam imaginati-

*Quod revera venefici venena miſceant.*

ginati-

ginationem & phantaſiam, tam lethifera cognoſcere venena & ſpecifica alexicaca nunquam potuerint, in hac porro indubia magis ac magis confirmatus ſum multis ac variis modis ſententia, poſtquam ulteriore veritatis ſolius indagatione pellectus, infinitos ferè veneficorum judiciales proceſſus evolvi, in quibus omnibus, miram vidi conſonantiam. Qua procul dubio conſtitit, me non temerè peſtis venenum potiùs qualitati cuidam Napellum ac Aconitum, quod à nullo fermè veneficorum hæc oblita ſint, naturæ ſimilitudine referenti: quàm nudæ exquiſitæ licet, aëris corruptioni tribuiſſe.

*Qua ratione Napellus & Aconitum peſtem producant.*

Dico autem (ne quis dicta mea in calumniam inducat) venenum quod analogiam cum Napello & Aconito habeat: non verò quod ipſe Napellus aut Aconitum realiter ac immediatè (quod eſſet abſurdum) peſtiferas omnes infectiones inducat. Hac ſiquidem ratione ſequeretur, tum regiones & plagas his venenatis plantis carentes, tum iiſdem quodammodo refertas: illas quidem nullas prorſus, has verò continuas peſtilentias experiri. Hujus quippe rei vel ipſa experientia ſatis falſitatem convincit. Similitudo verò quam lues peſtifera habet cum Napello, præ reliquis videtur inſignior: utpote quod pe-

ſtis inſtar, ſingulari quadam velocitate, tam homines quàm beſtias necare ſolet.

His addé quod dicta hæc venena minimè qualitate agant manifeſta, puta calore intenſiore, cauſtico ac adurente, vel ſtupefaciente frigore, ſed potius occulta, maligna, aut uno verbo dicam, qualitate peſtilentiali: ut pote quæ non aliter quàm per ſolos concipi effectus, ut & ipſius peſtis contagium, poteſt. Qua ſola effectuum ſimilitudine peſtis venenum Napellinum & Aconitale dicimus. *Qua ratione agant venena ſupra dicta.*

Cùm igitur in Medicina noſtra nihil communius exiſtat, quàm varias rerum, ac inprimis humorum qualitates nuncupare à ſimilitudine effectuum (ut caloris vel alterius cujuſdam accidentis) quam cum aliis rebus habent: id quod vel ex ſola bile flava ſatis innoteſcit, quam variè corruptam modò æruginoſam, modò porraceam nominamus, cùm peſtis ad Arſenici, Aconiti & Napelli quàm proximè accedat effectus: quis tam iniquus rerum judex nos, in hiſce denominationibus introducendis, potius novitatis ſtudio, quàm veritatis clarius proponendæ amore ductos, calumniari non verebitur? *Cur venena quædam Aconitalia & Napellina author nominaverit.*

Ut autem magis ac magis ordinem horum inter ſe venenorum & proportio-

nem inſinuemus: juvat Theophraſti ſententiam hîc loci producere, qui quidem ait lib. 9. de plantis capite 19. Quod radix Thelyphonii herbæ, quæ aliis ſcorpio dicitur, ut ſcorpionem ad vivum repræſentat, ſic eidem impoſita ipſum momento quaſi enecet, licet poſtmodum ſi Helleboro albo fricetur, rurſus ille quodammodo reviviſcat. Similiterq; illud de eadem planta aſſerit, quod ſi ejuſdem vel ſola folia, viginti quatuor horarum ſpacio, teſticulis animantium applicentur, eoſdem interimat. Quidni ergo vice verſa in iis quæ propria experientia talem aliquam harmoniam, ſimilitudinem, ac analogiam referre obſervavimus, pari ratione doctam antiquitatem imitando, mutua non utemur denominatione? Plinius lib. 27. cap. 1. de Aconito Parthalianche poſt Theophraſtum in ſequentem ſcribit ſententiam. Qui ergo ſolicitæ antiquitatis labor ac diligentia, qua par eſt obſervatione non coletur, in exploranda Aconitorum natu-

*Quomodo venenum peſtiferum Arſenicali & aliis comparetur.*

*Quantum ſit Aconiti venenum*

" ra, quæ mira celeritate, ſolo videlicet con-
" tactu animantium genitalibus applicata
" enecant? Quin & odore ipſius glires (un-
" de & Myoctonon Aconitum dicitur) peri-
" muntur.
"

Cum verò peſtis majori adhuc violentia

tia ac ſubtilitate ( utpote quæ ipſos homines ac reliqua animantia non ſolùm contactu, verùm & odoratu ſolo, & aſpectu, è longinquo ferire ſolet ) venenum præcedat :nihil erit abſurdi, ſi ob actionis ſimilitudinem, eandem Aconiti denominatione exprimamus.

Sagax verò ac provida natura malignitatem ejuſdem Napelli, quod Aconiteli longè ſubtilius agit & velocius, hieroglyphico veluti calamo ad vivum expreſſit, dum in floribus ejus cranii humani ſive mortis figuram expreſſit. Ac licet integra planta ſubtili hoc veneno ſit perfuſa, radix tamen reliquas partes malignitate longè ſuperat: quia vel exterioribus ſolùm digitis leviter attrita, per eoſdem, ob innumeras nervorum, venarum, & arteriarum propagines quodammodo eò deſinentes, via facta ad cor, reliquaq; nobiliora viſcera, momento quaſi interimat. Non aliter ac ubi peſtiferi unius ſudantem aliquandiu detinueris manum: quamprimum contagio infectum te ſenties.

*Mira Napelli natura & deſcriptio.*

Symptomata verò, quæ Napellus à peſtis ſymptomatibus vix latum unguem diſtantia profert, ſententiam noſtram haud leviter confirmant. Eorum ſiquidem qui ejus venenum hauſerunt, frontem

*Venenorum peſtis & Napelli comparatio.*

conſpicimus ſudore gelido madentem, totumq; externum corporis habitum quodammodo glacialem, frigoribusq; rigentem, intrinſecis partibus nobilioribus interim æſtu conflagrantibus. Oculi quoq; ipſorum horribili circumvolutione, adſtantes terrent, facies eorum livida, labra omni plane ſpoliata vigore, maxillę detortæ, lingua exſiccata ac nigra, arteriarum pulſus interceptus, cor deniq; oppreſſum, omnesq; cerebri ſenſus turbati, concomitantibus lipothymiis ac deliriis frequentibus. Quæ peſti pari prorſus ratione ſymptomata adeſſe ſolere, tum quotidiana experientia confirmat, tum ex ſupra dictis manifeſtum eſt. Unde merito concludimus, propter hanc effectuum Analogiam, peſtis venenum, Napellinum haud inepte vocari.

*Cur peſtis venenum dicatur Arſenicale.*

Arſenicale veró non minus verè à ſimilitudine dici, hinc patet. Quemadmodum enim corporeum ac ſepticum Arſenici mineralis ſal, cutem noſtram contactu ſuo quàm promptiſſimè cauteriſat: ſic & cauteria, quæ peſtis corporibus noſtris ſub forma anthracum, puſtularum, & carbunculorum inurere ſolet, ſalis ejus Arſenicalis corporalis, ac ſeptici, certi indices exiſtunt.

Verùm

Verùm ut penitiùs horum venenorum naturam & proprietates inquiramus; obſervandum eſt, quod ſulphur Arſenicale maligna ſua ſubtilitate cordi præcipuè, ac ſpiritibus vitalibus bellum indicit: Mercurius Antimonialis animalibus: & ſal auri pigmentale, aut ſandaracale, naturalibus ſpiritibus ac facultatibus in primis adverſantur.

Ex ordine vero venenorum in animantium corporibus latentium, rabidi canis toxicum, utpote cum veneno Mercuriali & Antimoniali majorem ſimilitudinem habens, cerebrum in primis oppugnat. Venenum viperæ ob qualitates ſulphuri Arſenicali ſimiles cor adoritur. Scorpii virus participans de proprietatibus ſalis nitroſi ſandaracalis, ſecundæ coctionis officinam reliquaſq; nutritionis partes infeſtat: id quod ex ſymptomatibus frequentibus (videlicet vomitibus, ſingultibus, colore pallido, ventris tumore & inguinum, deſiderio perpetuo deſidendi, & flatuum comitante caterva) cognoſcitur. Omnia hæc ſiquidem ſalis Sandaracalis acrimoniæ adſcribi debent.

*Varia venenorum inter ſe comparatio & quibus corporis partibus adverſentur.*

Ex morborum venenatorum, hoc eſt à quadam pernicioſa ac maligna qualitate ortorum numero, epilepſia veneno

*Quæ venena cum certis morbis habeant relationem.*

ſuo Mercuriali ac vaporoſo cerebrum: peſtis, venenum arſenicale, ſulphureum & comburens, cor; Luis vero venereæ venenum, acre, nitroſum, ac Sandaracale, hepar directo petunt.

*Quanta ſit ſpirituum naturalium vitalium, & animalium connexio.*

Tanta vero horum trium ſpirituum, Vitalis puta, Naturalis, & Animalis, eſt connexio: ut vix citra reliquorum conſenſum unus eorum affici poſſit. Hinc luis venereæ gravioris ſymptomata in cerebro ſæpe graviſſima excitari conſpicimus: Cephalalgias nimirum intolerabiles & nocturnas, nodulos & ulcera virulenta in cranio, naſo, palato, & ore, aliisq; exterioribus capitis regionibus ſæpe conſpicua: quandoq; ophthalmiam, nulli communium remediorum, cui ſpecifica contra luem veneream admixta non fuerint, cedentem: quæq; vel ſola ſæpe luis hujus ſufficiens index exiſtit, reliquarum partium functionibus, nullo prorſus ſymptomatum genere infeſtatis.

Ad hujus plane rei ſimilitudinem, peſtes quoq; ſæpenumero crudelia inprimis cerebro ſymptomatum ſuorum imprimere veſtigia conſueverunt: excitando in eo ſoporem quodammodo lethargicum, quandoq; vertiginoſum, quandoque & phreneticum: cujus indicia manifeſta in-

paro-

parotidibus & bubonibus peſtilentialibus pone aures, aut circa colli partes cerebri emunctoria continentes, exortis (natura victrice manu eo venenatam materiam ſæpe ablegante) conſpiciuntur. Febris quoque ardens, ſi ſudores frigidos, virium repentinam dejectionem, & lipothymias frequentes comites habeat, inſuperq; natura huic nocentiſſimo veneno exitum parare ſtudens, ſub axillis bubones efformet: pathognomica ſanè hæc ſigna profert, quod cor, ſicut in omni peſtis ſpecie, hîc πρώτως efficiatur. *Quod peſtes quædam cerebrum invadant & quomodo dignoſcantur. Quædã cor.*

Porrò ſi bubones ad inguina, concomitantibus non paucis exanthematis & carbunculis ſiti ſint: fomes ac ſeminarium peſtiferæ virulentiæ in hepate, venis, aliiſq; partibus nutritioni deſtinatis eſt perquirenda. Hæcq; peſtis, quod terreſtreitatem (ut ita dicam) majorem conjunctam habeat, minus occultare periculi creditur: cum è contrario priores duæ, à veneno ſubtiliore magiſq; ſpirituali productæ, ut damnum majus corporibus adferre ſolent, ſic animis quoq; majori ſunt conſternationi. *Et quædam jecur.*

Probè quidem novimus non paucos peſtis cauſam efficientem non alibi quàm in immenſa humorum corruptione ca- *Peſtiferæ febres unde nam oriantur & illarum diviſio.*

 lorem

lorem ſimul putridum (ut verbis Galeni 6. epidem.com. 1. contex.28. utar) inducente, collocare. E qua quidem corruptione, habita ratione diſcriminis humorum, febres peſtiferas in quatuor claſſes ſecernunt. Peſtem quippe aliam dicunt ſanguineam, aliam Bilioſam, aliam Pituitoſam, aliam Melancholicam. Quibus aſtipulari videtur Galenus lib. 1. de diff. febr. cap. 4. ubi peſtilentiales febres omnes, tanquam ab inſigni putredine ortas, putridarum quoq; febrium ordini ſubjicit.

Sunt & alii, qui magis adhuc apparenter & ſpecioſè peſtilentiales febres ad reliquarum imitationem in Ephemeras, Hecticas, & Humorales, partiuntur: & dicunt, Ephemeras peſtilentiales non humoribus ſed ſpiritibus, iiſq; non incenſis, ſed corruptis radices agere, ita ut licet 24. horarum ſpatio, non aliter ac Ephemeræ communes, periodum ſuam abſolvant: patientem tamen, ob ſubjecti mobilitatem, & nimium cauſæ morbificæ à naturali ſtatu receſſum, vix elabi patiantur. Hecticam peſtilentialem dicunt, quando malignitas ipſi ſubſtantiæ aut cordis partibus ſolidioribus impingitur. Tertiam ſpeciem videlicet humoralem peſtilentialem, licet putridarum ordini accenſeant, à com-

à communibus tamen putridis triplici eam differre ratione volunt.

Primo quidem differt quoad ipſum corruptionis gradum, qui in peſtilentiali ſanè longe major exiſtit. Deinde reſpectu ſubjecti fomitis ſeu partis laborantis. In peſtilentiali ſiquidem, ex ipſorum ſententia malum radicatur non ſolùm in propria cordis ſubſtantia, ſed etiam in ſpiritibus & humoribus, tum corde contentis, tum vicinis. Id quod in reliquis febribus putridis locum non habet, cum earum baſis ſit ſanguis corruptus in majoribus inguinum, axillarum, aliiſq; ſimilibus vaſis, hepati aut cordi propinquis. Tertiò reſpectu magnitudinis ac vehementiæ ſymptomatum, quæ in peſtilentiali ut repentina eſſe ſolent, ſic plerunq; in ſyncopas, lipothymias, virium exolutiones mentiſq; alienationes ac inquietudines (quæ omnia & ſingula ut Hippocrati, ſic etiam poſt eum Aëtio horrenda ac ſtupenda exiſtunt) ſolent deſinere.

*Qua ratione febris peſtifera ab aliis differat.*

His adjicere licebit differentiam quartam, eandem videlicet febrim ſemper à cauſa interna produci, qualis eſt plenitudo, nimiave ſanguinis abundantia, Cacochymia, aut obſtructiones liberam tranſpirationem ſanguiniſq; ac ſpiritrum

ventilationem impedientes, unde eorundem inflammatio neceſſaria, ex inflammatione vero corruptio humorum, tandemq; febris ſubſequitur. Id quod de putridis peſtilentialibus juxta illorum principia minimè dici poteſt, quas à cauſa externa, aêre nempe infecto ac peſtilentiali, inſpirato: aliiſve ſeminariis ac contagionis receptaculis, infinitis penè modis (ut ex præcedentibus ſatis innotuit) in corpora noſtra agentibus: neceſſario, forinſecus tamen, progerminari volunt.

Atq; hæ ſunt ſpecies & differentiæ febrium peſtilentialium ad ſententiam graviſſimorum ſane authorum explicatæ, à quibus tamen diverſæ ac contradicentes inter ſe opiniones emergentes ſatis ſuperque colligunt, earundem fundamenta non ſuper immobile ſaxum, ſed arenam fluitantem eſſe jacta, nec idcircò confutatione indigere.

*Quod febres quædã ſint venenatæ, nec tamen propriè peſtiferæ.*

Minimè tamen negamus (experientiâ id ſatis comprobante) ſæpenumero febres ab humoribus venenatis ac putrilagine in corporibus noſtris genita excitari tantæ malignitatis, ut etiam ſymptomata, puta exanthemata, anthraces, carbunculos proferant, peſti quàm ſimillima: quæ tamen cum contagioſa minime exiſtant,

ſtant, proprie & accurate loquendo peſtes dici nequeunt. Cujus quidem ratio eſt, quod præcipuum & fundamentale peſtis ſubjectum ſint ſpiritus, inprimis vero vitales, quibus non ſimplici quodam caloris febrilis exceſſu, & corruptione humorali in corpore noſtro præcedente, peſtis contagia adverſantur: verùm malignitate quadam ſpirituali, quam tanta promptitudo ac ſtupenda violentia ſubſequitur, ut nullatenus in febrem poſſint excandeſcere: prout ſuperius à nobis & rationibus, & auctoritatibus, & exemplis fuit comprobatum.

Atq; hi tam peſtis quàm aliorum venenorum ſtupendi effectus, per propria ſymptomata ſe manifeſtant: quorum hæc cerebrum, illa cor, alia hepar, alia inteſtina, & alia demum pulmones, aggredientia, neutiquam attribui poſſunt, vel totius compoſiti craſi, vel qualitatum elementarium alicui, utpote quæ ſunt agentia [illegible], ſolam, qua pollent, extrinſecam qualitatem in patiens corpus inprimentia (qua quidem ratione ignis calidus calefacit, glacieſq; refrigerat) vel etiam qualitati occultæ, in imis penetralibus compoſiti reconditæ, quas qualitates doctiſſimus Fernelius aliiq; Medici celeberrimi

*Vera peſtifera febris indicia quænam ſint.*

berrimi à tota ſubſtantia ſeu ſubſtantiali forma fluere docent, earumq́; effectus κατ' ἐνπλέχθαν fieri dicunt. Nam ut horũ venenorum facultates ac potentiæ, in natura reperiuntur, â dicta elementari longe diverſæ, ſic quoq; effectus producunt formales ac ſpirituales: non illos quidem imaginarios, ſed pleriſq; ipſorum re ipſa inſitos. Et illæ præterea innatos corporum noſtrorum ſpiritus non ſolum alterant, ſed planè corrumpunt, inficiunt, ac mortificant: idq́; ſolius qualitatis Napellinæ, Aconitalis ac Arſenicalis, formaliter ipſis inhærentis vi ac robore. Non aliter ac ſalutares, noſtræq́; naturæ familiares ſpiritus ex nutrimentis generati, inſitos illos nutritionis ſpiritus, non elementaliter & qualitativè, ſed formaliter ac ſecundũ ſubſtantiã reſtaurant, roborant, & vivificant.

Cùm autem nomen ſpiritûs multifariam accipitur, ut citra homonymiam ac amphibologiam vocum, in ardua hac quæſtione verſari nos, ab omnibus intelligatur: quænam ejus acceptio huic noſtro inſtituto propria exiſtat, paucis dicamus.

*Quidnam Hermetici propriè nomine ſpiritus intelligant.*

Notandum igitur, Philoſophis Hermeticis, ſpiritus ſeu ſubſtantias ſpirituales, quibus ab iiſdem omnes actiones, proprietates, facultates, impreſſiones, ac ſignaturæ tribuuntur vitales, ac generativa,

idem eſſe quod Ariſtoteli eſt δυύαμις ὑσιώδης, Latinis potentia eſſentialis, & cuiq; ſubſtantiæ propria. Ipſos verò ſpiritus rebus actu ineſſe, ac naturam obtinere à corpore ſuo realiter diſtinctam, patet ex rerũ ſeminibus: quibus ut appropriatis matricibus, hi ſpiritus ab origine ſua inhabitant, ac quaſi immerguntur, ac à quibus, citra ullam ſubjecti ſecundum materiam immutationem (ut norunt agricolæ in talium ſeminum dignotione exercitatiſſimi) egreſſi reliquum, quod ſemen vulgus philoſophantium nominare ſolet, receſſu ſuo ſterile efficiunt. Sunt etiam qui certa artis induſtria quibuſdam ſeminibus vim auferre germinativam (id quod in cepatum ſemine, unica facta in aqua fervente ebullitione contingit) eandemq; deperditam reſtituere norunt.

Atq; hæc ſanè philoſophia popularis, dictorum ſpirituum admirabiles affectus tanta familiaritate ac perſpicuitate aperiens, longe ſane clarior, certiusq; multò demonſtrari poteſt, alterâ illâ, quæ ad cœlos uſq; relegat rerum formas, totamque ipſarum ſubſtantiam. Ipſum vero Ariſtotelem in noſtris caſtris militantem habemus ſub finem lib.3.de generatione & corruptione: dum inquit, *Quod omnis animæ poteſtas*

*Sententia Hermeticorum verbis Ariſtotelis cõfirmatur.*

*poteſtas alterius cujuſdam corporis particeps ſit, apparet, ejuſq; divinioris quàm quæ elementa appellantur. Et quemadmodum nobilitate obſcuritatéve animæ inter ſe diſcrepant, ita & natura ejus corporis differt. Continet enim in ſe ſemen cujuſq; fœcunditatis ſuæ cauſam, nempe ipſum calorem, qui igneus minimè eſt, neq; id generis facultatem aliquam æmulatur: ſed ſpiritus, qui in ſemine ſpumanteq; corpore coërcetur, & natura quæ in eo ineſt ſpiritu, proportione reſpondet Elemento ſtellarum.*

Ex quo contextu manifeſtum exiſtit, ipſum Ariſtotelem vitale rerum omnium principium minimè in elementis, eorumve craſi qualicunq;: verùm in ſubſtantia quadam collocare ſpirituali, in rerum ſeminibus tanquam domicilio habitante. Hincq; paulò poſt ibidem concludit: *At propria cujuſq; ratio & eſſentia, nequaquam ex Elementis emergit.*

*Undenam germana cujuſq; rei profluat eſſentia.*

Hi porrò ſpiritus pro diverſitate ac varietate eorum quibus conſtant principiorum ſubſtantialium, ac ipſarummet ſubſtantiarum in quibus reſident, & quorum gremio foventur, diverſos quoq; promunt effectus. Sunt enim eorum alii corporei magis ac viſibiles, alii ſubtilitate ſua omnem ſenſum tranſcendunt: quorum hi ut vaporoſi, aërei, & mercuriales,

ſic

ſic activitate ſua omnes ſuperant reliquos: iſti vero naturæ exiſtentes fuliginoſæ ſeu fumoſæ, & de ſalium volatilium natura participantes, his quoq; ſimiles producunt effectus. Deniq; inter hos quodammodo intermedii halituoſi ac ſulphurei, à ſubſtantia pariter ac effectuum ſimilitudine dicuntur.

Qui diu multumq; in ſubtili rerum vitalium anatomia ſunt exercitati, horum ſpirituum varietatem & miros effectus ob multiplices quas exerunt actiones, præ cæteris facilè dignoſcent, percipientq; hujuſce generis ſpiritus (quos idcirco vitales nuncupavimus quia incredibili præſtant virtute & activitate) non modo per ſuos effectus in rebus vegetabilibus & animatis deliteſcere, ſed etiam in ſubſtantiis metallicis: quæ tamen illis penitus carere videntur, eò quod nullis vitæ polleant facultatibus.

Quod autem malè in vulgari philoſophia, metalla reliquaque mineralia omni vitali vigore deſtituta eſſe dicantur; vel aurum ardens convincit, quod plenum eſt ſpiritu, tantæ ſubtilitatis & activitatis, ut pauca quædam ejus grana, dum ſolo motu vel radiorum ſolarium ejaculatione flammam conceperint, inſtar exploſi

ſclopeti,

ſclopeti, maximo naturæ myſterio, perpendiculariter centrum verſus ſic ferantur, ut menſam ligneam valeant tranſverberare.

*Spiritus Antimonii quantæ ſint virtutis.*

Idipſum pariter abunde teſtantur volatiles Antimonii, illius Chymicornm oraculi, ſpiritus, qui quotieſcunq; ſecundũ artem eliciuntur, inſtar meteorum, modò albi, modò flavi, modò rubri, modò purpurei, quin & aliquando mille coloribus variati conſpiciuntur: eoq; ipſo mirandam hujus mineralis vim & efficaciam patefaciunt. Quæ quidem tanta eſt, ut metallorum quodvis etiam maximè fixum,quale argentum exiſtit,ab alio ſecernens, aurum ipſum ad miram puritatem, ac ſummam ſui generis perfectionem promoveat,remotâ prius ab ipſo cujuſvis corporis corruptibilis & hæterogenii colluvie.

Admirandi inquam horum Antimonialium ſpirituum effectus,vel in humano corpore rei totius veritatem ſimiliter evincunt, dum ipſum variè per vomitum, alvum,ſudores,& urinas repurgant. Maximè vero mirandum, quod non tantum centeſima unius grani ſpiritus Antimonii pars, ii corpoream matricem unà cum ejuſdem floribus ad 5. vel 6. grana diſperſa, tantos

tantos effectus,citra ullum notabilem, vel in pondere, vel in quantitate diminutionem producere poteſt: verum etiam quod ipſa matrice ſuo ſpiritu tandem exuta in medicamentum Anodynum degeneret, ac commotis corporis noſtri ſpiritibus ſedandis, præſtantiſſima efficiatur Medicina.

Præterea vero, ſi miraculum illud naturæ (ut ex vulgi ſententia & opinione loquar)Magnetem conſideremus,admirabiles ac penè ſtupendas prædictorum ſpirituum ſive facultatum naturalium comperiemus perfectiones. Ipſi quippe,quamdiu arctè Magneti lapidi inhæreſcunt, mira pollent attrahendi virtute, qua tamen ſi penitus ſpolietur, nihil ad ſe, quantacunq; magnitudine exuberet, poterit evocare. Hanc nihilominus attrahendi efficaciam, quaſi jure poſtliminii recuperabit,ſi ſpiritu ferri,quod magnam cum ipſo habet affinitatem,animetur: prout ipſa plures docuit experientia. *Spiritu Magnes non caret potentiſſimo.*

Arſenicales quoq; fœtentes ac venenati ſpiritus, quos inſtar nubis ſpiſſæ ac nigræ in ejus ſublimatione aſcendere videmus copioſiſſimos, ad hujus noſtri inſtituti confirmationem non parum conferre videntur. Ut enim illi, licet candi- *De ſpiritibus venenatis Arſenici.*

diſſimum ac puriſſimum metallum, ſuo contractu vel ſimplici; vel in forma fumi nigredine ſumma obducunt: ſic quoque congenitos nobis ſpiritus etiam temperatiſſimos, per ſolum odoratûs organum recepti, contaminare mirificeq; alterare poſſunt.

*De ſpiritibus Auripigmenti & ſandaracæ identidem venenatis.*

Hic vero obiter notandum occurrit, quod ſub Arſenico ejuſq; ſpiritibus malignis auripigmentum quoq;, itemq; alia plurima metalla imperfecta, ac arſenici naturam redolentia, à nobis comprehenduntur.

*Ex nonnullis metallis variæ aquæ vitæ ſeu ſpiritus ſalutares elici poſſunt.*

At è contrario variæ aquæ vitæ, tam ad ſanitatis conſervationem, quàm graviſſimorum ſæpe morborum propulſionem appropriatæ, ex nonnullis metallis, perinde, ac ex corallis & perlis, ab experto chymico elici poſſunt.

*Quod ſales ipſi ſpiritibus abundent, tum malignis tũ ſalutaribus.*

Quod autem ad ſpiritus ſalium metallicorum ſpectat, ut ſalis nitri, vitrioli, aluminis, ſalis armoniaci, & marini (quod meritò inter reliqua primum ſibi locum vendicat) oppoſitæ ac plane contrariæ, quas mediantibus ſuis ſpiritibus edunt operationes, ingenti nobis eſſe debent admirationi: dum ipſorum quidam corpora etiam ſolidiſſima liquefaciunt, & alii contra vel ſpiritus coagulant ſubtiliſſimos.

In

In quo tamen maximum naturæ myſterium obſervare licet. Hi namq; ſpiritus, qui aurum omnium metallorum ſolidiſſimum diſſolvunt, ſuam tamen in argentum non exerunt potentiam, nec è contra.

Hi verò ſpiritus omnes & ſinguli (licet id ſecundum magis & minus) ſola ignis violentia, à dura corporum, quibus à natura illigati ſunt, compage liberantur, ac in ipſo quidem emigrationis procinctu, variis ſub coloribus, in forma nubis ſpiſſioris comparentibus, ſeſe inſinuant: qui tamen ubi denuo in aqueam & humidam ſuam matricem reconduntur, quieſcentes penitus evaneſcunt. *Qua ratione ſpiritus è ſuis corporibus elicientur.*

Cæterum qui minus ſuam prædictis fidem adhibent, aut ſpirituum iſtorum mirabiles virtutes inficiantur: adeant aurifabros & metallorum ſeparatores, quoties aurum ab argento moliuntur ſeparare, ut promptiſſimos aquæ fortis (quam Gallicè *l' ean de deſperat* aptè nuncupamus) effectus advertant. Diſcant inquam vel duabus unciis dictæ aquæ, tantum ineſſe virium ac roboris, ut unciam unam metalli ſolidi diſſolvere queat. Aſpiciant etiã quanta id fiat ſpirituum contentione vel ad ſenſum comparante; ac ut opinor deſinent, in rerum naturalium ſpiritus, tantis viribus *Mira circa aquam fortem obſervatio.*

ab Omnipotente donatos, ſpiritus ſui virus effundere. Videbunt namq; quamprimum prædicti aquæ fortis ſpiritus ſolidum aliquod metallum (patientis vicem gerens) aggrediuntur, tanta id fieri vèlitatione,& pugna ad tempus ancipiti, ut non ſolùm ipſa aqua ex tali motu incaleſcat, verùm ad rubedinem uſq; ipſius vaſis exardeſcat: copia ipſorum maxima per collum fumi partim rutilantis, partim nigricantis ſpecie, evolante, ac inſtar flammæ ignis calorem in omne latus diffundente. Conflictu verò hoc ad finem perducto, aquam ſponte videbis refrigerari, licetq; de ejus materia ſeu quantitate vix quicquam deceſſerit, eundemq; fere guſtum quo antea prædita fuerat retinuerit: nulli tamen inpoſterum metallorum inſerviet ſeparationi,eo quod nimirum ſuis privata ſit ſpiritibus, ad quos omnis hujuſcemodi referri debet operatio.

Ex eo porrò, quod guſtum pari fermè qua prius feriat acrimonia, colligere licet, impotentiam hanc non inde pendere, quod omnes omninò ex ea ſpiritus evolarint: ſed quod exorta inter contentos adhuc, & materiam eos continentem ſeu matricem, ob priorum exhalationem diſproportione, reliqui quodammodo detineantur

neantur ligati. Acrimonia ſiquidem illa, quæ in aqua adhuc reſidet, ſpirituum à quibus oritur, præſentiæ, fidus eſt nuncius.

Hinc phlegmate ſeu humore paſſivo, hanc dyſcraſiam producente, per cohobationem ſeu redeſtillationem ſeparato, prioribus viribus quaſi recuperatis ad parem molitionem idonea redditur: idque quod repetendum eſt, quamdiu acrimonia aquæ ſupererit. Ex quibus colligi facile poteſt virtutem illam diſſolvendi, non acrimoniæ, ſed ſolis ſpiritibus tribuendam eſſe.

*Quod corpora vegetabilia & animata ſuis non careant ſpiritibus.*

Si igitur corpora mineralia ac metallica, quæ tamen vulgò ut vita, ſic actione omni ſpoliantur, tanta partim noxiorum, partim ſalutarium ſpirituum copia turgent: quid de vegetabilibus dicendum fuerit & animantibus? quorum ut vita longè manifeſtior, ſpirituum majores divitias pollicetur & ubertatem, ſic ars ipſa, & quæ verſatur in eorum extractione experientia, hujus noſtræ veritatem philoſophiæ, ad oculum quaſi demonſtrat.

Ac ut ab animantum genere incipiamus, ſpiritus hos tam bonos, ſalutares ſecundumq; naturam: quàm malos, pernicioſos, ac contra naturam ſe habentes, ac partibus quidem ſolidis radicaliter, nobi-

lioribus verò ſimul originaliter ac emanative (abſit artis vocabulis invidia) inſitos, humoribus verò per influentiam ſeu irradiationem communicatos, dicimus ſimiliter eſſe tripartitos: quibuſdam ipſorum naturam aëream, vaporoſam, ac ſubtiliſſimam adeptis, aliis verò naturæ exiſtentibus fuliginoſę, ac ſalſuginoſę, aliis denique quodammodo intermediæ, ut eſſentiæ, ſic conſiſtentiæ, halituoſæ videlicet, ſulphureæ, ac oleaginoſæ. Hi præterea ſpiritus, cùm in omnibus animantium generibus, tum in homine potiſſimum, juxta communem Hermeticorum ſententiam reperiuntur, à qua non longe nec ipſemet abeſt Hippocrates, quando ait, *Corpora noſtra conſtare continentibus & contentis*. Quorum terminorum priori nihil aliud quàm continentes ac in ſe recipientes matrices: poſteriori verò ſubſtantias ſpirituales contentas, ac à prioribus receptas voluit ſignificare. Contentorum quoq; à Dogmaticis triplex proponi ſolet partitio. Quædam enim ſunt *ſubſtantiæ quoquo verſum impetuoſæ*, ſeu impetum facientes, ſive ſynceræ & æthereæ, ſive ſe habeant ſecundum naturam, quales naturalis, vitalis & animalis ſpiritus: ſive noxia quadam qualitate, tanquam affuſa nebula ſint contaminatæ.

*Diverſæ ſpirituum, qui in corporib: noſtris reſident diviſiones.*

natæ. Quædam rurſus *humectantes*, ſive humores tam utiles, quàm inutiles, & excrementitii, eò quod ſpiritus ſalutares & noxii in ipſis inhabitent. Et aliæ deniq; *effluentes*, communiterq; exhalantes, ſive humidæ, quas vapores: ſive ſiccæ, quas exhalationes & fumos nominant.

Hæc eſt diviſio ſubſtantiarum ſpiritalium, quæ in corporibus noſtris continentur, à Dogmaticis communiter uſurpata: à qua non multùm diſſident Hermeticorum ſuffragia, ſi bene & accuratè intelligantur.

In vegetabilium verò genere noſtram hanc, tam proborum quàm perverſorum ſpirituum diſtributionem tribus membris comprehenſam haud difficilè fuerit ſtabilire.

Mercuriales ſiquidem, vaporoſi, aërei magisq; ſubtiles, ut in partibus vegetabilium reſident mollioribus, floribus nimiquum ac foliis, ſic aquarum oleorumve extractione ac deſtillatione ab ipſis ſeparantur. Salſuginoſi verò, ut magis fixi, ſic in partibus quoq; vegetabilium radicantur durioribus, lignis videlicet, corticibus, & radicibus, ſale abundantibus: ex quibus poſtmodum ignis violentiâ ſeparantur. Sulphurei deniq; & oleaginoſi ſpiritus, ut

*Quibus in partibus quiq; ſpiritus reſideăt.*

inter æthereos ſubtiliores, ac terreſtres ſalſuginoſos, quodammodo intercedunt medii: ſic in vegetabilium ſeminibus continentur, conſiſtentia & ſitu quodammodo inter folia & ligna intermediis. Inſunt vero ſeminibus cunctis etiam frigidioribus, (qualia ſunt papaveris & lactucæ) quæ quoniam præ reliquis compoſiti partibus magis ſunt contemperata, naturæq; familiaria, ſpiritus quoq; omnium defæcatiſſimos, & magis ad ſpeciei conſervationem deſtinatos complectuntur. De oleorum vero ex ſeminibus extractione præcepta tradere, vetat rei facilitas publicaq; notitia.

*In vegetabilibus reperiuntur boni ſpiritus & noxii.*

Hîc vero minimè prætereundum eſt in hac vegetabilium claſſe, non minùs quàm mineralium & animalium ordine, omnes jam enarratos ſpiritus, rurſus duorum generum exiſtere: alios, bonos, ſalutares, balſamicos, & conſervatores, tam videlicet Mercuriales, quàm ſulphureos, & ſalſuginoſos: alios quoq; malos ac noxios, tam Mercuriales, quàm ſulphureos, & ſalſuginoſos.

Ac quod attinet Balſamicos, eorum copia inprimis turgent alimenta, & ipſis inter reliqua abundant panis & vinum: unde & reliquorum ciborum baſis meritò cen-

tò cenſentur. Panem enim & vinum natura tranſmutat in ſpiritus naturales, vitales & animales, nec non in ſemen ipſum è quo homo procreatur. Quam quidem tranſmutationem facultas nativa operatur ſuis continuis digeſtionibus, & puri ab impuro ſeparationibus, coctionibus, deinde fermentationibus, cohobationibus, & circulationibus : quas diverſi caloris gradus, in jecore, corde, & cerebro reſidentis, moliuntur. Quiſquis ergo primariam generationis humanæ cauſam inquiret, eandem ad panem & vinum tanquam ſubjectum & materiam ex qua : non verò tanquam ad cauſam efficientem & formalem revocabit.

Si quis porrò ambigat, quantum mirandi Panis & Vini ſpiritus, vitæ, motus & caloris in ſeipſis contineant, quæ omnia indubium præſtant vitæ argumentum : ille quæſo extractionem aquæ vitæ ex vino, quod ſpiritibus inter reliqua vegetantia prædiximus abundare, factam conſideret.

*Ingentem copiam ſpirituum in vino contineri probatur.*

Tunc enim videbit duos aut tres carbones ardentes, ſub dolio quodam tres aut quatuor vini amphoras continente, poſitos, in cauſa eſſe, cur ingens copia ſpirituum è Vino eliciatur, cum alioqui paululum

lulum aquæ vix poſſent calefacere. Quin imò modicus iſtorum carbonum calor, ita ſerpentinas (ſic enim hæc vocantur inſtrumenta) & dolium aquæ plenum refrigerii ergó ibi collocatum, licèt non mediocri intervallo à corbonibus ſeparatum, ſic accendet & inflammabit, ut illius æſtus nullatenus valeat tolerari. Ubi verò ſemel inde ſpiritus exierit, nunquam deinceps ſerpentinas ante dictas, & refrigerium videre licebit incaleſcere, licet ingentem idcirco flammam & calorem excitaveris. Unde manifeſtè colligitur, hanc de qua ſupra calefactionem ab ipſius tantummodo vini ſpiritu promanaſſe.

*Spiritus vini potentia.* Quod ſi præterea motum vini animadverteris, eo tempore quo ſpiritus ab illo vi caloris proliciuntur: ſerpentinas arteriarum motum vehementem aliquatenus imitari comperies, imò verò vehementius commoveri. Quo ſatis ſuperq; experimento comprobatur, non aliunde hæc omnia quàm à ſpiritibus in vino contentis proficiſci.

Ex illo rurſus exemplo abundè innoteſcere arbitramur, quod ex omnibus rebus alimentoſis aqua vitæ balſamica educi poteſt, quam non incaſſum vocabulo tam auguſto philoſophi donaverunt.

Pari

Pari ratione cùm contrariarum cauſarum contrarii neceſſario per ſe effectus exiſtant, ex rebus venenatis aquam deſtillare poteris, non vitæ, ſed mortis: quoniam rerum illarum venenati ſpiritus, vitali noſtro balſamo penitùs adverſantur.

*Ex omnibus rebus alimentoſis aqua vitæ, & ex venenatis aquæ mortis educi poteſt.*

Sed ulterius, amabo, in tam amœna transmutationis rerum pergamus ſpeculatione. Dicimus igitur quemadmodum natura vegetabilis in animalem, qua modo dictum eſt ratione, à diverſis caloris innati gradibus facilè tranſmutatur: ſic mineralem quoq; poſſe tranſire in vegetabilem. Etenim plantæ radicibus ſuis terræ infixæ, non tantum bonos & laudabiles ſuccos: verùm etiam pravos ſæpe, ac à mineralium ſpecie minimè differentes prolicere, ſibique aſſimilare poſſunt. Quibus quidem naturam mineralem ſcatere, quoſq; demum, ſive noxios, ſive innoxios, ipſis vegetabilibus impartiri demonſtravimus.

*Quomodo natura vegetabilis in animalem transmutetur.*

Qua de cauſa non abs re aſſeverabimus, Helleborum & Tithymalum, quæ tantopere corporum noſtrorum vires, tum vomitione, tum alvi profluvio dejiciunt, non parum de ſpiritibus Antimonii participare: non ſecus ac Aconitum unà cum Napello à ſpiritibus Arſenici mineralineralineral-

neralibus ſuum venenum mutuatur: cum unum & alterum præſentem animalibus adferat perniciem.

Quod ſi hoc loco, ventis naviculam noſtram à litore propellentibus carbaſa cuncta daremus, in altum profecto pelagus tanta velocitate abriperemur: ut relicti à nobis aliquantum portus recuperandi vix poteſtas concederetur.

*Quod vegetabilia de mineralium natura participant.*

Quin ergo potius vela contrahendo, unde dilapſi ſumus, revertamur; ſufficiatq; nobis oſtendiſſe vegetabilia de mineralium quoq; natura participare, id quod, neceſſitate id exigente, vel mille comprobare exemplis poſſemus. Sufficiat vero in præſentia, quod experientia conſtet, ex viridibus nucum involucris, ut & granatorum cortice, vegetabile vitriolum, non modo colore & guſtu, verùm etiam cæteris qualitatibus omnibus vitriolum minerale referens, ſpagirica arte elici poſſe.

Quod ſi vegetabilia de mineralium natura participant: quidni hominem ob multiplicem vegetabilium uſum, de utroumq; participare natura, firmiſſimè concludemus? ſecundum illud: *iis nutrimur, ex quibus conſtamus.* Ad hujuſce inſuper confirmationem non parum facit, quod homo non tantùm à veneranda antiqui-

tateMicrocoſmus,magno citra controverſiam naturæ myſterio, dictus: verùm etiam ab Omnipotente ex globo terræ, jam omnibus totius univerſi ſeminibus, ſicq; vegetabilium quoq; ac metallorum ſignaturis imprægnatæ,ſit efformatus.

Quæ ſi ita ſunt, mirari deinceps deſinant,harum rerum increduli, ac unanimi nobiſcum ſententia concludant: in corporibus noſtris generari poſſe ſpiritus malos,ac vitæ noſtræ hoſtes inteſtinos, eosq; naturæ mineralis, vegetabilis & animalis. Spiritus inquam halituoſos, ſulphureos.& ſalſuginoſos,ac fuliginoſos, qui pro diverſa,quam metallorum vel vegetabilium gerunt,idæa,diverſos tam internos quàm externos generant morbos. *Quod varia ſpirituum bonorum & malorum genera in nobis ingenerentur.*

Sic ſpiritus qualitate acida præditi, conſequenter morbos acidos & frigidos inducunt, eoſq;, diverſos pro diverſa aciditatis differentia, qua cum Vitrioli metallici,vel Aceti, Limonum, Berberis, aliorumque vegetabilium aciditate conveniunt.

Simile quoq; de reliquis ſpiritibus, ſcilicet auſteris & adſtringentibus, ad qualitatem vel Aluminis rochæ, vel Acaciæ magis appropinquantibus, ſit judicium. Sic ſpiritus, quos à ſymptomate quod ſenſui *Varia ſpirituũ qui nobis inſunt, collatio, & quos effectus producunt.*

ſui tactûs imprimere ſolent; formicantes dicere poſſis, magis accedunt ad qualitatem Aluminis plumoſi, vel Urticarum. Spirituum qualitates acres ac pungentes, magis participant de ſimilitudine ſalis Alkali, vel Aronis. Facultas ſpirituum inflammatoria, magis ad Sulphuris communis, vel Olei alicujus, vel Gummi, vel Reſinæ naturam appropinquat. Qualitates ſpirituum amaræ cum ſale Gemmæ, aut Aloë: vomitivæ, & peſtiferæ, cum Arſenico, Antimonio, vel cum Aconito, & Napello, majorem habent ſimilitudinem.

Quæ quidem tria propter obſervatam veneni ſui diverſitatem, primâ nobis præbuere anſam, ad exactiorem paulò venenorum, quæ ſpiritibus lethalibus, ac peſtem per ſe inferentibus maximè ſunt affinia, indagationem ſuſcipiendam.

Arſenicales verò & Napellini ex aliis etiam corporibus emanantes ſpiritus (ut ex ſupra allatis rationibus ſatis patuit) aëri quo vivimus ſæpè permixti, eoſdē inibi producunt fructus venenatos, & mortalia ſymptomata, quæ Arſenicum minerale, aut Napellus vegetabilis, pro diverſitate humorum fœcumque tartarearum, aliarumque impuritatum & corruptionum, quæ dictis ſpiritibus, mineræ, ſeminarii,

fœcun-

fœcundæque matricis inſtar ſubſternuntur.

Inde fit ut illi qui hujuſmodi corruptorum humorum ſententiam gremio occultant: humorum inquam, quos ſpiritus Arſenicales, Napellini &c. ſua tinctura infecerunt, vel qui ad eam facili occaſione ſuſcipiendam, præ aliis magis ſunt diſpoſiti: peſtis venenum faciliùs longè recipiant.

*Quinam magis vel minus ſint peſtilentiæ obnoxii.*

Cùm enim ex quatuor cauſis, quæ ad omnem actionem neceſſariò requiruntur, ſint duæ inſigniores: agentis nempe ad actionem producendam ſufficiens robur, à ſpiritu venenato peſtem inducente prodiens: & diſpoſitio patientis, ab humorum exorta corruptione, quam pernicioſi ac peſtiferi ſpiritus comitantur, qui non ſecus ad peſtem ſuſcipiendam ſunt proximè diſpoſiti, quàm pulvis tormentarius, aut aurum ardens, ad ignem concipiendum, ſolo motûs beneficio promovetur.

*Cur aurum ardens potius quam alterum flammam concipiat.*

Sed quemadmodum Aurum illud ardens magis aptum eſt ad flammam concipiendam, quàm pulvis tormentarius vulgaris: cum tale aurum illam ſolo motu, & abſque igne in ſe admittat, ut ſuperius innotuit: ſic quædam corpora magis igni peſtis ſunt obnoxia, aut certè

minus,

minus, pro varia humorum corruptorum quibus abundant ratione: quiq; eò celeriùs, vel tardiùs ſuos effectus producunt, quò velociorem nacti ſunt maturitatem, vel tardiorem.

Quædam enim venena deprehenduntur in ſuis matricibus & ſeminariis paucis diebus, alia per annos plurimos, ut nuper probavimus latitantia. Quod certè nulli alii rei adſcribi debet, quàm venenorum quorundam qualitatibus, quæ citiùs aut tardiùs ſuos fructus proferunt: aut ſaltem proprietatibus matricum, quibus continentur, atq; fertilitatibus: prout exemplo fructuum è diverſis locis citò vel tardè emergentium, ſatis abunde confirmatur.

De lue venerea Fernelius refert, poſſe eam ad duodecimum uſq; annum in corporis noſtri interioribus latere abſconditam. Quod etiam in variolis evadit manifeſtius, quæ licet paſſim in puerili ætate contingant, aliquando tamen poſt vigeſimum aut trigeſimum annum emergunt, in iis præſertim quorum corpora ab hoc contagii genere nondum depurata fuerunt. Idem prorſus de peſte ſit judicium, ad cujus corruptelam ſuſcipiendam, alii præ aliis magis ſunt ob humores corruptos diſpoſiti.

*Quædam variolæ poſt longos annos recrudeſcunt.*

Cæte-

Cæterùm ſi in hujus diductione materiæ, cuipiam nimia peccaſſe prolixitate videamur, idem, diſſimili tamen ratione, accidiſſe nobis ſciat, quod pictoribus ſeu ſtatuariis egregiis, qui attentiùs paulò imagines quas ſuſcipiunt delineandas ſpeculantur. Accuratior enim pauliſper fuit nobis tractatio ineunda, de ſpiritibus tam bonis quàm malis, eò quod præ nimia ſubtilitate, & καθ' ὅλε in ipſis reſidente, ſenſum omnem ſubterfugiant, ac vitalibus impreſſionibus turgeant. Utq; præterea illos à quibuſdam aliis ſpiritibus ὁμωνύμως & impropriè dictis ſecerneremus: qui tantum corpora ſpiritualia ἐξίτηλα ac evanida exiſtunt, omni prorſus vitali facultate & robore deſtituti. Hujus quidem generis ſunt ſimplices vapores humidi, exhalationes ſiccæ, ventoſitates flatulentæ, hálitus nidorolenti, vaporoſi ſudores, quorum vocabula ſæpe in libris Medicis occurrunt: licet minus propriè ſpiritus nominentur, propterea quod inſita virtute deſtituti Arſenicalibus, Napellinis, ac Aconitalibus, nulla prorſus ratione comparari poſsint. Hanc quoq; materiam pro merito diductam à nobis videre licet in Tetrade noſtra cap. 5. 6. & 10.

*Quid nomine ſpiritus ab auctore intelligatur*

Dum verò hos ſpiritus pernicioſos ac



peſti-

*Spiritus noxii in humano corpore, omniū morborum cauſa, ex ſententia Hippocratis.*

peſtilentes, aëri inſpirato, humoribusque corporis noſtri admixtos, non ſolum peſtilentiarum, verùm etiam plurium aliorum graviſſimorum morborum proximas cauſas dicimus efficientes: conſentientem ſane habemus Hippocratem lib. de flatibus à nobis in principio hujus tractationis allegatum, ſic concludentem: *Hactenus ergo morborum omnium cauſas flatus eſſe demonſtravi: id enim à principio receperam me facturum. Recenſui enim ſpiritum ipſum tum in aliis omnibus rebus potentem, tum maximè in hominum corporibus plùrimùm poſſe.* Hîc vero ſciendum eſt, Hippocratem per flatus nihil aliud intellexiſſe quàm vapores, halitus, fumos, aliasq; ſubſtantias ſpirituales corporibus noſtris concluſas, inſita activitate, ac impreſſionibus vitalibus pernicioſis præditas. Flatuum enim Hippocraticam ſignificationem, vel aëri tribuere ſimplici, vel nudis flatibus (quæ partem diſtendendo ſolùm, doloris facile diſſipabilis nudū ipſi ſymptoma imprimunt) iisq; ſimul omnium morborum corpora humana poſſidentium aſſignare cauſas, non Hippocratis certè, ſed tyronis alicujus parum in Medicina verſati redolet ingenium.

Atq; hæc ſane videtur clavis eſſe, ad mentem Hippocratis in dicto de flatibus

lib

lib. fælicius aſſequendam: quæq; ſimul noſtrorum dictorum cum divini Senis placitis, miram oſtendit conſonantiam. Ipſe enim in cauſis peſtis perquirendis, craſeos, qualitatum elementarium, vel etiam ſimplicis eorum in calore, frigore, humiditate, ſiccitate, exceſſus non modo nullam facit mentionem, verum etiam in lib. de Antiqua Medicina, illorum opinionem tanquam erroneam explodit, qui morborum cauſas in illis homonymis ac impotentibus reponunt: dum hæc tandem verba ſubjungit: *Non enim ſiccum, neq; humidum, neq; calidum, neq; frigidum, neq; aliud quicquam ex his putaverunt hominem lædere: ſed quod in unoquoq; forte & natura humana potentius eſt, quodq; non poſſit ſuperari, hoc ipſum lædere dixerunt, & hoc auferre quæſiverunt. Fortiſſimum autem eſt inter dulcia dulciſſimum, inter amara amariſſimum, inter acida acidiſſimum, & in omnibus adeo rebus vigor ac ſummum. Hæc enim & in homine ineſſe viderunt, & hominem lædere: Ineſt enim in homine amarum & ſalſum, & dulce, & acidum, & acerbum, & fluidum, & alia infinita omnigenas facultates habentia, copiamq; & robur.*

*Mens Hippocratis in lib. de flatibus quænam ſit.*

Hic ſane ut vocibus Amari, Acidi, Acerbi, Dulcis, Salſi, Spirituum noſtro-

rum principia, matrices, & ſemina: ſic *Vigoris ſummi copiæ ac roboris* vocibus, activæ vitalesq; ipſorum, clarè ſatis exprimuntur impreſsiones.

Notus eſt vulgaris morbus *Bublimia* dictus, ſeu fames canina (licet rectius appetitus caninus diceretur.) Hujus Galenus, Paulus, Aëtius, & Avicennas, ſtupendos videntes in nimia ciborum appetitione effectus, hincq; in accuratiorem paulò morbi hujus Anatomiam cauſarumq; indagationem incumbentes, licet in principio in intemperie pedem ſiſterent, eaq; vel frigida ac conſtringente, vel calida & reſolvente: fuit tamen mora hæc momentanea tantùm. Siquidem tantos effectus à tam levibus dependere cauſis minime poſſe, facili conjectura aſſequentes: meritò tandem in humore acido ſive phlegmatico, ſive melancholico potiùs, quàm in tali intemperie hujus latere mali fomitem perceperunt.

*Gal. 2. Aphoriſ. com. 1.* *Paul libr. 2. cap. 51.* *Aët. ſer 9. cap. 1.* *Avicen. 13. tract. c. 12.*

A quorum ſententia ac mente, licèt ne latum quidem unguem diſcedamus, terminis tamen artis magis convenientibus, atq; ad docendum magis accommodatis, cauſam hujus mali tribuimus ſpiritibus quodammodo eſurientibus, acidis & vitriolatis, maximaq; diſſolvendi vi præditis,

ditis, iiſq; in humore quodam melancholico, à ſtatu naturali quàm plurimum recedente, radicatis.

In præcedentibus cum aquarum fortium incredibilem in diſſolvendo energiã, à ſolis vitrioli ſpiritibus dependentem, proponeremus; quid hi ſpiritus in receſſu haberent, haud obſcurè ſignificavimus.

Hic porrò ſpiritus, qui in humore corporum noſtrorum ineſt melancholico, in tantam ſæpe aciditatem & acredinem elevatur, ut non tantùm inter vomendum ipſo tranſitu vias exulceret: verùm etiam in terram decidens, non aliter ac aqua fortis, aut vitrioli oleum, bulliat. Non mediocris hujus humoris cũ vitriolo affinitas & ἀναλογία, in cauſa eſt, ut vitriolicus à nobis appelletur: ſicut non abſimili privilegio, quædam bilis ſpecies, æruginoſa fuit à nonnullis nominata. *Quænam ſit humoris melancholici cum Vitriolico convenientia.*

Acetum ſimplex, non parum habet, cum humore acido melancholico corporibus noſtris inſita, ſimilitudinis & convenientiæ: verum quoniam ſufficiens humoris iſtius melancholici copia, vix ac ne vix quidem haberi poteſt: ad opus chymicum moliendum, à natura animali ad vegetalem tranſeamus, ut utriuſq; collationem, aceti nimirum & prædicti melan-

cholici humoris, ne dum in ſolo guſtu, ſed in aliis etiam amborum facultatibus, aperiamus.

*Aceti & humoris Melancholici* παράλληλα.

Inprimis igitur acetum ex liquore omnium ſuaviore, dulciore, magisq; nutritivo, & naturæ familiari elicitur: vino nimirum, nec vino tantum, verum etiam cereviſia, hydromelite vinoſo, & quovis in ſumma nutritivi humoris genere. Acetum hoc ergo commune licet è vino fiat, alimento plurimùm nutritivo, minimè tamen vires naturæ lapſas reparat, eò quod ſpiritu vitali ſpolietur: in quo præſertim facultas illa ineſt ſpiritibus noſtris conſentanea, & ad nutriendum accommodata. Inde fit ut quidam, quorum princeps eſt Galenus, acetum vinum mortuum appellent, nec idcirco tamen liquor ille naturalis eſſe deſinit, quàm plurimis naturæ aptus intentionibus: ſicut inter alia appetitui exacuendo: ut taceam, quod & citra noxam bibatur.

*Lib. 1. de ſimpl. med. facult.*

Huic aceto vegetabili, qualitatibus reſpōdet humor corporis noſtri, melancholicus victus: qui naturali à ſanguine proveniens, licet ut ſanguis minime nutriat: tamen aceti inſtar alios haud exiguos in naturali œconomia præſtat uſus. Ac inter cæteros, ex liene per vas breve & venoſum

*Appetitus cibi & potus unde in nobis inſit.*

ad

ad ventriculi interiora delatus, aciditate, vel potius acidis quos continet ſpiritibus, ventriculi orificium ſuperius, numeroſa nervorum ſerie ex ſexta inprimis conjugatione propagata coronatũ, vellicando, primo ſenſum excitat, hoc vero ipſo dein appetitum animalem exacuit. Cæteras vero quas habent conformium qualitatum inter ſe ſimilitudines, ſciens prætereo.

*Quomodo fiat acetum deſtillatum & quanta illius virtus.*

Hujus aceti aciditas, per artem, ſolo mediante balneo Mariæ, miris modis intenditur, diciturq; tunc acetum deſtillatum, quod & ipſum phlegmate ſuo liberatum, in longè majorem acrimoniam vimq; aſcendit diſſolvendi. Qua deſtillatione perfecta, feces colore nigro ac ſapore acerrimo in fundo reſidentes, tantam corrodendi vim poſsident, ut de ſpiritibus ſalis, ac tartareis, maximè corporalibus ac cauſticis participare, haud obſcurè intelligantur.

*Ex humore melancholico alius aciſsimus procreatur.*

Simili plane ratione natura à nemine edocta, & ad cujus imitationem ars quicquid laude dignum præſtat, molitur, hypochondriorum calore balnei teporem ſæpenumero longè excedente, in ſeparatione ſubſtantiarum liquoris hujus acidi naturalis, ſucci videlicet melancholici, ac cum aceto vegetabili, plerarumque

qualitatum ſimilitudine participantis partibus tenuioribus magisq; aëreis evaporatis progreditur: ipſumq; quodammodo, ut Hippocratis verbis utar, commutat in acetum deſtillatum acidiſſimum, tantoq; diſſolvendi ac conſumendi robore præditum, ut momento quaſi atterat ſolidiſſima quævis, ac loco naturalis, caninam expetentiam excitet.

*Humor atrabiliarius unde in nobis procreetur.*

Feces verò hujus humoris melancholici in ſeparationis fundo reſidentes, tam colore nigro quàm proprietatibus reliquis, acrimonia inprimis, aceti feces æmulantur. Eſtq; hic humor atrabiliarius dictus maximè contra naturam, morbos generans ut curationis longioris, ſic ſymptomatum vehementia famoſos.

Atq; in his quidem Analogia & proportio aceti vini vegetabilis, cum ſanguinis aciditate conſiſtit. Principalis verò noſter hoc loco ſcopus eſt, oſtendere, acidam qualitatem remiſſiorem aceti ſimplicis, intenſiorem deſtiliati, intenſiſſimam verò ac plane erodentem fecum: nec ab exceſſivo calore aut frigore, neq; etiam intenſiore dependere aciditatè vellicante, ſed à quibuſdam potius ſpiritibus, quorum alii quidem natura acida vellicanteq; ſunt præditi, alii vero qualitate ſalſugino-

ſuginoſa eaque mordicante & erodente.

Illi porrò ſpiritus in ſuis matricibus, ſive liquore & fecibus prædicti aceti deliteſcunt: quorum facta ſeparatione, manifeſtum evadit, facultates ſeu qualitates diſſolventes ſupradictas neutiquam à materia ſeu qualitatibus elementaribus, ſed à ſola procedere forma ſeu ſpiritibus, quæ cum non magis in ſeparatione partium aceti, quàm ipſius aciditatis ſanguinis noſtri, locum habere oſtendantur: non immeritò ſimiles quoq; ex utriſq; concluſiones elicimus.

Profectò ſi Galenus (vir alioqui ingenii ac ſubtilitatis miræ) voti ſui, quod ex cap. 19. libr. 1. de ſimpl. Medicam. facult. colligi poteſt, compos factus fuiſſet, ſiq; modum ſeparandi diverſas in aceto ſubſtantias, non minùs quàm muliercularum vulgus in lacte, caſeum à butyro & ſeroſitate reliqua facili negotio ſeparantium, deprehendiſſet, aut ſaltem ſpirituum dictis ſubſtantiis inhabitantium diverſitatem: tanto profecto cum labore ac ingenii defatigatione, fruſtra indagine ſuſcepta, acrimoniæ, aciditatis, viſq; in aceto diſſolventis cauſas, in nudis calidi & frigidi qualitatibus, 20. 21. 22. & 23. capitibus libri citati minimè collocaſſet. *Galeni ſententia circa miros aceti effectus improbatur.*

Demonſtrationis autem noſtræ initium ducamus à fecibus, poſt aceti deſtillationem in fundo vaſis reſiduis, humoriq; atrabiliario ſimillimis.

*Aceti deſtillatio quo modo fiat.* Harum fecum ſi libram vel amplius in retorta vitrea, cum recipiente probe lutata aperto igne (qualis ad oleum vitrioli craſſius extrahendum adhiberi ſolet) deſtilles: aſcendentes primum videbis ſpiritus craſſos, ac inſtar nubis ſpiſſos, ac conſequenter corporeos, qui citra ignis diuturnioris ac continui violentiam planè ſeparari nequeunt: paulò poſt verò in oleum ſeu liquorem, mordacitate ac qualitate cauſtica, nec ipſi oleo vitrioli cedentem, ambientis ipſos aëris frigore denſari conſpicies.

Terra in fundo remanens, ſalſedinem quidem aliquam, ad horum tamen ſpirituum igneā quaſi penetrandi ac diſſolvendi vim minimè accedentem nanciſcetur.

*Unde carcinomata producantur.* Similes plane terreſtres ſpiritus in atra etiam bile continentur, fecibus nimirum liquoris acidi, aut melancholiæ naturalis: quos ob naturarum ſimilitudinem, ſpiritus appellamus corporeos, vitriolatos, qui certè in iis quos Carcinomata infeſtant, carnem & oſſa quotidiano morbi incremento, arrodendo depaſcuntur.

Quod

Quod vero ſpectat ad ſpiritus aceto deſtillato immerſos, cum illi ſubtiliores naturæq; magis exiſtant aëreæ, eorum ſeparatio eatenus eſt difficilior, quatenus ſub oculis ſubjici non poteſt. Expertus tamen Chymicus, cujus ſapientia & artificium ad ardua quæq; extenditur, eoſdem ſine multo negocio eliciet.

*Quomodo acetum ſuâ aciditate ſpolietur.*

Fit autem ſumendo unciam circiter unam ſalis Tartari puriſsimi, huicq; in alembico ſuper infundendo unam aut alteram libram aceti deſtillati optimi. Ac deſtillatione gradatim lento igne ſuſcepta, dictum acetum omni aciditate viq; diſſolvendi ſpoliatum deſtillare videbis, ſapore ab aqua communi non differente. Eò quod ſpiritus ſalis acidi vitriolici, à quibus veluti ſubtiliſsimis omnem ſuam virtutem mutuabatur, & à quibus præterea aliter ſecerni non poterat, ejuſdem ſalis Tartarei beneficio retinentur: natura quippe ſimile ſimili gaudet, prout antea declaravimus. Acetum tamen quod inde dilabetur, eandem prorſus quàm aqua dulcedinem retinens, parum admodum de ſua imminuet quantitate. De libra namque una aceti pauca ſolummodo grana ſalis volatilis & acidi detrahentur, quæ totam illi diſſolvendi virtutem & aciditatem,

tem,

tem,in prædicto ſale tartareo remanentia, ſuppeditabant.

Simili planè ratione aqua vitæ optima, multiplici rectificatione (ſic mihi per artem loqui liceat) naturam quodammodo igneam vel aêream adepta, omni tamen virtute ac robore exui poteſt,ita ut inſtar aquæ fontanæ deſtilletur prorſus inſipida. Philoſophica nimirum id præſtatur deſtillatione, detrahendo ei ſpiritum ac ſal armoniacum, ſulphurulentum, & igneæ naturæ ſeu æthereæ: licet ex integra aquæ vitæ libra extractum, paucula grana non ſuperet. Atq; hoc armoniacum ſal, ſulphureum,volatile,ac ſpirituale,à vero philoſopho ad tantam activitatem perduci poteſt, ut ſolidiſſimum etiam metallum, radicali interim ejus humido minime deſtructo, in momento oculi calcinet. Hic namq; eſt ignis naturæ cæleſtis, animans & vivificans,igni noſtro communi deſtructori è diametro oppoſitus.

*Quomodo aqua vitæ ſuis ſpiritibus exuatur.*

Horum ergo ſpirituum ex diverſis vini partibus (aceto nimirum,aqua vitæ, ac fecibus reliquis) extractorum, excellentia, agendiq; inprimis robore demonſtrato: In maſſa quoq; corporis noſtri ſanguinea pari ratione non ſolum tres humores, numero diſtinctos, verum ejuſdem inſu-

*Maſſa ſanguinis diverſos humores continet.*

per

per plane cum dictis naturæ, roboris, & efficaciæ, contineri dicimus.

Quemadmodum enim in Tartaro reliquisq; vini fecibus craſsioribus, diverſi reperiuntur ſpiritus, ac inter alios adeò fœtentes, ut omnem ſæpe circumjacentem aërem inficiendo, contagii cauſa exiſtant: (unde fit ut qui cineres quos vocant gravellatos acerrimi ſalis comparandi gratia moliuntur, eoſdem in locis ab hominum conſortio remotis cogantur conficere) ſic etiam in Tartaro ac fecibus humani corporis (illiusq; præcipue qui potu, variisq; utitur ciborum generibus, quorum ſinguli peculiare quodammodo ut nutrimenti ſic fecum genus poſsident) ſpiritus continentur fœtentes varii, nec fœtentes modo, verum & fœtidiſsimi ſæpeq; venenati, ac peſtiferi, variis etiam gravibus nos morbis affligentes.

Ex ante dictis abunde docuimus, quomodo è vino dum priſtinam naturam, ſeu formam ac faciem retinet naturalem, aqua vitæ educi poteſt cœleſtis & ætherea, quæ naturæ maxime eſt familiaris.

Docuimus præterea, quomodo ex eodem vino varias elicere datur ſubſtantias, quales ſunt acetum acidum, & ex eodem aceto aqua ſeu liquor acidiſsimus, qui eo magis

*Ex fecibus vini & aceti ſpiritus fœtidi elevantur & corroſivi.*

magis intenditur, quo magis per balneum Mar. phlegmate depuratur. Inde etiam oſtendimus quomodò è fecibus ejuſdem aceti, nigris, denſis & ſalſuginoſis, ignis virtute liquores mordaciſſimi & inprimis corroſivi eleventur: non ſecus ac ex tartaro & reliquis vini fecibus diverſa ſpirituum ſulphureorum, nitroſorum, feculentorum, & fœtidiſſimorum genera ſecernuntur. E quibus rurſus cineres gravellati, ut vocant, ſive ſales acerrimi conficiantur. Tot demum variæ ſubſtantiæ, adeò inter ſe repugnantes & contrariæ, quotieſcunq; è vino depromuntur, à natura prorſus ſunt alienæ: ſi verò contrà mixtim in illius maſſa reſideant, vinumq; debita ſua conſiſtat ſymmetria, inſtar nectaris dulciſſimi, naturam noſtram apprimè fovent atq; nutriunt.

Simili prorſus ratione artiſta ſedulus, naturæ, quæ omnem humanæ philoſophiæ perfectionem multis paraſangis tranſcendit, imitatione, ex maſſa quoque ſanguinis dulciſſimi extrahere novit aquam vitæ cœleſtem, ac cum nectare noſtro vivifico, conſentaneam. Ut & ſeroſam quandam ac inſipidam humiditatem ( phlegma vulgò dictam ) quin etiam liquorem ſimpliciter acidum, quique eadem planè

qua

qua ſupra de vini aciditate dictum eſt ratione, in acidiſſimam ac penetrantiſſimam elevari aciditatem poteſt. Qua ſeparata ex maſſa eadem, emergere videbit feces nigras, acres & corroſivas, in quibus diverſis ſubſtantiis ſpiritus varii (non aliter ac de vino dictum eſt) vaporoſi, halituoſi, aut ſulphurei, fuliginoſi, ſalſuginoſi, acidi, dulces, acresq; continentur. Qui ſi admirabili naturæ vinculo & harmonia invicem colligentur, tantùm abeſt ut in naturali œconomia turbas ullas dent, ſeditioneſve moveant, ut potiùs animæ noſtræ vehiculum, & corporis vinculum exiſtant arctiſſimũ. Quando verò dulcis illa humorum harmonia interpolatur, illiq; temperaturæ terminis egreſſi, vires ſigillatim poſſident in ſummo gradu excellentes, nec mutua activitate recuſas: naturæ inprimis obſunt, eamq; de ſuo ſtatu dejiciunt.

*Idem ſpiritus à ſanguine qui à vino eliciuntur.*

Hinc fit ut Hippocrates lib. de veteri Medicina ſupra citato, terminis *Acidiſſimi*, *Dulciſſimi*, *Amariſſimi*, nihil aliud quàm immenſum ſpirituum robur, naturæq; noxium innuere voluerit, cùm inferius ſubjungat: *Atq; hæc quidem mixta, ac inter ſe temperata, neq; conſpicua ſunt, neq; hominem lædunt.* Item, *Ubi verò quod horum ſecretum fuerit, atque ipſum in ſeipſo fuerit,*

*Morborum origo ab humorum diſcraſia petitur.*

*fuerit, tunc & conſpicuum eſt, & hominem lædit.*

Ac licet Raimundus Lullius, Chymicas has è vino & ſanguine extractiones, in libro ſuo de quinta rerum eſſentia (cui titulus Lunaria major & minor) minimè prætericrit: attamen cymmeriis terminorum obſcurorum umbris, rei quam poſſidet claritatem potiùs videtur involvere, quàm novo lumine colluſtrare. Nos verò lib. de priſcorum philoſophorum materia Medica, clarè ſatis ac apertè quicquid ad hujus rei declarationem neceſſarium videtur, propoſuiſſe arbitramur.

*Artis chymicæ commendatio.*

Atq; in hiſce rebus conſiſtit anatomia vitalis & interior, exteriorem, illam ac vulgarem, ut utilitate, ſic & neceſſitate longè ſuperans: utpote qua mediante, ſubſtantiæ ſpirituales, aſtrales, ac formales, priùs in tenebricoſo materiæ Chao immerſæ, Orphei nocte circumdatæ, ac in Hippocratis orco deliteſcentes, in apertam lucem producuntur. Hoc deniq; cœlum eſt philoſophorum, cujus claritas ac ſplendor, non tantùm in vino & ſanguine, verùm in omnibus omninò rebus naturalibus, tam mineralibus quàm vegetabilibus & animalibus, modò hebetes oculorum noſtrorum radii artis opera adjuventur,

tur,

tur, relucet. Hoc deniq; non minus quàm Ariſtotelis Organon, *Inſtrumentum inſtrumentorum* dici poteſt, in rerum inquiſitione fructus immenſi. Cujus beneficio omnes omnium ſæculorum philoſophi, in variis quas quiſq; ſibi ſelegerat materiis, feliciter ſanè, ſummoq; cum fœnore verſati ſunt.

Rogerius, Bacho, Rupiciſſa, Ulſtadius, pluresq; alii philoſophi inſignes poſt Lullium, varios ac mirandos vini effectus, in quorum cognitionem, & nobis venire datum eſt, peculiaribus hac de re conſcriptis libris declararunt.

Chriſtophorus quoq; Pariſienſis, urinarum anatomiam aggreſſus eſt, in cujus operatione miracula certè plurima comperiuntur, longè diverſa à colore rubeo, flavo, albo, nubeculis, hypoſtaſibus, ſedimentis, aliiſq; id genus indiciis, quorum tamen notitiam licet non improbemus, imò Medico neceſſariam judicemus: nihil tamen eſt, aut certè parùm, relatione facta ad internas ejuſdem urinæ partes.

Ex imis namq; urinarum penetralibus, ſalia extrahuntur nitroſa, & ſulphurea, ſeu Armoniaca, variis ut coloribus, ſic & ſaporibus, ac odoribus tam gratis quàm horrendis, prædita: ex quibus poſt- *Quantopere urinæ indicia ſint obſervanda, declaratur*

modum ſecundum artem, mirabilium proliciuntur ſpiritus virium, nitroſi, armoniaci, vitriolati, non tantùm diverſos, ſed & ſæpè contrarios edentes effectus. Quibuſdam ipſorum corpora metallica diſſolventibus etiam ſolidiſſima, aliis è contrario ſpiritus vel æthereos, coagulantibus. Ex quibus obiter patet calculi concretionis, ſeu coagulationis, tam in veſica quàm in inteſtinis, aliisq; frigidis & membranoſis corporis partibus, cauſas, virtuti potiùs coagulatrici ac concretrici, qua dicti vitriolati ſpiritus abundant: quàm intenſiori calori, qui vix in has partes transmigret, eſſe adſcribendas.

Quin & plurimorum tam internorum quàm externorum, quibus corpus infeſtari ſolet, ulcerum cauſæ, ſoli ſali armoniaco ac nitroſo, quo non ſolùm urina, ſed etiam univerſa per corporis molem diſperſa, ſanguinis humorumque aliorum maſſa abundat, per me licet aſſignentur.

*Mellis & ſachari ingens acrimonia per eorundẽ anatomiam dignoſcitur.*

Ex illa porrò, quam Iſacus Hollandus nobis deſcribit, interiore ſachari & mellis anatomia, quot quæſo depromuntur eſſentiæ ac qualitates, & quam variæ, quas inibi occultari, ne ſagaciſſimus quidẽ ac ſubtiliſſimus qualitatum combinator, mente

mente concipere potuiſſet? E ſacharo enim, colore albo ac odore ſuavi prædito, certa deſtillatione, tantæ proliciuntur nigredines, abominandiq; fœtores, ut tàm gratum ac ſuave fuiſſe ipſorum domicilium, nullus non ſtupeat & miretur.

Quis etiam ſub adeò grata utriuſq;, tàm ſachari quàm mellis dulcedine, tàm violentam latere putaret acrimoniam: ut etiam ſolidiſſima quævis metalla (quale eſt aurum) quacunq; aqua forti vel regali promptius penetret, ac celeriùs perfectiuſq; diſſolvat? Atq; hæc ſunt, in quorum deſperatam alias cognitionem, nos introduxit interior, ac vitalis rerum anatomia, per quam ſpiritus vitales & activi, quibuſdam veluti compedibus in profundo reconditi & devincti, in manifeſtam lucem producuntur & exolvuntur.

Ut ergo eò, unde nos pauliſper abripuit materiæ hujus amplitudo, revertamur: benevolum utiq; lectorem rogatum cupimus, ut omni præjudicii umbrâ procul abire juſsâ, æqua mentis trutina perpendat, quæ de naturali horum ſpirituum tam inter ſe conjunctione, quàm de artificioſa eorundem ab invicem ſeparatione, ipſorum item matricibus, videlicet tam naturalibus, quàm de humoribus præter

*Cur tantopere author in declarandis ſpirituū virtutibus immoratus ſ.*

naturam, deq; Tartareis ſive craſſis quibus ipſorum multi continentur, ſubſtantiis, hactenus propoſuimus Sic enim magnos ac admirandos, tam ſalutares quàm noxios, eorum effectus, candore philoſophico intuebitur: fieriq; non poterit, quin novo quodam oculos mentis ejus colluſtrante lumine, penitiorem aſſequatur dictorum Hippocratis in lib. ejus de antiqua Medicina expreſſorum, ut & lib. de flatibus, cognitionem. Ipſemet præterea propoſiti noſtri conſcius, nos cum Hippocrate dictis in locis, omnium morborum cauſas ſpiritibus malignis, ut & ſanitatis conſervationem benignis, non temerè aſſignaſſe concludet.

Ac ut quod res eſt liberè fateamur, ad libri hujus de flatibus, ut planè divini, ſic à paucis intellecti, veram ac genuinam interpretationem, ſeu potiùs clavem ſtudioſæ juventuti ſubminiſtrandam: hanc de ſpiritibus doctrinam pauló fuſius proponendam ſuſcepimus. In qua ad oculum demonſtravimus facultates, proprietates virtutes, & impreſſiones vitales, tam ſalubres quàm noxias, à ſubſtantia potiùs ſpirituali, aſtrali & formali, quàm à materia, vel craſi, vel deniq; qualitatibus dependere Elementaribus.

Idipſum

Idipſum etiam potiſſimum præſtitimus, ut certo certiùs evinceremus, cauſas efficientes peſtis adſcribendas eſſe ſpiritibus quibuſdam feculentis, forinſecus aëri inſpirando quàm accuratiſsimè ſeſe commiſcentibus, vel etiam intra corpora noſtra progenitis, diverſis humorum corruptionibus ac impuritatibus tartareis, matricis ac receptaculi inſtar eos foventibus Spiritibus inquam ita venenatis, ut in ipſo quaſi primæ efflorеſcentiæ momento, variarum digeſtionum interventu à diverſis nativi caloris (ſimili quo ſupra oſtenſum eſt de igni artificiali ratione) gradibus ortarum, è fomite ſuo transferantur: ac non ſolum ipſi communicentur cordi, verùm etiam omnes omnino corporis noſtri ſpiritus momento inficiant, & varios morbos Epidemios, Contagioſos, & lethales, unâ cum ipſa peſte producant: ſi quando ad venenorum Napellinorum, Arſenicaliumq; naturam propiùs admoveantur.

*Cauſa peſtilentiarum generalis unde petatur.*

Cæterùm ſi quis his noſtris dictis minimè acquieſcens: cauſam inſuper inquirat, cur ſpiritus hos Arſenicales, Napellinos, & Aconitales, tanta malignitate dicamus præditos: huic ſanè cœlum ipſum conſcendere ſatagenti, ſcalas fruſtra porrigere conaremur, memores illius Theo-

phraſti cap. 8. ſuæ Metaphyſ. ubi ait: *Qui omnium rationem requirunt, hoc ipſo rationem ipſam tollunt, atq; unà ſcientiam abolent & ſubvertunt.* Cujus quidem dicti ratio in promptu eſt, non minus authoritate communi philoſophica, quàm naturali intellectûs lumine ſtabilita: quod videlicet, in progreſſum infinitum (qui tamen Ariſtotele in Metaphyſ. teſte, tam ſecundum rectam lineam, quàm tranſverſam non datur) ridiculè admittere velimus: tandem principiis quibuſdam primis, immediatis, ac minimè demonſtrandis innitendum ſit. Si igitur cauſa ſeu medium demonſtrationis, qua effectus aliquis ſuo ſubjecto inſit, à priori ſeu demonſtratione potiſſima, vel ob rei ipſius naturam (id quod in omnibus propoſitionibus primis, ac immediatis eſt perpetuum) vel ob noſtræ cognitionis imbecillitatem ignoretur, id ſanè mirum videri non debet: ſiquidem quod à ciconia vulpi, id alte nimis philoſophantibus, meritò objicitur: *Vitrum lambunt extrinſecus, pultem intus latentem non attingunt.* In omni quippe rerum naturalium per analyſin indagatione, abſolutæ neceſſitatis lege tandem perveniendum, ac immorandum certis quibuſdam principiis, quæ certè vel per ſe, ac reſpectu ſui,

*Prolepſis Authoris ad nimis curioſos cauſarum inquiſitores.*

ſui, vel ſaltem reſpectu cognitionis ac capacitatis, ſeu potiùs incapacitatis ac imperfectionis noſtræ, indubitata remaneant.

Quocirca cùm cauſas non magis reddere poſſimus, ob quas tam ſubitaneos ac mirandos motus, hi ſpiritus conjunctos habeant, quàm quare Magnes trahat ferrum, ſemperq; polum reſpiciat: in ſolis quos producunt, quosq; ſenſibus ſecundum ſpeciem falli neſciis ſubjiciunt effectis, merito acquieſcimus.

Ac licet omnes actiones vitalesq; impreſſiones, à ſolis procedere ſpiritib. ſit à nobis demonſtratum: tamen omnium in genere morborum cauſas ſpiritib. velle adſcribere (licet placitis Hippocratis neutiquam refragari à multis videatur) ac ita receptas in ſcholis morborum diviſiones, in intemperiem vel ſimplicem, vel humori pituitoſo, bilioſo, melancholico, iiſque vel ſolis, vel inter ſe miſtis complicatam, ſicq; alteram morborum, materialium videlicet, claſſem invertere: hîc noſtri minimè eſt intenti.

In præſentia ſiquidem non de morbis materialibus, quorum cauſæ ut manifeſtiores, ſic quoq; faciliores curatu exiſtunt: ſed de ſpiritualibus tantum (quales ſunt Epi- *Variæ ſunt morborum materialiũ & ſpiritualium cauſæ.*

Epilepſia, Apoplexia, Peſtis, lues venerea, aliiq; complures) ſpirituales, formales, & aſtrales ſui cauſas agnoſcentibus, ſermonem inſtituimus. Illi quippe ut à ſenſuum noſtrorum judicio ſunt ſemoti, ſic & ipſi intellectui quodammodo occultantur, & ex ſententia Hippocratis τὸ θεῖον, ſeu divinum quid poſsident, ratione cujus ſphæram noſtræ cognitionis tranſcendunt: imò ſacra pagina docente, ad peccatorum noſtrorum caſtigationem divinitus immitti referuntur. Sic enim inquit Dominus: *Si in decretis meis ambulaveritis, dabo vobis pluviam ſuo tempore: ſi autem non audiveritis me, conſtituam ſuper vos tabem, peſtilentiam, & ſcabiem quæ non poſſit curari, & dabo vobis cœlum ſicut ferrum, & terram ſicut æs.*

## *De ſignis Peſtis indicantibus & Prognoſticis.*

## CAP. VII.

PESTIS inter morbos periculi plenos curatuq; difficiles, vel hoc in primis nomine recenſetur, quod reliquorum diſſimilis, per cuniculos admodum occultos nihil non moliatur. Unde fit certè, ut ex tot inſidiis, nihil aliud quàm ſumma ejus incon-

inconſtantia, variaq; ſymptomatum confuſio ſubſequi poſſit.

Primus ejus inſultus ſæpè fit in inſtanti & ſubitò, comitantibus frigore, horrore, ac tremore corporis universi. Quandoq; calore ardentiſſimo, quandoq; præcedentibus nauſea & vomitu, quandoq; Lipothyma, ac vitalis roboris repentina reſolutione. Quandoq; cephalalgia, eaq; vel cum continuis vigiliis vel ſomnolentia ſtuporifera conjuncta: quandoq; etiam telam ſuam exorditur, à ſumma quadam inquietudine cordisq; anxietate, comitantibus ſudoribus frigidis calidiſve. *Varia peſtis ſymptomata deſcribuntur.*

Colorem faciei quòd attinet, ejus tot ferè ſunt ideæ, quot laborantium individua. Quidam ſubitò expalleſcunt, & afficiuntur livore vario, qui præſertim in oculorum palpebris eluceſcit. Alii verò ſunt oculis vagis torvum reſpicientibus, lingua ſubitô areſcente, primisq; duobus diebus, carbonis inſtar, nigricante: voce debili ac exili, ſermone ad lapſum præcipite, linguaq; tremula, viribus momento concidentibus omnibus, ita ut vel robuſtiſſimus quiſq; ſibi ipſi ſuſtinendo non ſufficiat. Pulſu in agnitione hujus morbi nihil inconſtantius: principio ſiquidem dum ſpiritus vitales æqualibus quodam- *Quæ ſigna peſtem adeſſe denunciant. Ex facie. Ex pulſu.*

modò viribus veneno reſiſtunt, ipſum in multis videas plenum, ſatisq; fortem, æqualem & ordinatum: ſi verò paulò poſt examinaveris, pro menſura decrementi virium ab hoſte oppreſſarum, à vigore ac æqualitate paulatim decidere ſenties, percipiesq; ipſum primò debilem, mox palpitantem, ac convulſivum. In ſumma, quæcunq; repentina ſe offeret mutatio, maximum quoq; inter vitale robur, ac contagii venenum conflictum ſignificabit.

*Ex urinis.* Sic quoq; mendaces peſtiferorum urinæ in præſagiendi arte, nihil, quod alicujus ferme momenti ſit, ſubminiſtrant. Ipſæ enim quandoque, licet admodum malum premat, nihil prorſus immutatæ, ſanorum urinis exiſtunt quàm ſimillimæ: quandoq; ſubitò jumentorum urinas referunt.

*Signa peſtis quænā ſint pathognomonica.* Hæc autem ſigna, principio tantum ſola nituntur conjectura: at ubi mali contagium aliunde manifeſtum evadit, exiſtunt ferè pathognomica. Mali verò contagium certò cognoſcitur, ſi non aliquibus tantùm, verùm quàm plurimis facili occaſione communicetur, comitantibus anthracibus, carbunculis, bubonibus, puſtulis, & exanthematis ex nigro liveſcentibús, idq; vel ſtatim à mali invaſione, vel

ſub

ſub ipſum mortis articulum. Naſi quoq; auricularum, ac unguium in digitis livor, magis quàm in morbis non contagioſis, ad nigredinem vergit. Hæc namq; ſi appareant, certiſſimam contagii præſentiam arguunt. Nec verò hanc morbi præſentiam Medico certis quibuſdam ſignis cognoviſſe ac judicaſſe ſufficiet, ni ſimul de ejus periculo aut evaſionis ſpe, non minus certis quibuſdam ex arte ſua depromtis indiciis, aſtantium ſatisfecerit deſiderio, artiſque propriæ tueri noverit authoritatem.

Vera itaq; peſtis in genere, morbus exiſtit maximus, acutiſſimus, ac lethalis. In quo, cùm prognoſticationes ſæpè fallant, præſtabit magis ad pejus præſagiis noſtris inclinare: quàm dubio rerum eventu, maximo authoritatis noſtræ præjudicio, inani fortè ſpe, tam ægrotantem, quàm adſtantes amicos lactare. Experttiſſimi namque hoc in caſu, propriæ conjecturæ nimium tribuendo, decipiuntur ſæpè Medici, ex faciei ægri parùm admodum immutata, nedum Hippocratica, omnia proſpera ſibi imaginantes. Cùm tamen interim mors à tergo, alexipharmacorum, Theriacarum, aliorumque Bezoardicorum remediorum ſpecificorum *Facies peſtiferi aliquãdo decipit.*

rum

rum robore fracto ægrum præter omnem ſpem, continuò è vivis jam jam ſit ſublatura.

*Signa quæ ab exteriori mortem peſtiferi denunciant.*

Sequuntur ſigna prognoſtica exteriora, quibus peſte laborantibus certum interitum prænunciamus, dicta vulgo, ſigna ad mortem.

Facies ægri horrenda multumq; immutata, quæq; ex rubore præcedente mox liveſcat, non ſecus ac extremitatum rigor, cum internorum viſcerum conflagrante æſtu, lethalis exiſtit.

Pulſus quoq; inæqualis & formicans, cum extremitatibus quodammodo gelu rigentibus, ac ſudore ſimul frigido faciem ac pectus irrorante, nec non maximis animi deliquiis, mortem præ foribus adſtare ſignificat: non minus quàm ſi venter ægrotantis, languore & anxietate comitantibus turgeat.

Hæmorrhagia quoq; omnis in mali principio lethalis eſt. tertio verò vel quinto die poſt invaſionem, narium hæmorrhagia aliquando, rarius licet, periculi evaſionem ſubminiſtrat.

Urinæ ut & ſudores copioſi ac intempeſtivi, diaphoretici potiùs ſunt, quàm Critici, ideoq; peſſimi. Si ſoporifer aliquis affectus diu durans, aut phreneſis

cum

cum balbutie ſuperveniat: ſpes in anguſto poſita eſt.

Excretis alvi nigricantibus ac fœtentibus, nativi caloris extinctio demonſtratur.

Omnis generis exanthemata ægro nequicquam ſolatii adferentia, ſiniſtri ſunt judicii.

Anthraces & carbunculi, quorum puſtulæ nigræ, & duræ, ægrè aperiuntur; apertæ vero puris loco ſpumam continent: non minus ac anthraces parvi qui ad ventriculi regionem ſiti ſunt, nihil ſalutare præſagiunt.

Carbunculorum quoque multitudo, peſſima quæq; minatur, utpote quæ magnitudinem cauſæ, ac veneni vehementiam arguat.

Bubonum vero multitudo reputatur in bonis, ac diadoſi materiæ morbificæ laudabili facta, naturæ triumphantis arguit robur.

Si tamen bubones hi ad maturitatem non perveniant, ſed diſparendo ad interiora remeent: regionem cordis veneno repetente, jàm conclamatum eſt.

Puſtulæ & exanthemata rubra, paucis poſt diebus ſubito nigricantia ac liveſcentia, mortem propinquam ſignificant.

Exan-

Exanthemata & puſtulæ, initio mali copioſè erumpentia, nec rurſus evaneſcentia, eò quod præcipua materiæ venenatæ pars foras à natura ablegetur, bene ſperare jubent.

Eryſipelas peſti ſuperveniens, factóq; ulcere ſaniei multum concipiens: ſalutaris è loco nobiliori ad ignobiliorem, materiæ revulſionis judicium eſto.

*Quinam peſti ſint magis obnoxii.*

Inter prognoſtica generalia primas tenet, quod habitus cachectici huic malo ſuſcipiendo præ reliquis ſint expoſiti: hinc ad præcautionem ſæpius purgandi.

Bilioſi quoq; ob majorem cordis calorem, qui neceſſario frequentiorem ac copioſiorem aëris poſtulat inſpirationem, huic malo ſunt magis obnoxii: cum aër tunc temporis veneni contagia ſuo gremio occultet & contineat.

Senes & fœminæ peſte laborantes, frequentius Luna decreſcente, Plethorici in plenilunio plerunq; intereunt.

Primus Lunæ quadrans omnibus peſtiferis minus eſt infenſus, ut & tempus matutinum in omnibus fermè morbis.

Ut Auſtri, aërem pluviis craſſisq; exhalationibus varia putredine concomitatis, replere ſolent, ſic Eteſiæ venti Septentrionales, inſtar ſcoparum eundem repurgare:

gare : utq; hi peſti adverſari, ſic illi ipſam fovere traduntur.

Peſtes autumnales peſſimæ ſunt, & longioris durationis, ut & reliqui ferme morbi omnes, ac præſertim febres quartanæ.

Hæc igitur de prognoſticis ſignis dicta ſunto, de quibus in genere hæc ſit regula. Quod ſignorum ſiniſtri judicii præſentia Medicum à ſuccurrendo fideliter ægro minime revocare debeat : cum adverſis ſæpe noſtræ opinioni veſtigiis natura incedat.

Hinc Latinorum Medicorum Princeps : *Spem dubiam certæ deſperationi ait præferendam.* Tutius itaq; fuerit qualiacunque, implorato potiſſimùm divini numinis auxilio, quàm nulla prorſus remedia adhibere.

Atq; hæc de natura, eſſentia, differentiis, cauſis, ſignis indicationis, ac prognoſticis peſtis dicta ſufficiant. Reliquum eſt ut ad ejuſdem curationem deſcendamus.

PESTIS

# PESTIS ALEXICACVS

*Sive*

# LUIS PESTIFERÆ FUGA.

## LIBER SECUNDUS.

### *De Cura Peſtis præſervativa.*

### CAP. I.

PEſtilentiarum alias eſſe cœleſtes ſeu ſuperiores, alias verè elementares ſeu inferiores, ex diſtributione earum libro primo propoſita manifeſtum evadit.

*Vera peſtiũ cœleſtium remedia.* Priorum cauſæ cùm exiſtant occultæ, remedia quoq; ſupernaturalia expoſcunt. Quum inquam ab omnipotente Dei manu ad iniquitates mortalium viſitandas immittantur peſtes ſuperiores, ſolo contritionis ac pœnitentiæ, nec non orationum & ſupplicationum, tam publicarum, quàm privatarum alexipharmaco declinantur

nantur ſuperanturq;. Hinc ſecundum prophetiam Ezechielis cap. 5. & 9. ad miſericordiam altiſſimi confugientes, litera *Thau* notati, inſtar Hieroſolymitanorum fidelium, à malo contagii præſervantur, reliqua infidelium caterva peſte ſimul & fame exterminata. Cum enim veritas ſeu juſtitia altiſſimi, ejuſdemq; miſericordia, pari paſſu ambulent: remediis malo huic amoliendo idoneis nos minime deſtitui voluit Omnipotens, nec multò minùs laudato eorum uſu nobis ulla ratione interdixit. In vanum namq; non creavit medicinam altiſſimus, qui ex multitudiue remediorum ſuorum, tam intactos præſervando, quàm reſtituendo obſeſſos, non mediocrem ſibi gloriam comparat.

*In peſte cœleſti naturalibus remediis uti licet.*

Cura interim in hiſce cœleſtibus peſtilentiis hæc eſto: ut divinâ ope ac protectione, ardentiſſimis precibus imploratâ quàmprimùm locis regionibuſve infectis valere juſſis, tentoria noſtra in ſolo figamus â contagio remotiſſimo, neq; temere cogitemus de revertendo, ſecundum regulam libro primo citatam: *Citò, longè, tardè: cede, recede, redi.*

Cum verò hic noſter labor univerſo generi humano dicatus ſit, neq; magis reſpiciat magnates, quàm conſideret pau-

peres, fugæ verò opportunitas illis ſolis, licet non ſemper cum eventu concedatur proſpero, his vero contagii periculo undiq; circumdatis ut plurimum denegetur: operæ pretium fuerit, talia tam præſervationis, quàm curationis præſcribere remedia, quæ non tantum omni temperamento verum etiã omnis generis ac conditionis hominibus poſſint eſſe ſalutaria.

*Remediorũ quibus peſte utendum ſit diviſio.*

A curatione itaq;, ut tutiſſimâ, ſic neceſſaria maxime initium ſumendo, Præſervatione videlicet: ipſam dividimus in Diæteticam, Pharmaceuticam, & Chirurgicam.

Diætæ nomine intelligimus legitimam adminiſtrationem ſex rerum non naturalium, ut ſunt: *Aer, cibus potus, ſomnus vigilia, motus quies, excreta retenta, & perturbationes animi.*

Libro primo demonſtratum eſt, aërem peſtis contagii cauſam eſſe inſtrumentalem pręcipuam: in hujus igitur emendatione principalis noſtra haud immeritò verſabitur cura.

*Aëris ad peſtis cautelã ſive curationem inprimis habenda ratio.*

Cum autem aëris corruptioni & alterationi infinitæ propemodum pateant rationes & viæ: illæ non tantum pro cujuſq; particularis induſtria, verum etiam publica corrigi debet vigilantia. Cujus correctionis

ctionis ergò, imò verò & præſervationis, nonnulla præcepta tradere conabimur: incipiendo à mediis generalibus, in politici magiſtratûs manu ac poteſtate repoſitis.

Principio igitur cum aër communiter inſici ſoleat à platearu̧ ſordibus, cæteraq; habitationibus propinqua eluvie: his in primis removendis ſtudium adhibendum eſt: maximè verò in hac Pariſiorum urbe, propter ingentem ſordium è culinis emanantium, imò propter cadavera occiſorum canum, feliumq;, quæ in plateas indifferenter abjici ſolent, ibidemq; diutius reſidere, inſignem ſæpenumerò putredinem infectionemq; concipit. *Aër ab omni ſordium fœtore immunis eſſe debet.*

Huic itaq; aëris infectioni, Politia probè inſtituta facillimo negotio occurret, ſi plateas frequenter à talibus ſordibus repurgari jubeat.

Si vero ſitus urbium ad vallium ima depreſſus: ſi paludes & reliquæ ſtagnantes aquæ bufonibus & ſimilibus ex putrilagine enatis animalculis ſcatentes, nec non cœmiteriorum aliarumq; cavernarum tetros ac venenatos halitus emittentium vicinia, infectionis talis cauſa extiterit: cum illa penitus ob fomitem ac ſcaturiginem mali perennẽ corrigi nequeat, ha-

*Quæ regio, vel aër tempore peſtis ſeligendus.*

bitationis ſediſve translatio unicum remedium fuerit. Quod ſi præterea loci cujuſdam penes nos electio fuerit, eligatur potiùs editus quàm profundus, & potius Orienti aut Septentrioni, quàm Meridiei aut Occaſui expoſitus.

*Variæ aëris purgandi rationes referuntur.*

Meminimus in præcedentibus, idq; Hippocraticis placitis congruenter, ignẽ in aëris infectione corrigenda, quodammodo ſibi arrogare primas. Hinc ſub utrumq; crepuſculum, in compitis ſeu triviis & quadriviis platearum, incendantur ignes ex lignis, iisq; ſi haberi poſſint odoriferis, Qualia ſunt laurus, pinus, abies, geniſta, roſmarinus: majorisq; efficaciæ ergo aſpergantur herbæ & flores odoriferi, loco corallorum Hippocraticarum, quarum in famoſæ illius peſtis Athenienſis à Thucydide deſcriptæ, ſedatione fit mentio, 3. epidemiων. Itemq; apud Galenum lib. de Theriaca ad Piſonem.

Lemnius vero in libello quem ſcripſit de occultis rerum cauſis cap. 10. alterius cujuſdam purificandi aëris rationis meminit. Cujus verba ob elegantiam huc
" tranſponere placuit: *Factum apud Nervios*
" *quos Tornacenſes modò vocant, ubi milites præ-*
" *ſidiarii, machinas tormentaq; bellica, pulvere*
" *bombardico non globis oppleta urbi obverte-*
*runt,*

*runt: eaq́; ſub dici noctiuq́; crepuſculo, incenſo fumali explodi curabant: quo effectum eſt, ut ſonitu violento, fumantiq́; odore aëris contagium diſcuteretur, ipſaq́; civitas à peſte facta fuerit immunis & libera.* moxq́; addit Lemnius: *neq; enim minus præſentaneum eſt hoc remedium in diſsipandis nebulis, infectiq́; aëris contagiis, quàm, quod Hippocratem factitaſſe legimus, extructis pyris per compita ignes excitare.*

Portarum inſuper civitatis cuſtodes, ſpeciali magiſtratûs edicto, temporibus vicini contagii, è locis infectis redeuntes advenas in urbem haudquaquam intromittent. Quem laudabilem morem per univerſam Italiam magnamq́; Galliæ partem obſervari notum eſt. *Exotici & peregrini tempore peſtis minimè recipiendi.*

Præterea civitate aliqua contagio obſeſſa, cum per canes, feles, columbasq́; è domo in domum transferri lues facile poſſit, de his quoq; beſtiis vel prorſus removendis, vel accurate cuſtodiendis, neceſſaria cautela fuerit. *Columbaria interdicenda.*

Conventus quoque publici contagii tempore parciùs celebrandi, nundinæq́; in talia tempora incidentes interdicendæ penitus. *Nundinæ.*

Mendici oſtiatim eleemoſynam colligentes, ſimilesq́; errones in urbes ne in- *Mendici.*

tromittuntor,intromiſſi vel ejiciuntor,vel certo loco continentor: ipſorum interim neceſſitatib. alia ratione cõmoda curatis.

*Ædes infectæ obſerandæ.*

Ædes vero contagio correptæ ad colloquium inquilinorum commerciumq; interrumpendum,non tantum authoritate prætoria obſerandæ, verum & contagii charactere, qui vel è longinquo prætereuntes de periculo commonere valeat,ſunt inſigniendæ. Hæc tamen Chriſtianæ charitatis accedat moderatio, ne infecti auxilio deſtituantur: imo magiſtratus ſolicitudine,viris aut fœminis vitæ probitate,ac talium ægrorum tractandorum cognitione inſignibus committantur. Qua quidem conſtitutione minus probè obſervata miſeros hos ſæpe videas, in gulam potius incidere luporum rapacium, quàm fidelem ad id conductorum miniſtrorum curam nanciſci. Videas, inquam, miſeros à veſpillonibus, ipſorum bonis inhiantibus, ſepiliri nonnunquam ſemivivos. Cujus quidem enormis delicti,cùm requirente id neceſſitate plura à nobis allegari exempla poſſint: magiſtratûs utiq; officium fuerit, non tantum Medicos ac Chirurgos expertos: verùm etiam viros ac fæminas vitæ morumq; probitate conſpicuas, ægrotantibus aſſignare.

*Peſtiferorũ cura viris piis demandanda.*

Hinc

Hinc fit ſcilicet, ut in bene conſtitutis Rebuſpublicis, in miſerorum ſolatium, ac reliquorum civium ſecuritatem, ædificari videamus domos ab hominum conſortio paulò remotiores, in loco aperto, fluminiq; præterlabenti vicino, januis ac feneſtris Orientem ac Septentrionem verſus ſpectantibus, forma cœnobiorum, dormitoriis quàm plurimis interdiſtinctorum: itaut quilibet ægrotantium quaſi in proprio domicilio commorans, tractari commodiùs ac ſecuriùs poſſit. Tunc enim ab aliis ſecretus, miſerabilem illorũ ſtragem minimè conſpicit, nec idcircò omni plane ſpe dejicitur. Cujus quidem, quod in aliis multis civitatibus inolevit, Chriſtiani maxime operis, Pariſinos quoq; noſtros brevi futuros audio imitatores, qui plurimùm hoc in labore moventur pietate & imperio Chriſtianiſſimi noſtri Regis Henrici IV. qui non ſecùs ac aliis præſtantiſſimis ac Reip. utiliſſimis ædificiis: ſic vel hoc inprimis ad pios uſus deſtinato, nomen ſuũ immortalitati conſecrabit νοσοκομεῖω.

*Νοσοκομεῖα peſtiferorũ quo loci, & quomodo ædificanda.*

Atq; hæc quidem de Magiſtratûs officio dicta ſufficiant: ſequuntur partes ſingulorum ſubditorum explicandæ.

Principio autem τὸ ὅτι accuratè per-

pendendum venit: utrum videlicet contagium ab aëris infectione, an vero aliunde dependeat. Si enim ab illo deſcendat, locorum inhabitatio in imas valles depreſſorum, montibusq; undiquaq; occluſorum, ſeligenda potius fuerit, quàm locorum editiorum, apricorum, quiq; ventis ab omni parte perflentur. Tunc enim, cum in aëre libero verſari, præſenti periculo non careat, tutiſſimum fuerit, in ædiũ noſtrarum conclavibus inferioribus probè occluſis, noſmetipſos ad tempus quodammodo continere captivos. Quod ſi è contrario à cauſis inferioribus contagium oriatur: contraria quoq; modò dicta habitationis ratio erit ſuſcipienda.

*Quænam domicilii ratio tempore peſtis ineunda.*

Mundicies tamen ædium utriq;, non parum infectioni reſiſtit, præſertim ſi in ædificiis areas ſeu hortos poſticos habentibus, feneſtræ plateas reſpicientes publicas, quantum fieri poteſt, contineantur occluſæ.

Cum ex ſupra dictis manifeſtum evadat, contagii ſeminaria, mediantibus aëre & ventis, in loca ſæpe tranſportari remotiſſima: probati patrisfamilias ſecunda cura fuerit, omnes portas, feneſtras, quin & minimas ſi fieri poſſit rimas, lateris plagam contagio infectam reſpicientes, ſolicitè tenere occluſas.

Cœna-

Cœnacula quoq; , dormitoria, cæteraq; in quibus degere ſolemus conclavia, ſingulis matutinis, maximè vero temporibus caliginoſis, & pluvioſis, quibus aër quendam fœtorem diffundit, odoribus huic malo appropriatis ſtudioſè fumigentur: ditiorum quidem ex paſtillis ſeu trochiſcis Cypriis, ad imitationem Hiſpanicam confectis, quoniam odoris illi ſunt præ reliquis ſuavioris, vel etiam ex gallia & alipta moſchata, ſimilibusq; odoriferis præſtantioribus compoſitis. Mediocrium verò compoſitiones fieri poterunt ex olibano, myrrha, ſtorace, nuce moſchata, floribus ſalviæ, roriſmarini, Baccis lauri & Juniperi, cæterisq; ſimilibus. *Cubicula qua ratione procuranda.*

Cumq; omnia hujuſmodi thymiamata, ingredientia habeant calida & odorifera, (fortiora quippe teſte Galeno, aph. 28. lib. 5. ſpiritus potiùs diſſipant, quàm fovent) ad hoc ſeligenda erunt leviora, ac præ cæteris ſuaveolentia. *Varia fumigationum genera tempore peſtis uſurpanda.*

Pauperiores utantur baccis lauri & juniperi, quæ ubivis locorum facili pretio comparantur.

Aëre quoq; ob vim radiorum ſolis incaleſcente, ſicq; uſu reſpirationis aucto, modo dictæ Juniperi baccæ incoquantur aceto optimo, adjectis caryophyllis, roſis,

malorum cydoniorum ac citriorum corticibus, quæ (Avicenna lib. de ſimplicibus medicamẽtis atteſtante) aëris corruptioni præ cæteris reſiſtunt. Fumigandi ratio præ cæteris hæc videtur accommoda, ſi palea, aut lateres igniti dicto decocto irrorentur.

*Aër quomodo refrigerandus.*

Æſtu verò caniculæ magis ac magis incandeſcente ad aërem ambientem eventandum ac refrigerandum, utile fuerit per conclavia diſpergere manipulos juncorum, fol. vitis, ſalicis, violarum, nymphex, flores roſarum, cichorii, buglosſi, & ſimiles, aquæ frigidæ cum aceto mixtæ, immerſos.

Quòd ſi præſervationis, vel etiam curationis ergò, opus ſit majore adhuc proximè ambientis aëris refrigeratione, ſpirituumq; inſtauratione; magnates ad imitationem Rhaſis lib. ſuo 4. ad Almanſorem Regem, lintea vel pannos lectis circumtenſos intingi curabunt aqua roſæ, nenupharis, aut ſimili; adjecto aceto roſ. opt. quantum ſuff. ſiq; huic priùs immacerati fuerint ſantali, flores nymphex, roſarũ rubearum, violarum, buglosſi, cum tantillo camphoræ: major adhuc aëris correctio, accuratiorq; ſpirituum in ægrotis refocillatio ſubſequetur. Inferioris verò conditionis hominibus, ſtrophiola hiſce ſuccis intincta, naribus admoviſſe ſufficiat.

Cùm aër præterea qui facilè permeat, ſua rebus ambitis facilè imprimat contagia & veſtimentis potiſſimum inſinuetur: quænam amictus ratio contagii temporibus videatur accommodatior, paucis docebimus.

*Quibus indumentis tunc temporis utendū.*

Locupletiores ergo, veſtes ſericas laneis præferant, easq; inprimis quas multitia Juvenalis vocat, itemq; Plautus veſtes undulatas, quòd è maximè tenui filo contextæ, difficiliùs contagii venenum contineant. Omnes verò in genere, ut munditiei, ſic veſtium crebræ tranſmutationi ſtudeant. Inprimis verò ubi per loca infecta tranſierint, aut cum infectis fortè fortuna (id quod vel maximè circumſpectis accidere poteſt) converſati fuerint.

Ii verò quibus multiplici negotiorum cura diſtractis, domi quodammodo, ac in tuto latere non datur: in foro vel etiam campis degentes, variorum hominū commerciis impliciti manibus alternis contineant pomum artificiale odoratum, compoſitum ex ſtorace Benioino, ladano, ſantalis, floribus arantiorum, roſarum, & pulvere Cypri, quæ omnia aqua roſarum & flor. arant. irrigata vel aſperſa, mediantibus gummi Tragacanti & Arabici, partibus æqualibus, in dictis aquis diſſolutis,

*Pomi odoriferi tempore peſtis gerendi compoſitio.*

in pomum efformentur odoratum, pyxidi eburneæ undiquaq; perforatæ, commodioris geſtationis ergò, imponendum: vel etiam dictæ pyxidi includi poterit ſpongia, aceto roſato, in quo dicta aromata prius macerata fuerint tincta.

*Quantum contra peſtem ſuaves odores valeant, pluribus comprobatur.*

Eorum verò ſententia qui dicunt, hujuſmodi odoribus ſuaveolentibus ſpiritibusq; proinde vitalibus acceptiſſimis, aëris contagia, tanquam ſubminiſtrato vehiculo, regionem cordis ſubire faciliùs, ex ſupradictis facilè abſurda convincitur; quibus odores pravos ac abominandos contagia mirificè promovere comprobavimus, atq; etiam ex eo, quod odores ſuaves ac grati, tanquam mutua contrariorum juxta ſe poſitorum collatione, contagio potiſſimum reſiſtant. Huc etiam accedat authoritas divini ſenis Hippocratis, lib. de natura hominis, qui dum Diætæ contagii tempore obſervandæ, inprimis rationem inculcat, aëris odorati nullatenus obliviſcitur, dicit enim: ,, *Nempe primò providendum, ut quàm pauciſſimus aëris influxus in* ,, *corpus ingrediatur. Secundo ut ille ipſe quàm* ,, *peregriniſſimus exiſtat* (hoc eſt ut interpretatur Galenus) *nullo inquinamento corruptus, ſed ſit purus, attenuatus, odoratus, & ſalutaris.* Avicennas quoq; libro ſuo de peſte cap.

cap. 4. per loca fœtida & peſtifera tranſitu-
ris [illegible] exiſtit, ut odoribus fragranti-
bus [illegible] aëris correctionem probè ſint mu-
niti, addit enim: *Bonis odoribus ſpiritus oble-* “
*ctari maximè, & putridis lædi.* “

Quod porro attinet ad purificationem conclavium, in quibus peſtiferi expirarunt: ſciendum, ante omnia ſupellectilem ex iis tollendam, & ab uſu hominum eſſe removendam, inprimis verò lectos ipſos: deinde verò calcem vivam in aqua frigida, cui parum aceti admixtum fuerit, intra idem conclave, feneſtris apertis extinctam, ſuffimentum excitare præſtantiſſimum. *Quomodo infecta loca repurgāda.*

Atq; hæc omnia ad legitimam aëris adminiſtrationem tempore graſſantis peſtis, præſervationis ergò, in genere dicta ſufficiant.

Quod autem ad ipſa individua ſpeciatim attinet, conſultum fuerit ſingulis matutinis temporibus, antequam in publicum egrediamur, manus, os, nares, oculos, & aures abluere aqua limpida, cum pauco aceto roſato permixta, ac in cujus quadrante ſive pinta macerata prius fuerint, corticis citri ſemiuncia cariophyl. numero xxv. vel xxx. ſalviæ exſiccatæ: tantum folia aliquot. Quandoq; etiam *Quid ſingulis, quibusq; diebus tempore peſtis præſtandū.*

ante-

antequam domo egrediamur, uti poterimus tabellis cordialibus de Electuario quodam Bezoardico, quandoq; aſſumere dimidium cochlear aquæ Theriacalis, cujus varias formulas infra proponemus.

Sequens quoq; obſervatio iis, qui ob negotia civilia domi ſe continere prohibentur, videtur neceſſaria: ut quantum fieri poteſt, fugiant aerem pluvioſum ac turbulentum.

*Quibus diei horis in publicum egredi liceat.*

Egreſſus præterea matutinus ſit, & quidem Sole jam per integram horam ſupra Horizontem noſtrum apparente. Solis verò occidentis radii cane fugiantur pejus & angue. Quin & ab hora diei meridiana ad veſperam uſq;, quantum fieri poteſt, à multa corporis commotione, eaq; in aëre non domeſtico, abſtineatur. Cùm enim à meridiano ſole corpora noſtra flaccida evadant, ſpiritibusq; exhauſtis reddantur debiliora, & cutis pori apertiores ac magis dilatati, infectum aërem, à meridiano æſtu magis magisq; attenuatum faciliùs intromittant: hinc fit, quòd pomeridianum tempus ſuſcipiendo contagio valde exiſtat opportunum: quin & nocte opportunius, in qua ut aër quodammodo inſpiſſatur, ſic corporis quoq; noſtri pori conſtringuntur. Atq; hæc de aëre

aëre dicta ſufficiant, in cujus conſiderati-one, cùm præcipuum contagii vehiculum exiſtat, paulò nos oportuit eſſe fuſiores.

Ut ſomnus pomeridianus peſtis tempore eſt maximè fugiendus, ſic nocturnus vires reſtaurando, humectandoq; ad humorum inflammationem impediendam, valde conducit. Vigiliæ verò omnes ut deſiccantes, humores incendentes, viresq; dejicientes, huic morbo prorſus ſunt contrariæ.

*Quibus diei horis tempore peſtis ſomnus ineundus.*

Animi quoq; perturbationes, quales ſunt ira & triſtitia, ob repentinam quam adferunt ſpirituum commotionem, & incendium ſubitaneum, vel etiam centrum verſus coarctationem, & quaſi extinctionem non mediocre adferunt periculum & detrimentum. Præ omnibus verò reliquis animi pathematis, metus, nimiaq; contagii apprehenſio, noxam adferre ſolent: utpóte quæ ſola ſæpè ad peſtem ſuſcipiendam nos diſponant. Verùm cùm fuſiùs in diætetico noſtro expoſuerimus præcipuos effectus, qui ab iſto affectu producuntur; eò benevolum lectorem ablegamus. In præſentia cauſam ſolummodo ob quam nimia contagii apprehenſio, ad ipſum faciliùs recipiendum corpora noſtra quodammodo præparet, in medium pro-

*Animi perturbationes fugiendæ.*

*Cur metus tempore peſtis vitæ noceat.*

producemus. Ea verò eſt quod omnis metus perpetuam comitem habeat triſtitiam ſeu melancholiam. Triſtitiam, inquam, quæ humores corporibus noſtris ingenerare ſolet atrabiliarios, omnium peſſimos, inflãmationibus, impreſſionibusq; cujuslibet in genere corruptionis, malignæ, venenatæ, & peſtilentis qualitatis, præ reliquis obnoxios, vitali facultati adverſos, ac per conſequens (Ovidio in Faſtis atteſtante, dum ait: *vires ſubtrahit ipſe timor*) omne vitale robur, planè dejicientes. Quaſi dicat citato loco Ovidius: timor vires clanculum ſuffocando animi deliquia ac conſternationem, quæ ſunt veluti mortis umbræ, ſæpe accerſit, conſternationem deſperatio, deſperationemq; tandem ipſa conſequitur mors.

Præcipua ergo Medici cura in hoc vertetur, ut perniciosiſſimam hanc è mentibus ægrotorum eximat impreſſionem. Id quod alia melius ratione fieri non poterit, quàm ſi divini numinis auxilio, ardentibus precibus primùm implorato, in Medici ſui fidelitate, ac ſufficientia, ægri fiduciam repoſitam habeant: ſecundum illud Avicennæ: *Plus interdum prodeſt fiducia ægroti in Medicum, quàm ipſa Medicina.* Mercurialis libro ſuo de peſte, inter præ-

cipua

cipua præſervativa reponit, gaudia mentisq; hilaritatem, dicitq;, Muſicæ nomine, qua Thaletes ac cæteri milites peſtem in fugam convertiſſe ab Homero ſcribuntur, nihil aliud intelligendum eſſe, quàm mentis, cui inprimis ſtudebant, hilaritatem, ac corporis recreationes, tanquam præcipua, quibus contagii inſidioſi inſultus repelluntur, inſtrumenta.

Ducentas ſanè hoc loco, in dictorum confirmationem allegare liceret authoritates: ſpiritus videlicet metu præoccupatos, ad ſuſcipiendum peſtis contagiũ maximè eſſe proclives: ſufficiat tamen unius Heurnii in celeberrima Univerſitate Leidenſi Profeſſoris, ac Medici ſummi, cum quo in juventute haud pœnitẽda mihi familiaritas interceſſit, libro ſuo de Peſte, ſic ſcribentis judicium: *Hinc eſt quod ſubitaneo metu peſtis perculſi, eam in ſe pelliciant, ſpiritale enim venenum facile* (intro confertim revocatis ſpiritibus ad cor) *ſyntimeri...a quadam ſe vitalibus ſpiritibus conſociat.*

Atq; hæc de animi pathematis dicta ſunto: Veniamus ad exercitia.

In hoc morbo quies utiq; motui, utpote qui ſpirituum vitalium commotionem atque incendium facilè inducat, multis modis eſt præferenda: ut taceam, quòd *Quieti peſte ſæviente indulgendum.*

exercitia violentiora, ob crebriorem quam adferunt reſpirandi neceſſitatem, aërem infectum ad ima uſq; cordis penetralia facilius adducat. Atq; hæc eſt cauſa præcipua, ob quam Hippocrates vivendi rationem præſcribat, contagii temporibus admodum tenuem: *Ne*, inquit, *opus ſit crebrò reſpirare*.

*Quibus horis exercitia capienda.* Exercitiis tamen, ſi quæ admittenda ſint, horæ tribuantur matutinæ, quibusq; ventriculus cibis exoneretur. Nam pleno quidem ventriculo exercitia ſuſcepta, non tantùm peſtis, verùm cujuſvis morbi tempore eſſe inſalubria, ac periculi plena, nemo eſt qui dubitet.

*Quis locus aptus.* Locus exercitiis deſtinatus, ſit purus, nitidus, omniq; contagii ſuſpicione carens: nec non à regione, unde contagium advolare creditur, ventisq; inde ſpirantibus, adverſus. Sermo namq; de iis eſt in præſentia, qui maturius ſibi proſpicientes, receptam de tribus pilulis, *citò*, *longè*, *tardè*, in ſuperioribus explicatam, primi aſſumpſerunt.

*Quibus cibis utendum.* A cibis quoq;, quos ex locis ſuſpectis aſportatos cognoſcimus, ſumma diligentia abſtineamus, ſive recenter advenerint, ſive etiam ad tempus ante tranſportationem ibidem repoſiti fuerint. Ante omnia

verò ſeligendi cibi probi ſucci, facilisque digeſtionis.

E carnium genere præſtant, vitulinæ, vervecinæ, hœdinæ, unà cum carnibus leporum, ac cuniculorum juniorum, caponum, perdicum, gallinarum, columbarum, turturum, turdorum, alaudarum, ac ſimilium avium montanarum ac ſylvaticarum.

Inter piſces marinos, reliquis anteponuntur, ſoleæ rupelliones, vivæ. Inter fluviatiles verò, lucii, trutæ vulgò dictæ, percæ & cæteri piſces ſaxatiles. *Quibus piſcibus.*

Sufficit verò hoc loco præcipua tantum ciborum genera allegaſſe. Siquidem cuncta proſequi velle, infiniti foret operis ac laboris.

Præſtat quoq; uno atq; altero cibi genere famem pellere, quàm multos atque diverſos ingerendo, non tantùm ventriculi impedire concoctionem, verùm etiam pravi ſucci chylum ſanguinis officinæ ſubminiſtrare. Poſterior ſiquidem concoctio prioris vitium emendare nequit. *Cibi diverſi generis fugiendi.*

Obiter verò hoc loco notare placet, non deeſſe, qui tempore peſtis præcautionis ergò, piſces tam marinos quàm fluviatiles, utpote à contagii periculo omni

ævo immunes, longè carnibus præferant. Quorum tamen opinio manifeſta abſurditate non caret. Licet enim marini piſces ob domicilii ſui, aquæ videlicet ſalſæ naturam, putredini inprimis adverſentur, non ſecus ac fluviatiles, qui quandiu in ſede ſua morantur, à contagii periculo exiſtunt immunes, eò quòd aër infectus ad illos uſq; adire non poſſit: tamen cùm utriq; domicilium ſuum egreſſi, in aëre etiam puriſſimo, longè majoris, quàm carnes, corruptionis ſint ſuſceptivi, ſuccos quoq; ex ipſis progenitos, viſcoſos, ac originem ſuam redolentes, laudabilium carnium chylo nemo præferet. Verùm hæc obiter tantùm.

*Utrum piſces carnibus præſtantiores.*

Ac licet ex carnium ac piſcium ordine genera attulerimus ſelectiora: tamen hoc parum ſufficere videtur, ni diverſam naturarum in ægrotantibus diſtinctionem protulerimus: cùm non omnes præſertim eodem gaudeant temperamento.

Quocirca corporis habitum nacti gracilem, temperamentumq; calidum, & biliosum, ex cibis quidem eligant humidiores, ac minus calidos, veſcantur potiùs elixis quàm aſſatis. Habitus verò repletioris ac humidi, contraria quoq; victûs ratione utantur. Atq; hujus quidem obſervationis

*Qui tibi ſecundum diverſam hominum temperiem aſſumendi.*

rationis tanta eſt longitudo,&latitudo,ut vel Medicinæ Tyrones vix aberrare hîc poſſint. Sufficiat ergo nobis in eorum gratiam prima tantùm duxiſſe lineamenta, ne videlicet exactiori ſingulorum inquiſitione, tædium potiùs quàm emolumentum procuremus.

*Utrum parcior an largior victus expediat.*

Neq; verò hoc loco optimi ſucci cibos ſelegiſſe, ac ad cujuſvis accommodaſſe temperamentum ſuffecerit, niſi etiam quantitatis accurata ratio habeatur. Conſiderandum itaq; venit, utrum peſte laborantes cibandi ſint manu tenui, vel tenuiſſima, an verò largiore: hos ſiquidem tres cibationis gradus Galenus enumerat. Ac licet hîc in contrarias ſententias abripiantur præcipuorum Medicorum meditationes, dum quidam ipſorum, inter quos Aëtius & Avicennas, victûs rationem largiorem tenui vires proſternenti oppoſitam approbant, & alii è contrario ſentiunt, fulti ſententiâ Hippocratis, qui in omnibus morbis acutis (in quorum ordine peſtis haud immeritò primum locum ſibi vendicare videtur) tenuem victûs rationem præſcribit.

*Authoris ſententia.*

Cum verò in victûs ratione, vires, morbiq; cauſa paribus momentis ponderari debeant, nos media quodammodo

incedentes via, victûs rationem eligendam judicamus mediocrem. Ut enim ſæpenumero mali cauſa, cibo ac potu majori quantitate aſſumptis, exaſperatur: ſic ab altera parte eorum nimia ſubtractione, vires (quarum tamen præcipua in hoc morbo habenda ratio) mirificè proſternuntur.

Hinc maxima Medici dexteritate opus videtur: qua videlicet in ponderanda victus ratione ita verſetur, ne cauſam mali oppugnando, virium proſtrationi viam ſternat vel contrà. Medio itaq; ni fallor, ibimus tutiſſimi. Quod medium ut teneri accuratè poſſit, ægris cibus adminiſtrandus fuerit parca quidem manu, at verò crebrioribus vicibus. Cibus inquam boni ſucci, faciliſq; vel ægro digeſtionis: hoc eſt, qui per præcedentem impuræ magiſq; terreſtris portionis ſeparationem, ad quintam quodammodo eſſentiam elevatus, mediocriter vires reſtauret, nec interim mali cauſam ulla ratione foveat.

*Sobrietas tempore contagionis inprimis neceſſaria.*

Ante omnia verò ſobrietas & temperantia, in omni quidem morborum genere requiſitæ, peſte graſſante religioſius obſervari flagitant: hiſq; mediantibus ſolis, Socrates ſolus à peſtis contagio legitur

præſer-

præſervatus. Peſtis, inquam, illius ferociſſimæ Athenienſis, quæ reliquorum prorſus nemini, teſte Æliano hiſtoriæ ſuæ libro 5. cap. 15. pepercit, *Socratis corpus probatum eſt eſſe moderatum, & temperantiæ beneficio continens: & propterea cum vulgo peſtilenti morbo ægrotarent Athenienſes, ex quibus alii interibant, alii ad mortis uſq; periculum graviter affligebantur, ſolus Socrates non ægrotavit.* Galenus quoq; ſequentibus verbis ſobrietate, temperantia, victusq; ratione proba, aëris infectionem reddi nobis poſſe innoxiam teſtatum reliquit. " *Offenſiones enim*, inquit, " *aëris peſtilentis, victus* " *genere inſtituto à tempeſtate dominante diver-* " *ſo, facile declinari poſſunt.* Nam, ut ſcribit a- " libi, *nulla cauſa ſine patientis aptitudine agere* " *natura conſuevit.* "

*Sobrietas Socratem à peſte graviſſima vindicavit.*

Atq; hæc ſobrietas unicum Socratis, ut in peſte, ſic aliis gravioribus morbis, antidotum & alexipharmacum, è regione adverſatur moderno in ciborum varietate luxui, qui noſtræ ſanitati in univerſum nõ parum detrahit, corporaque noſtra variis cruditatibus replet. Unde Plinius non ſine cauſa ſcribit, " *Simplicem victum homini eſſe utiliſſimum.* Ac licet ſchiſmatis hu- " jus mox in hæreſin degeneraturi, reformationem quandã univerſalem, ſicq; con-

 ſequen-

ſequenter morum noſtri ſeculi inſtituere velle, non minus videatur ridiculum quàm effectu impoſſibile: tamen hoc unicum cautelæ generalis loco attuliſſe, apud quã plurimos utilitate certa non carebit. Obſervandam videlicet una eademq; in refectione ſemper eſſe ciborum conformitatem ac analogiam, qualis eſt inter carnes attagenarum & perdicum, gallinarum & caponum. Una ſiquidem cœna vel prandio carnibus veſci pariter ac piſcibus, vel etiam carne bubula duriore, ac delicatioribus volatilium, nihil aliud niſi maximam chyli diſcraſiam, ac inæqualitatem producere poteſt, ſiquidem teſte Hippocrate, *Quæ diſſimilia ſunt ſeditionem movent, dum ex his alia citiùs, alia tardiùs mitificantur & in corpus dividuntur.* Hæc quæ de vitanda ciborum varietate diximus, de vinorum quoq; diverſitate, aliorumq; potuum artificialium dicta ſunto. Potus itaq; ſeligatur, non minus loco, in quo moramur, quàm naturæ noſtræ familiaris, abſit omnis diverſorum generum vel mixtura, vel etiam in eadem refectione aſſumptio: ut ſi, exempli gratia, quis aliquot hauſtus cereviſiæ, totidemq; vini, eadem aſſumere conſueverit menſa, valetudini ſuæ tandem peſſimè conſultum perſpiciet. Præſtat ergo,

*Conformitas ciborum in victu obſervanda.*

*Sicut & potuum.*

go, quodcunq; id ſit, unico tantum potûs genere qualibet menſa uti, idq; quantitate quæ ad ſuſtentationem aſſumpta ſufficiat: licet pro qualitatis diverſitate, ipſa quoq; quantitas, licet minor, ſecundum proportionem obeſſe videatur. Potus ſiquidem fecibus, tartareis abundantis, uſus vel mediocris, variorum malorum autor exiſtit.

*Quæ vina ſeligenda.* Ex genere vinorum ſeligantur oligophora, & debitam maturitatem conſecuta, ſive alba fuerint, ſive rubea.

*Qui panes.* Panis inter albiſſimum & nigerrimum ſit quodammodo intermedius, bene fermentatus, mediocriter ſalitus, probeque excoctus. Panum azymorum ac placentarum, ut & leguminum copioſior uſus, cum frequentes obſtructiones, variorum morborum cauſas producere ſoleat: plane fugiatur. In herbarum quoq; & fructuum uſu ſecundum commoda vel incommoda quæ adferre ſolent, moderando, non minus oportebit eſſe verſatum, ut melius peſti ablegandæ proſpiciatur. Licet enim in genere ad nutritionem (ſecundum Avicennæ opinionem) reliqui cibi, de quibus hactenus egimus, minus exiſtant idonei, ſicq; à multis abſolutè videantur prohibendi: attamen cum ex ipſis

multi, acidæ inprimis ac vitriolacæ qualitatis, quæ in omni malo putredinem comitem habet, alimenti medicamentoſi, ac medicamenti alimentoſi naturam poſſideant; ipſorum proba accurataq; diſtinctio atq; uſus non parum conducet aciditate innata, ad malignitatem humorum corrigendam, inflammationes extinguendas, putrefactionesque demum inhibendas.

*Quæ herbarum genera.* Ex herbis ejuſmodi ſunt Bugloſſum, Borrago, Portulaca, lapathum ſativum, Endivia, licet Avicennas primas tribuat Oxalidi. Præſtant verò hæ dictæ herbæ in juſculo decoctæ, quàm comeſtæ crudæ. Licet multi pro remedio ſingulari habeant, præſervationisq; loco, in peſte ſeptem aut octo folia oxalidis in oxycrato macerata cruda comedere: quod ipſum quoq; remedium conducit iis, qui hepate ſunt calidiori, fortiq; ſimul ſtomacho præditi.

*Qui fructus ſeligendi.* Ex fructibus, mala punica acida, limones, mala citria, aurantia, ab omnibus commendantur: quorum ſuccū ſive per ſe aſſumas, ſive aliis admiſceas cibis, alimentum habebis medicamentoſum, appetitum excitans, putredini reſiſtens, ac ardores interiorum viſcerum extinguens. Quæ

quidem

quidem poſteriora duo, tam in præſervatione quàm curatione morborum peſtilentialium & epidemiorum inprimis intenduntur. Uvas quoq; criſpas, ac berberis fructus, ſive crudos ſive conditos, ratione aciditatis ſimiles prorſus præſtare effectus videmus. Mala quoq; cydonia cocta aut condita, ejuſdem ſunt generis, quorum ſuccus in ſyrupi conſiſtentiam, vel abſq; ſaccharo decoctus, remedium exiſtit excellentiſſimum, cordiale, & Bezoardicum, movens ſudores & provocans urinas: Licet pro ea, qua præditum eſt aſtringendi virtute, in quamplurimis alvum ſubducat.

Pyra, poma, pruna, ceraſa, aliaq; ſimilia acida & acerba, quo minus vermibus obnoxia, eò magis reliquis anteferenda: dulces verò fructus vel corruptioni obnoxii, ſic corporibus noſtris varias ingenerant putredines. Quod ſi ſpeciatim omnia perſequi vellemus, hic noſter in immenſum excreſceret labor. Quocirca pauca hæc inſtar Ideæ ſeu Cynoſuræ ſubjeciſſe ſufficiat, ad quorum ſimilitudinem ac contemplationem, reliqua victus ratio legitime efformari facili negotio poterit. Antequam vero diætæ finem imponamus, pauca quædam de repletione & inanitione reſtant delibanda. *Dulcibus acidi fructus præferuntur.*

Reple-

*Quid repletionis nomine Medici ſubintelligant.*

Repletionis nomine redundantiam, nimiamque humorum copiam intelligimus, qua corpora noſtra gravantur: ſive hi humores contineantur in capacitate ventriculi, inteſtinorum, aliorumq; viſcerum, ſive etiam in ipſis venarum & arteriarum concludantur vaſis. Quibus in locis omnibus ac ſingulis, obſtructiones quas generare ſolent, non tantum infinitorum prope malorum cauſæ exiſtunt: verum etiam in genere curationem impediunt multifariam: Secundum dictum Æginetæ libr.1. de re Medica, cap.32. ubi ait: *Peſſimum enim in morbis venarum repletio.*

*Repletionis cauſa.*

Cujus quidem nimiæ repletionis cauſa principalis à Medicis traditur crapula, ſeu nimia cibi & potûs ingurgitatio, vita deſide ac otioſa concomitata: cui ex diametro meritis nunquam ſatis laudibus celebrata ſobrietas adverſatur.

Ac licet crapula hæc in omnium generatim curatione morborum videatur moras nectere, inprimis tamen peſtis perniciē promovere conſpicitur. Unde haud immerito Heurnius libro ſuo de peſte cap.8. ait: *Nam peſtis ſummum jus ſibi vendicat in intemperantes. Atq; id maxime tuetur à peſte corpus, ſi vacuum ſit excrementis optimeq; ſit perſpirabile.*

Pim-

Præſtantiſſimum adverſus repletionem remedium eſt evacuatio: tum ea quæ fit beneficio motûs naturalis, tum quæ artis naturæ imitatricis peragitur induſtria.

*Evacuationis, quæ repletioni opponitur diverſa genera.*

Quemadmodum vero excrementitiarum ſuperfluitatum, atq; repletionum varia exiſtunt genera ac differentiæ: ita quoq; non eadem eorundem à natura evacuationi emunctoria videmus deſtinata.

Ut autem ſuprema aëris regio in macrocoſmo, non uno modo purgare ſe novit è variis evaporationibus, tam humidis quàm ſiccis, ex inferioribus terræ & aquarum locis elevatis, quæ varias meteororum ſpecies conſtituunt: dum haud minimam earum partem verſus terminum, unde emerſerunt, ablegat: ſic quoq; diverſi vapores humidi & ſicci, ex microcoſmi inferioribus (viſceribus puta nutritioni dicatis) ad ſuprema ejuſdem, cerebrum nempe, tranſmiſſi, ibidem diverſorum (pro diverſitate videlicet exhalantis excrementi modò frigidi & humidi, modò calidi & ſicci) meteororum ſpecies repræſentant, & per varios, à natura ad id efformatos ductus ſeu meatus, aures, oculos, nares, ac palatum, forâs excluduntur.

Cæterum ſicut natura per aures ac na-

*Excrementa quomodo à natura expellantur.* res repurgare ſolet excrementa fuliginoſa, calida & ſicca, qualia ſunt bilioſa & melancholica, per oculos vero & palatum magis ſeroſa: ſic ars naturæ imitatrix, dictarum ſuperfluitatum expulſionem (quæ retentæ maxima ſæpe adferre ſolent œconomiæ naturali impedimenta) per errhina, ſternutatoria, maſticatoria, aliaq; ſimilia juvare ſolet.

Præcipua, ac præ cæteris inſignia humani corporis emunctoria, utpote quæ parem ei uſum præſtare ſolent, quem navibus majoribus ſentinæ, ſunt inteſtina, ac ex eorum numero rectum præcipuè & veſica. Quorum quidem emunctoriorum priori, deturbari conſueverunt feces, quæ plus de ſulphure participant excrementitio, ac graveolente, ſeu fœtido: poſteriori verò ſuperfluitates magis ſeroſæ, acres & ſalſæ.

*Excrementorum retentio diverſorum morborum cauſa.* Si verò aliquando iſti foras eliminandorum excrementorum ductus, occluduntur, nec demandato ſibi à natura munere pro debito defungantur variorum morborum cauſas antecedentes producunt, ob moram ac deſidentiam talium excrementorum in illis remanentiũ: quemadmodum è contrario ii quibus venter non fuerit pigrior, rarius malis conflictari

ſolent,

ſolent, teſte Hippocrate lib. 6. Aphor. 33.

Si igitur vel errore naturæ, vel quavis alia de cauſa alvus extiterit ſtrictior arte, utriq; ſuccurrendum, ac imminentibus hinc malis occurrendum fuerit, ſorbitiunculis videlicet crebrioribus, ex emollientium decocto, prunorum item dulcium vel aliis: vel applicanda ſuppoſitoria imò etiam ſi opus fuerit clyſteres adhibendi. *Modi alvi exoneranda referuntur.*

Cum vero non paucos reperias, qui à clyſterum ac ſuppoſitoriorum uſu prorſus abhorrent; ut taceam ſæpenumero ægri conditionem ac ſtatum, itemq; operoſam ſatis & longam horum remediorum tum præparationem, tum requiſitam retentionem, quæ ſemper fieri nequit; eorum uſum vel diſſuadere vel admittere non auſim. Hoc loco tamẽ familiariora ac faciliora quædam ſolvendi ventris media placet proponere, quæ ex decoctis herbarum emollientium, vel juſculo prunorum dulcium compoſita, longe potentius (citra moleſtiam tamen) alvi excrementa indurata exturbare poſſunt.

℞. Prunorum Turonenſium dulcium conditorum numero XII. vel circiter, pro intentione quantitatis decocti, macerentur in vino albo horis quatuor vel quin-

que. Intereaq; temporis, ſimul duabus libris aquæ fontanæ ad tertiæ uſq; partis conſumptionem incoque, foliorum ſenæ uncias duas, in cujus decocti colatura decoque dicta pruna macerata, adjectis ſacchari candi uncias tres igne lento ad conſiſtentiam ſyrupi mediocris. De hoc matutino tempore exhibebis prunum unicum, cum duobus aut tribus cochlearibus ſyrupi: videbisq; alvos etiam naturaliter duriores ſufficienter relaxatum iri.

Pari quoq; ratione, loco prunorum parari poſſunt uvæ laxativæ, tam Damaſcenæ à vinaceis ſuis mundatæ, quàm Corinthiacæ: de quibus exhibebis cochlear unum.

Vel macerentur in ſex unciis vini albi, aut aqua pomorum redolentium (quæ Galli *court pendu* vocant) vel buglosſi, vel etiam communi, cui paucæ admodum guttæ aciditatis limonum ad gratam ei aciditatem conciliandam fuerint admixtæ: foliorum ſenæ ſemiuncia: in phiala vitrea ab igne remota, ſpatio duorum aut trium dierum, donec liquor, tinctura foliorum ſenæ, probè impregnatus fuerit. Hujus tincturæ unum atq; alterum cochlear immiſce quinque aut ſex cochlearibus juſculi caponum vel ſimili. Quo hauſto ſufficiens

alvi

alvi ſubſequetur ſolutio. Eſtq; Medicina haec ut guſtui haud ingrata, ſic extra omnem plane periculi aleam poſita: qua & parvuli & gravidæ, citra ullius ſymptomatis metum, ſecurè uti poterunt. Obiterq; hic notandum, dicti remedii, quod parvo comparatur impendio, quantitatem à nobis poſitam, pro octo aut decem vicibus ſufficere.

Ac cum natura unius, atq; alterius medicamenti, quorum uſus ulli nimium fuerit familiaris, vim tandem eludat: quandoq; variationibus erit ſtudendum. Immacerentur igitur aquæ, in qua aloë prius diſſoluta, ac in ſyrupi conſiſtentiam fuerit decocta, tragemata quædam Verdunenſia, quæ rotunda ſunt & lævia, magnitudinis baccarum lauri: horum poſtmodum unicum in ſedem immiſſum, unam atq; alteram commotionem citra laborem ullum cauſabit.

Hæc & alia ſimilia, facilis præparationis remedia purgantia, in forma vini, hydromelitis, vel ſimili adminiſtrabis: quarum varietatem in Diætetico noſtro polihiſtorico, itemq; Pharmacopœa reſtituta fideliter enarravimus: quocirca ad prædictos libros lectorem benevolum remittimus.

*Urinæ quomodo provocandæ.*

Similiter ubi neceſſitas flagitaverit, Ars, naturæ imitatrix excrementorum ſecundæ concoctionis; urinarum videlicet excretionem, medicamentis diureticis juvare conſuevit: ſicut & hydroticis, tertiæ excrementorum molitur evacuationem, quæ per habitum corporis, ſudoribus vel inſenſibili tranſpiratione, propelli conſueverunt.

Naturam ſæpe videmus nimia ſanguinis redundantia preſſam, ad hoc onus excutiendum, ſolere frequenter excitare in maribus hæmorrhoides; & in femellis menſtrua copioſiora. Ad cujus imitationem, ars quoq; corporibus noſtris nimio ſanguine, nec ſine periculi metu diffluentibus, ejuſdem meditatur evacuationem, non ſolum per dictas hæmorrhoidum ac menſium vias, ſed etiam per diverſarum venarum inciſionem, pro morborum varietate, qui ſoliti ſunt hac ratione curari, vel anteverti.

*Miſſio ſanguinis tempore peſtis facienda.*

Regnante verò peſtilentia, ſanguis quoq; detrahi debet corporibus plethoricis: magna ſiquidem ſanguinis plenitudo & abundantia, tunc temporis non vacat periculo.

Ac de repletione quidem, & ei contraria inanitione, longè plura hoc loco adferri

ferri poſſent: niſi ſupra dicta ad peſtis, de qua modo tractamus, præſervationem ſufficere putaremus. Sectione verò ſecunda noſtri Diætetici, cap. 12. & 14. hanc materiam paulò latius extendimus: quo quidem libro ex profeſſo ea quæ pertinent ad Diæteticam, ſive debitam ſex rerum non naturalium adminiſtrationem, perſecuti ſumus. Eò igitur benevolum lectorem remittimus, ſequentibus, remedia contra peſtem, à Pharmacia, & Chirurgia nobis ſubminiſtrata poſituri.

*De remediis à peſte præſervantibus, ex duabus reliquis Therapeutices partibus, Pharmacia nimirum & Chirurgia deſumptis. Ac inprimis de remediis Chirurgiæ.*

## CAP. II.

*Miſſio ſanguinis quo tempore & quibus facienda.*

CApite præcedente, dum tractaremus de Repletione, ejuſque contrario, evacuatione, ſive inanitione: ſatis abundè demonſtravimus inciſionem baſilicæ in bracchio dextro extenſæ, præſervationis ergò, eſſe neceſſariam tempore Verno aut autumnali, corporibus plethoricis, carnoſis & rubicundis, quorum venæ amplæ ac conſpicuæ ſanguine turgerent. Corporibus, inquam, otio diffluentibus, genio in-

dulgentibus, ac ſanguinis miſſioni aſſuetis, ne dum forte ſanguis copioſior, ob viarum anguſtiam, motu ſuo familiari ac fluctuatione privatur: corpora magis ad varias aëris corruptiones, peſtisq; contagia ſuſcipienda ſubinde diſponerentur.

Verùm enimverò cum hæc ſanguinis miſſio præcautionis ergò inſtituatur: eſt quod tempus opportunum magis potius arripiamus: quàm quod nimium procraſtinando, illius neceſſitatem, quæ omnibus eſt legibus ſoluta, imprudenter experiamur. Tempus autem miſſioni ſanguinis magis opportunum, eſt illud quod reſpectu activarum qualitatum noſcitur magis temperatum, ſiq; fieri poſsit matutinum: priùs tamen excluſis, vel naturæ, vel clyſteris cujuſdam emollientis beneficio, alvi & veſicæ excrementis.

*Aſtrorum paraturæ in venæ ſectione obſervandæ.*

Medicus quoq; in Aſtrologia verſatus, Lunæ quadras accuratè obſervabit. Diverſos quippe hujus Planetæ motus varium admodum in Humores corporum noſtrorum dominium exercere, vel ex criticorum dierum obſervatione evadit maniſeſtiſsimum. Omni itaq; cura cavendum, ne tempore, quo ad præcautionem peſtis ſanguis mittitur, Magnatum imprimis reſpectu, quorum ſalus & incolumitas

tas multis nominibus nobis debet eſſe charissima, Luna Marti, Saturno vel alii cuidam aſtro maligno opponatur, aut in alio quodam aſpectu ſiniſtro collocetur.

E contrario verò tempus obſervandum eſt, quo benignis quibuſdam planetis, quales ſunt Jupiter & Venus, Luna conjungatur, vel ſaltem eos benigno reſpiciat, aut ab iiſdem reſpiciatur aſpectu.

Luna ſimiliter, dum emergit è radiis ſolaribus, vel oritur heliacè, necnon dum poſt paucos ab ejus & ſolis oppoſitione dies, rurſus decreſcit: ſanguinis miſſionem ſuggerit valde opportunam. Dictis ſiquidem temporibus, ſanguis tam purus, quàm aliis humoribus permixtus, non modò facilè permovetur, ſed etiam ad evacuationem multo promptior exiſtit & accommodatior. *Quæ planetarum conjunctiones ſanguini mittendo propitiæ.*

Quamvis cæteras à prædictis obſervationes, magis vanas, quàm utiles reputemus, cum nulla certa ratione fulciantur: interim tamen, ne hilum quidem, libertati mittendi, omni tempore & loco (modo id flagitet neceſſitas) ſanguinis, aſſertionibus noſtris volumus derogatum.

Si quantitatem porrò ſanguinis evacuandi ſpectes, illa multiplex & varia à Galeno ſtatuitur, pro diverſitate naturarum, *Quantum ſanguinis pro perſonarũ ætate & temperie mittendum.*

tum, temperamentorum, & aliarum cauſarum, quas exactè in ſuis ſcriptis idem Auctor enucleat. In libro quidem ſuo de curatione per ſanguinis miſſionem, adoleſcenti mediæ inter duodecimum & decimum octavum annum ætatis, ad integram uſque libram ſanguinem non formidat detrahere. Se quoq; præſente, ex corpore cujuſdam, qui ardentiſſima febre conflictabatur, detractas fuiſſe libras duas integras, eodem in loco atteſtatur: ex aliorum verò corporibus libram unam cum ſemiſſe. Sub quorum tamen verborum calcem annotat, fuiſſe hos mittendi ſanguinis quaſi gradus ſummos, nec ſi paulò ulterius proceſſum fuiſſet, rem periculo fuiſſe cariturum.

Interim non parum abſurditatis complecteretur argumentum mittendi in tanta copia ſanguinis, inde collectum, quod tantundem ætate Galeni, à mille hinc & trecentis circiter annis elapſa, profunderetur. Eò quod hominum iſtius ſæculi corpora eſſent magis vegeta; ad hæc verò ultima tempora, quæ ad finem mundi magis accedunt, homines longè ſint imbecilliores, minuſq; vivaces. Siquidem prout ferunt noſtrorum corporum temperamenta, præcautionis ergò, plus quàm

octo,

octo, aut decem, aut ad ſummum duodecim ſanguinis uncias, vix tutò cuiquam detraxeris.

Haud quaquam tamen imus inficias, quin ſæpenumero ulterius nobis procedendum ſit, quando videlicet cum interioribus inflammationibus manus ſunt nobis conſerendæ. Veruntamen id ſecuriùs peragetur, ſi fiat crebriore miſſionis iteratione, quæ ad vires ægri ſolicitè reſpiciat. A viribus quippe ægroti potiſſima ſumi debet indicatio: cujus in ſanguine, tanquam in ſalutari vitæ balſamo, ſalutis origo & conſervatio continetur.

Maxima porrò hac in parte, reſpectu locorum ac regionum conſpicitur differentia: eò quòd quidam populi largam & amplam evacuationem, etiam citra ſcrupuloſam ætatum obſervationem facilè ferant: alii verò ſecus. Si quis enim ſanguinem per univerſam Germaniam, & magnam Italiæ & Galliarum partem, infanti bimulo aut trimulo, bis aut ſemel emitteret: homicida potiùs, quàm medicus à cunctis judicaretur.

In celeberrima tamen hac Pariſiorum univerſitate, ſeminario omnium ſtudiorum florentiſſimo, ex quo, veluti ex equo Trojano prodierunt, Briſſotus, Ta-

gautius, Ruellius, Sylvius, Fernelius, Hollerius & Duretus uterq;, ſplendidiſſima Medicinæ noſtræ luminaria: quæq; hodierna die paribus luminibus non videtur deſtituta: nullâ planè difficultate, tam in febribus continuis, quàm in pleuriſi, aliisq; inflammationibus, proſpero rerum ſucceſſu, ſanguis etiam parvulis demi ſolet. Ac licet tot tamq; excellentium virorum placitis refragari, noſtri nequaquam ſit inſtituti: tamen ſi maxima in talibus caſibus circumſpectione procedendum eſſe dixerimus, de ipſorum authoritate ne tantillum quidem nos derogaturos autumabimus. Atq; de hiſce plura paulò pôſt accuratiùs diſſerentur.

*Parvulis etiam feliciter Medicorum Pariſienſium iudicio, ſanguis detrahitur.*

Sin autem fortè contingat, hæmorrhoidum ac menſtruorum curſum, in iis, quibus hæc ſolent eſſe ordinaria, ſubſiſtere: eorum per artem evacuationi, peſtis inprimis tempore erit proſpiciendum. Tales enim evacuationes humorum corruptioni excludendæ exiſtunt opportuniſſimæ.

Pletorici quoq;, & ſanguinei, cucurbitulas ſcarificatas adſciſcere poterunt, diverſis corporis regionibus applicandas: illarum quippe uſum, generali purgatione præcedente, tempeſtivum, ad Peſtis præſer-

*Cucurbitulæ tempore peſtis adhibendæ.*

præſervationem non parum conducere, ipſa teſtatur experientia.

Cacochymica verò corpora tempore graſſantis Peſtis præcautionis loco, meliùs ac commodiùs utentur cauteriis potentialibus, inter certos brachiorum ac ſuræ rum muſculos applicatis. Idq; eo magis, ſi jam antea illorum uſui fuerint aſſueti. Siquidem per ea tanquam per canales quoſdam, non ſolum maxima corruptorum humorum copia foras excluditur: verùm etiam ſpiritus in corpore noſtro contenti, fuliginoſæ ac venenatæ materiæ, à centro ad circumferentiam, beneficio virtutis naturalis, artis induſtria adjutæ, extrinſecus expelluntur. *Itidem & cauteria quorum uſus commendatur.*

Novi utiq; multos Chirurgos Peſtiferorum curationi deſtinatos, viros in arte ſua expertiſſimos, qui ad propriam præſervationem, antequam infectorum curationem aggrederentur, cauteriis melius, quàm alia quavis cautione ſibi proſpexiſſe, & conſuluiſſe aſſeverarunt.

Herculanus, nominis celebritate & antiquitate non parum commendatus, habetur omnium primus, qui cauteria tempore peſtis applicanda inſtituit. Hoc tamen remedium ab arte veterinaria videtur eſſe depromptum: ſi modò liceat præ- *Quis primus cauteria instituit.*

cautiones brutis animantibus accommodatas, in malis haud diſparibus, ad hominũ ſalutem & incolumitatem transferre.

*Unde deprompta fuerint cauteria.* Columella, ut peſtem & contagium, quod boves ſolet aliquando infeſtare, avertat: aures illis jubet perforandas, cum radice quæ vocatur Conſiligo, & inter Hellebori ſpecies collocatur: idq; præſtantiſſimi alexipharmaci locum putat obtinere. Quod in hanc uſq; diem à paſtoribus etiam, & armentariis uſurpatur, Tithymalis pro Conſiligine ſubſtitutis.

Non pauci præterea reperiuntur adhuc Medici, nec infima nota præditi, quibus id genus remedia, veluti præcautiones quædam accuratæ, comprobantur. In quorum numero Mercurialis meritò reponi poteſt, cùm palàm atteſtetur, in ſæva quadam, quæ Venetias olim afflixit, lue, plurimos cauteriorum beneficio ab omni noxa planè fuiſſe vindicatos.

Paraſinus & Ingraſſias, idem ſimiliter in Peſtibus, quas ipſi ſuo tempore exortas fuiſſe docènt, ingenuè profitentur, à quibus Nicolaus Maſſa, nec Palmarius diſſentiunt: cum tantopere hujuſce generis remedia extollant atque commendent.

Verùm, quoniam parum eſt, utilitatem

tem cauteriorum, in medium protuliſſe, niſi ſi pariter eorum uſum indicemus: reſtat modò dicendum, quonam tempore, & quanam in corporis regione, ipſamet applicari debeant.

Quod ad tempus attinet, nequaquam tam diu illorum differenda eſt applicatio, quouſq; peſtis incrementa ſua & vires acceperit. Tunc enim Chirurgo magnopere timendum eſſet, nec ulcus malignitatem quandam & inflammationem conciperet, quod plerumq; verum eſſe, percelebres multi doctiq; Medici atteſtantur. Melius ergo conſultum fuerit ſub ortum Peſtis jam graſſantis, & pernicioſos admodum ſuos fructus germinantis, eadem applicare. *Quo tempore cauteria applicanda.*

Si verò partem, cui applicanda ſunt cauteria, conſideremus: non eadem eſt auctorum mens, & judicium. Nicolaus Maſſa, & Palmarius, eadem ſuris imponi volunt: ſic enim humores deorſum evacuari, & majorem revulſionem cauſari putant. Alii vero brachiis melius arbitrantur adhibenda, propterea quod tunc cordi ſint viciniora: cui, cùm ſemper inteſtinum bellum à peſtilentia indicetur, magis debent inſervire, req; ipſa humoribus alias derivandis, melius illorum conducunt judicio. *Et cui corporis parti.*

Ut

Ut autem hac in re meum intercedat ſuffragium: cùm talia remedia ad vitam conſervandam ſint intro ducta: non eſt quod ullus vereatur, cauteria ſuris atq; lacertis, imò & aliis corporis partibus adhibere. Quod cùm ſuperiùs à nobis præſcriptum fuerit, & plurimi felices effectus inde conſecuti ſint: hac in aſſertione conſtituenda diutiùs non immorabimur.

Atq; hactenus quidem à nobis propoſita ſunt ex Chirurgia remedia: veniamus ad ea, quæ ſubminiſtrabit Pharmacia.

*De remediis tam internis quàm externis à Pharmacia depromptis: atq; inprimis de humorum præparatione & alteratione.*

## Cap. III.

PHARMACIA nobis ſuppeditat remedia, non modò interna, ſed etiam externa, quibus peſtem amoliri, & eandem curare licet. Illud autem potiſſimum hac in parte obſervandum eſt, quò omnis peſtilentiæ noxa procul à nobis expellatur, ut corpora noſtra ab omnibus corruptionibus vacua reddantur & immunia. Efficiens enim cauſa vix agit, niſi in rem jam præparatam & diſpoſitam. Cùm ergo ad hunc

*Remedia ex Pharmacopœa petita, in tres partes dividuntur.*

hunc ſcopum præcipuum, tam in diæta, quàm in Chirurgia cuncta collimaverimus: ad hunc ipſum etiam, quæcunq; ex Pharmacia deprómuntur rémedia, dirigemus. Majoris verò perſpicuitatis gratia, in tres ordines ea omnia ſubdividemus.

Primus omnium igitur continebit remedia alterantia, quæ humores poſsint calidiores, ac pilioſos refrigerare, frigidiores ac pituitoſos calefacere, nimias corporis humiditates exſiccare, ac exceſsivam temperamenti melancholici ariditatem & ſiccitatem irrigare. Singulis tamen horum alterantium formis ea ſimul admiſcebimus, quæ putredini reſiſtant generandæ, quæq; præterea generatæ, ac peſsimo jam ovo incubanti, quantum fieri poterit, detrahant ac imminuant. *Prima.*

Secundus proponit medicamenta, quæ corpora noſtra ab excrementoſis ſuperfluitatibus, ſive eæ bilioſæ fuerint, ſive pituitoſæ, ſive demum melancholicæ, eæq; vel ſolæ, vel inter ſe commixtæ repurgent. Ubi ſimiliter ſecundaria quadam intentione, corruptioni & putrefactioni humorum, vel ſupprimendæ, aut præcavendæ, ſtudebimus. *Secunda.*

Tertius iſque præcipuus continebit corroborantia partes nobiliores, inprimis verò *Tertia.*

verò cor. In cujus quidem univerſo circuitu, tot, tantasq; probatiſſimorum alexiteriorum, ac medicinarum Bezoardicarum cohortes collocabimus:ut,nec ipſum, nec ſpiritus vitales,ab ullo veneno peſtifero contingi poſſint. Ante omnia tamen divini numinis implorabimus auxilium, ut videlicet gratiæ ſuæ affuſione, òptimarum quas proponemus Medicinarum potentias & virtutes in ſalutarem actum perducere non dedignetur. Reſtat jam, ut ipſas remediorum, ſecundum tres à nobis conſtitutas ſeries, incipiendo à remediis alterantibus, ac concoquentibus, formulas ſubjiciamus.

*Remedia primi generis contra bilem.* Corpora itaq; quæ bile circumfluunt, temperamenti exiſtunt calidi & ſicci, & hepar habent calidiſſimum, ad ejuſmodi bilioſos ardores extinguendos, qui varias ex ſe febres facillimè producunt: febres, inquam, ardentes, & quæ tempore peſtis ſævientis in peſtilentiales facilè degenerant, frequentius utentur, præſertim ſtatu cœli ad æſtus paulò tunc inclinante,

Syrup: de *Limonibus*
*Berberis*
*Granatis*
*Acetoſo*
*Endivia*

*Portu-*

*Portulaca*
*Malis cydoniis*
*Itemq; oxiſaccharo :*

aliisq; ſimilibus, vel ſolis vel permixtis cum aquis ſtillatitiis,

*Oxalidis*
*Fragorum*
*Ceraſor. acidulor.*
*Endiviæ*
*Nenupharis*
*Portulacæ.*

Ex quibus confectos Julepos aromatizare poteris tantillo ſantal. citrin. aut ſpecieb. Diatrag. frig.

Atq; hæc quidem remedia, quæ in officinis ad omnium uſum parata pro non minus corruptionibus humorum, quàm bilis flavæ ac tenuioris ardoribus refrænandis ſunt accommodata.

In eorum verò uſum, quos judicaveris viſcerum obſtructionibus laborare, ſimulque abundare bile vitellina ac craſſiore: ſequentes præſcribes julepos; *Contra obſtructiones.*

de ſucco *Endiviæ*
*Acetoſæ*
*Bizantiū*
*Acetoſum Diarrhodon.*

& ſimiles, cum graminis, acrimoniæ, ſcolopendriæ, ac lapathi aquis commixtos.

Quod

*Contra utramq; bilem.*

Quod ſi Medicinam deſideres, quæ utramq; ſimul bilem oppugnando, corruptioni quoq; reſiſtat: in gratiam tam juniorum Medicorum, quàm honeſtarum familiarum; ſequentem, quæ facilè parabitur, nec non longo tempore conſervabitur, exactè præſcribemus.

℞. Rad. *Graminis*
*Oxalidis*
*Tormentillæ an.* ℥ j.
*Uvarum paſſ.*
*Glycyrrhizæ an.* ℥ ß.
Herb. *Cichorii*
*Oxalidis*
*Agreſtæ*
*Scabioſæ*
*Capillarium an.* m. j.
Sem. *Citri*
*Lactucæ*
*Oxalidis*
*Berber. an.* ʒ iij.
Flor. *Geniſtæ*
*Borrag.*
*Bugloſſ.*
*Violarum*
*Roſarum rubr.*
*Nymphea, an.* p. i. ß.

Fiat omnium decoctio in aqua communi. Colaturæ clarificatæ libræ uni adjice,

jice, ſuccorum limonum, malorum punicorum acidorum, juſtam aciditatem aſſecutórum, an. uncias tres, ſucci malorum cydonior. ac pomorum, quæ *court pendu* Galli vocant, an. uncias duas, ſacchar. fin. libram unam. decoquantur omnia igne lento. ſ. a. probè purificando, in ſyrupi mediocris conſiſtentiam: quem aromatizare poteris tantillo ſantali citrini, vel cinnamomi.

*Contra pituitam & melancholiam.*

Qui temperamento ſunt pituitoſo & melancholico, utentur ſyrupo de ruta capraria herba, quam à paucis adhuc annis, ſpecifica quadam proprietate peſti adverſari percepimus.

♃. *ſucci rutæ caprariæ depurati*, ℥ vj.
*ſcordii ſimiliter accuratè purificati*, ℥ ij.
*Limonum*, ℥ iiij.
Flor. *Violar.*
*Bugloſſ.*
*Calendulæ*
*Geniſtæ*
*Roriſmarini*
*Epithemii, an.* p. j.
*Croci*, ʒ j.
*Santali*
*Cinnamomi, an.* ʒ vj.

Cuncta hæc macerentur in balneo, ſpatio

tio duorum dierum. Poſtea colaturæ expreſſæ adjice ſacchari roſati, violati, q. ſ. fiatq; ſyrupus mediocriter coctus: Doſis ſit ſingulis matutinis ad uncias duas, aſſumaturq; vel per ſe, vel cum aquis, cardui benedicti, aut ulmariæ.

*Hydromel contra pituitam ac melancholiam.* Si veró aliquis à ſyrupis abhorreat: eorum loco ſubſtitui poterit ſimilis planè effectus hydromel, oxymel, ſeu quorum formulam pro eodem temperamento pituitoſo, ac melancholico ſubjicimus.

℞. Rad. *Tormentillæ*
*Scordii*
*Scorzoneræ, an.* ℥ j.
*Dictamni*, m. j.
Raſuræ nodulo incluſæ
*Santali citrin.*
*Eboris*
*Cornu cervi, an.* ℥ ß.
Sem. & Cort. *Citri, an.* ʒ iij.
Flor. *Geniſtæ*
*Bugloſſ.*
*Roſar. rub. an.* p. j.

Poſteaquam hæc omnia prius macerata fuerint, in hydromelit. ſimplicis, vel oxymel. libris tribus, ſpatio horarum duodecim, ad tertiæ partis conſumptionem decocta, colentur per manicam Hippocr. ac tantillo cinnamomi aromatizentur.

Doſis

Doſis eſto ab unciis duabus ad uncias tres, matutino tempore aſſumenda, duabus ante cibum horis.

Qui commorantur in locis quæ per aliquot annos à peſte divexantur (qualis eſt Burdegala, quæ ab his octo annis contagio non ſine magno noſtro mœrore fuit infecta, utpote in qua prima ſtudiorum meorum jacta fuere fundamenta) illi inquam vel intra ſuos privatos parietes, plura id genus hydromelita ad ſuperioris deſcriptionis normam, comparare poterunt: quæ non ſolum per dies quoſdam, ſed menſes & annos, ſine ulla corruptione virtutem ſuam tuebuntur. Illa igitur ſic poterunt præparari.

℞. Aquæ pluvialis quadraginta veluti libras, quæ viginti pintas (ut ita loquar) Pariſienſes conficiunt. In hac aquæ quantitate bullire facies duas libras tartari candidi Montiſpelienſis, non minus pulchri quàm cryſtallini: quod mediocriter conquaſſandum curabis, & ab omnibus fecibus craſſioribus & purgamentis, multis aquæ lotionibus adhibitis, abluendum, ea prorſus, qua fieri ſolet in cremore Tartari præparando, ratione. Id totum duarum aut trium horarum ſpatio, in vaſe æneo bene compacto bulliat, ac ſpumis *Hydromelitis formula, quod diu poſſit conſervari.*

 emer-

emergentibus depuretur, & demum aqua per manicam tranſcoletur, ut purior & clarior evadat.

Super quindecim ejuſdem aquæ pintas pauló calidioris, duas pintas adjice mellis Narbonenſis, omnia cum aqua prædicta probè miſcendo, & ad lentum ignem decoquendo, uſq; ad tertiæ partis conſumptionem, vel donec decoctio ovum recens valeat ſuſtinere: hoc enim ovum ſupernatans perfectæ concoctionis ſignum erit manifeſtum.

Quando verò ſemel hæc coctio refrigerata fuerit, per manicas Hippocratis laxiores, & ad illud accommodatas tranſcolabitur, ut magis ac magis ſemper à fecibus depuretur, quæ impediunt, quo minus illa diutius conſervari poſſit & aciditatem contrahere faciunt.

Hæc decoctio poſtmodum transfundi debet in doliolum ligneum, ad tales uſus paratum, quod antea vino albo optimi liquoris continendo inſervivit, módo tamen in prædicto doliolo, hæc ſimplicia & aromata quæ ſubſequuntur, impoſueris;

Rad. *Scorzoneræ*
*Angelicæ*
*Zedoariæ*
*Tormentillæ.*

*Leviter*

*Leviter conquaſſatarum an.* ℥ iiij.
*Grana. Juniperi matur.*
Sem. *Cardui benedicti.*
*Cort. ſiccorum citri an.* ʒ iij.
Fol.ſicca, *Scordii*
*Scabioſæ*
*Dictamni an.* m. ij.
*Cinnamomi*
*Macis*
*Cardamomi an.* ℥ ij.
Raſuræ, *Cornu cervi*
*Eboris in uno*
*vel pluribus nodis inditæ, an.* ℥ ij ß.
Flor. *Bugloſſi*
*Violarum*
*Calendulæ*
*Hyperici*
*Roriſmarini an.* p. ij.

Ubi ſimul hæc omnia in prædicto doliolo repoſueris, decoctionem, de qua ſupra egimus, in illud infundas, ibiq; aliquandiu fermentari & ebullire ſinas: vas præfatum ſoli diebus æſtivis exponendo, vel rectius hypocauſto, hyemali tempore. Poſtquam ebullitio & fermentatio perfecta fuerit, in aliud vas transferenda erit materia, hoc eſt, hac decoctione doliolum aliud bene compactum, erit omnino replendum, quod accuratè occludes, & in-

aliqua cella repones, ubi melius adhuc poterit fermentari, antequam per ſex aut ſeptem hebdomadas ipſo utaris: ſic enim liquor mirum in modum guſtui erit acceptus, nec multum à vino (quod *Malvoſie* noſtrates dicunt) diverſus, imò verò utilis ſimul & ſalutaris conficietur. Ex hoc vino ſic præparato, ſingulis matutinis ad duos digitos haurire poteris, ut peſtem à te procul expellas.

*Hydromel contra peſtem.*

Cum eodem hydromelite, & ſolis Juniperi granis, valde maturis, ad debitam quantitatem adjectis, hydromel vinoſum præſtantiſſimum gratiſſimumque ſimul contra peſtem conficies. Modo ſi in hujuſmodi decoctione & fermentatione, ea, quam declaravimus, ratione proceſſeris.

Ad harum formularum idæam confici poterunt talia infinita medicamenta præparantia, corruptionemq; humorum ſimul impedientia.

Suntque hæc remedia communia, quibus pro tempore & loco uti vulgus poterit.

Ut verò hac in parte Magnatum quoque deſiderio non minus à nobis ſatisfiat: operæ pretium videtur, ſelectiora quædam, ex Pharmacopœa noſtra reſtituta

mutu-

mutuo accepta, huc inſerere remedia, qualia ſunt.

℞. Aquar. fragorum, ceraſorum, opportuno tempore deſtillatorum, an. lib. j. aquæ deſtillatæ ex ſucco pomorum redolentium lib. ij. His adjice quantum ad ſaporis gratiam conciliandam opus videbitur, depurati ſucci citri, malorum punicorum acidorum maturorum, cum tantillo aceti roſati optimi. Poſtmodum, cunctis hiſce alembico impoſitis adjicies, conſerv. roſar. rub. optimarum, ſive *de Provins*, ut ajunt Galli, conſervæ florum violarum (ſecundum præſcriptum Pharmacopœę noſtræ præparatarum) ſingulorum uncias duas. Digerantur omnia in loco frigido, ſpatio trium, aut quatuor dierum, donec aquas rubedine purpurea, non minùs guſtui ſuavi, quàm oculis accepta tingi conſpexeris. Hujuſce remedii uſus non tantum mirabiles in refrigerando, ac ardores bilis retundendo: verùm etiam in corruptione ſeu putredine humorum tam præcavenda, quàm corrigenda pariet effectus.

*Remedia ejuſdem generis pro Magnatibus.*

## *Notatu digna obſervatio.*

IN ſuperioribus ad aquas fragorum, ceraſorum, pomorumq; redolentium, ſuavi quadam ac probata guſtui aciditate

tingendas: ſucci citri, malorum punicorum, ac aceti roſati (ut trium aciditatum vitriolacearum, ex toto vegetabilium genere præcipuarum, ac non tantum bilis ardori ac effervescentiæ domandæ: verum etiam corruptionibus ac putredinibus variis inhibendis accommodatiſſimarum) uſum conſultò propoſuimus, ac pro merito commendavimus. Tum ne exemplo multorum, remedia etiam præſtantiſſima, eo ipſo quod ſint communia, præpoſterè rejicere videremur: tum ut ſcrupulo indulgeremus eorum, qui aciditatem vitriolaceorum mineralium, ac acetorum montanorum (ut à Theodoro Zvvingero vocantur) uſum planè averſantur. Quales ſunt liquores acidi extracti, vel ex ſale marino fixo, omnium reliquorum ſalium quaſi patre & origine prima: vel ex vitriolo, de natura mercuriali & volatili: vel ex ſulphure, mediam quandam naturam inter fixum & volatile nacto.

*Cur uſus citri, malorũ punicorum, ac aceti roſati ab Auctore laudatus.*

Verùm enimverò, ut quod hac de re ſentio, citra ulla verborum involucra apertè ac planè profitear: dico inter dictas aciditates vegetabiles ac minerales, quoad ipſorum bonitatem & excellentiam, tantam intercedere diſcrepantiam: qualis inter ſimplex exiſtit formale atq; cœleſte,

leſte, & terreſtre materiale ac compoſitum.

Ac metallicæ quidem aciditates, cum ad primum ens ac ſimplicitatem elementarem longè propiùs accedant, quàm vegetabiles: his quoq; longè perfectiores, tum in bilis ardoribus extinguendis, tum avertendis corruptionibus, effectus producunt. Huc accedit, quod obviæ vegetabilium aciditates, non levem inſuper patiantur imperfectionem: dum videlicet intenſiori paulò frigore congelantur, humiditate aëris exceſſiva ſitum contrahunt, aut intenſiore calore, aliam qualitatum patiuntur alterationem: eò quod, cum de heterogeneis naturis participent, deſtructionis ſuæ cauſas in ſemetipſis contineāt.

*Quod aciditates arte chymica depromptæ, cæteris multò præcellant.*

Aciditates verò balſamicæ, ex ſale, ſulphure, ac vitriolo, ſecundum artem extractæ, ad tantam ſpiritualitatem (ut ita loquar) elevantur, ut nec frigus, nec calorem, nec humiditatem, nec ſiccitatem, pertimeſcant: in ſumma nullam naturæ ſuæ alterationem patiantur, ſicq; incorruptibiles exiſtant. Quod verò per ſeipſum incorruptibile exiſtit, à corruptione aliud longe faciliùs præſervabit, eò quod ab extrinſeco ſui perfectionem, ut alterum, non deſiderat.

Hinc Lullius & Rupeciſſa, ſtudiorum ſocii, in libro de quinta eſſentia, egregiam hanc, terminis licet aliquantùm barbaris, peritè proponunt ſententiam, *Velle præſervari per rem putridam ac citò corruptibilem, & reformari per rem fœdam & deformitati ſubjectam, & facere rem perfectam per rem deficientem, & infirmum curare per rem infirmam, eſt inane.*

Meritò itaq; à nobis primæ partes tribuuntur aciditatibus mineralibus, vereq; aſſeveramus, ſi pari cum vegetabilibus quantitate adminiſtrentur, aciditates vel ſalis, vel ſulphuris, vel deniq; vitrioli (quæ quidem unius ejuſdemq; naturæ exiſtunt) longe faciliùs ac feliciùs illis deſideratos producturas effectus.

*Excellentia aciditatum mineralium quanta.*

Quamcunq; igitur dictarum aciditatum mineralium aſſumpſeris: ejus certè pars unica plus efficiet, quàm reliquarum quacunq; etiam ratione præparatarũ partes viginti. Ut maximas hoc loco cum hiſce mineralibus conjunctas præteream proprietates: quod videlicet ſemel paratæ per totam hominis vitam conſerventur incorruptæ, tum quod quovis tempore & loco parari, ac in diverſorum remediorum formas (ad eundem tamen ſcopum tendentium) levi quadam adjectione

adaptari

adaptari queant. Cujus ut rei certiorem fidem faciamus, in ſequentibus quædam proponere lubet ſpecimina.

Aquæ igitur pomorum *de court pendu*, oxalidis, bugloſſi, ſcabioſæ, aut cordiales ſimiles ſolæ, vel mixtæ (vel etiam cum aqua fontana limpida ac pura) guttis aliquot alicujus ex dictis acetis montanis ad ſimilitudinem oxycratis communis aceſcant: cui poſtmodum duos vel tres pugillos (qui quidem pro una libra liquoris ſufficient) roſarum adjicies rub. *de Provins*, exſiccatarum. Initio omnia in vaſe vitreo amplo ſeu alembico, ad accuratiorem roſarum macerationem, probe bacillo circumagito, relinque poſtmodum duobus diebus quieſcere. Quo quidem temporis ſpatio, aquam tuam inſtar rubini conſpicies tinctam, omnibusq; pariter virtualibus roſæ qualitatibus, hoc eſt, colore, odore, & ſapore, reperies impraegnatam. Ac quod plus eſt, licet roſas prorſus flaccidas, ac tribus annis continuis ex ciſta aliqua, omni planè externo vigore deſtitutas aſſumpſeris: eas tamen vigorem ſimilem illi quem poſſidebant, cum adhuc cauli adfixæ hærerent, aut certè parùm differentem, recuperare videbis.

*Quomodo ex roſis tinctura extrahenda.*

Atq; exigui hujus experimenti tamq; facilis,

facilis, ut ne puerorum quidem, ac mulierculárum captum tranſcendat, ductu verus Philoſophus Lynceis ſuis oculis clavem reperiet, vel abſtruſiſſimorum naturæ myſteriorum recludendorum, ac in apertam lucem proferendorum. Dictæ, inquam experientiæ adminiculo, requiſitam ad vitalem rerum anatomiam ritè adminiſtrandam, obtinebit novaculam. Simulq; perſpiciet, quiſnam ſit, & qualis ignis ille naturæ reconditus, à Philoſophis tot tantisq; laudibus exaltatus, ac in noſtris ſcriptis, variis in locis indigitatus.

*Quomodo ex omnibus tinctura extrahenda.*

Dicta verò, extrahendæ ex roſis tincturæ, in omni florum genere uſum habet ratio.

Nec verò in floribus modò: ſed etiam radicum, fructuum, ſeminum, ac deniq; in omni vegetabilium genere locum ſuum nanciſcitur, ut ex ipſis non modò purgantes: ſed etiam quaſcunq; alias cæteris præſtantiores virtutes ac proprietates eliciat.

Ne verò à propoſito noſtro evagari longiùs, ac inchoatæ roſarum tincturæ imperfectam relinquere tractationem videamur: quæ ſupereſſe videntur, in rudiorum gratiam, paulò fuſiùs, pleniùs, ac copioſiùs perſequamur. Aſſerere tamen verè poſſumus, ex paucis illis, quæ jam

propo-

propoſuimus probè intellectis, à mediocri ingenio, præſtantiſſima naturæ, ac ad uſum medicinæ inprimis accommodata elici poſſe myſteria.

Ubi igitur aquam tuam inſtar rubini conſpexeris tinctam, per inclinationem, eam in aliud vaſculum transfundes. Siq; intendere paulò virtutem ejus aſtringentem deſideres: dictas roſas linteo exprimes. Expreſſioni huic, odore, ſapore, & colore, nil niſi roſas referenti, adjicies poſtmodum ſaccharum commune, aut roſatum, indeq; efficies Julepum roſatum, tantæ præſtantiæ, cum quo communis ille officinarum nulla ratione comparari poſſit.

*Julepus è tinctura roſarum compoſitus quid præſtet.*

Ille Julepus non mediocris & levis erit momenti ad ardores bilis compeſcendos, ad robur jecoris, & aliorum nutritionis viſcerum inſtaurandum, nec non ad omnem corruptionem & putrefactionem abigendam. Illius uncia pro doſi ſufficiet, imò verò aliquid minus, modo ſerò, & matutinis horis eodem utaris. Hoc remedium non ſolum valet ad contagionis præſervationem procurandam, ſed etiam ad omnes febres ardentes mitigandas: in quibus opus eſt, ut tota ſanguinis maſſa refrigeretur, & frænum bili injiciatur. Non parum

parum etiam conducit ad ſiſtendas dyſenterias, maximeq; peſtilentes & contagioſas. De quibus infra ſermonem inſtituemus.

*Syrupus è Roſis ſiccis, haud vulgari ratione compoſitus.*

Sin autem ex eadem tinctura, ſyrupum roſarum ſiccarum comparare volueris, à vulgari plurimum differentem, qui omnibus roſæ qualitatibus virtualibus impregnetur, quiq; præter gratiſſimum colorem, odorem, atq; ſaporem non parum aſtringat, nihilq; aliud niſi roſam redoleat: eo, quem nunc deſcripturus ſum, modo procede.

Facias igitur, ſi placet, exhalare quartam, vel tertiam, imò dimidiam partem, liquoris prædicta tinctura imprægnati, ad balneum Mar. Ob liquoris namq; liquidi ſeparationem, quod ſupererit materiæ, multo magis ſine comparatione erit rubicundum, magiſq; tinctum, & fæcundatum virtutibus acidis & aſtringentibus, tum fermenti, tum roſæ ipſius: quæ certè virtutes nullatenus hoc mediocri calore adhibito ſeparari poterunt.

Ut inde igitur ſyrupum conficias, qui diuturno tempore conſervetur, omnibus antedictis qualitatibus in potentia præditus: qui colore, odore & ſapore probatiſſimis gaudeat, quiq; demum tum viſui jucundus,

cundus, tum odoratui & guſtui ſit gratiſſimus, miroſq; interim in curatione plurimorum morborum præſtet effectus, in quibus virtutes roſarum ſint neceſſariæ: hac, quæ ſequitur, via procedatur.

Recipe ſaccharum roſatum, quod in pauca quadam aquæ roſatæ quantitate diſſolvendum curabis, & ita decoquendum egregiè, ut formam ſacchari roſati repræſentet. Sic ergo perfectè decoctum, extra ignem paulatim rurſus decoques, tincturam, quo ſupra modo, præparatam ſubinde dejiciendo, maſſamq; totam frigidiorem agitando. Ea tamen cautione adhibita: ut tantundem prædictæ tincturæ adjiciatur, donec totum in formam & conſiſtentiam boni ſyrupi redactum conſpiciatur.

Ea planè ratione ſyrupos ex omni genere florum præparabis, in quibus illorum color, odor & ſapor retinebitur.

*Ratio componendorũ variorum, è tinctura florum, ſyruporum.*

Quæ cum maximam habeant utilitatem cum voluptate conjunctam: de iis quædam, licet non ita clarè & perſpicuè, in noſtra Pharmacopœa reſtituta declaravimus.

Ut autem ſyrupos ſimplices conficias, aquas illorum proprias uſurpabis. Exempli gratia, ſi ſyrupus roſatus tibi curæ ſit: aquam illius acidam reddes, & flores ru-

bicun-

bicundos in ea macerabis, non ſecus ac in ſyrupis violarum, aqua illorum acida reddi debet, & flores violarum ſicci in ea macerari, & ſimiliter in aliis.

*Julepi accommodati bilioſis.*

Tincturę porrò iſtæ, Julepi vel ſyrupi, qui methodo, de qua ſupra, è floribus roſarum, violarum, aut cichorii præparantur: ſive illi flores ſoli ſint, aut aliis ſimplicibus immixti, modo cum liquoribus ſulphuris, aut ſpiritus vitrioli, acidi reddantur: plurimum juvant bilioſos, & eos omnes quibus ſanguis æſtuans, & nimis incaleſcens non parum faceſſit negotii.

*Melancholicis.*

Tincturæ, Julepi, & ſyrupi è floribus bugloſſi, borraginis, nenupharis, & geniſtæ compoſiti, nec non cum ſuis aquis extracti, cumq; prædictis liquoribus acidi redditi: non parum temperamentis ſiccis & melancholicis accommodantur.

*Pituitoſis.*

Pro illis verò qui nimiùm pituita & rheumatibus abundant, utpote quorum cerebrum & ſtomachus ſunt frigidiora, vel ætas ad ſenium vergit: eædem tincturæ, Julepi & ſyrupi præparari poterunt, cum floribus ſiccis, & accuratè ſelectis betonicæ, roriſmarini, ſalviæ, atq; calendulæ. Quibus etiam adjicere licebit aliquot radices leviter conquaſſatas, ſcorzoneræ, & ſcordii cum cortice citrino ſicco copulati.

Sic enim remedia acceptiſſima conficies, & quæ cor inprimis ab omnibus corruptionibus vindicent & tueantur.

Quod certè præcipuum noſtrum debet eſſe hac in parte propoſitum, in qua de præſervativis contra peſtem agitur: inter quæ potiſſimum prædictæ aciditates metallicæ ſalis, ſulphuris & vitrioli, locum & ſedem meritò ſibi poſcunt.

*Auctoris contra aſſertores oppoſitæ ſententiæ* προλήψις.

Verum enimverò, non me latet quoſdam eſſe medicos, quorum nominibus doctrinæ, & experientię plurimum tribuo: qui nullâ ratione induci poſſunt, ad ſubſcribendum hujuſce generis remediis, illorumq; uſum comprobandum. Quæ res autem tantoperè in ſua ſententia illos confirmet, hæc eſt: quod credant hujuſmodi remedia nimis eſſe ignea & ardentia, prout illis apparet ex eo, quod lingua in illis ſolummodo delibandis excorietur. Quod linteola, & papyri, vaſa quibus continentur occludentia, ab illis aliquando comburantur, & velut in cinerem redigantur. Quodq; demum idem præſtet ſolus ſpiritalis antedictorum liquorum metallicorum vapor: unde neſcio quâ Logicæ conſequentiâ inferunt, eoſdem effectus in noſtris corporibus ab illis produci poſſe.

Hæc tamen, velim, advertant. Primum tales liquores ſolos non exhiberi ſed cum aliis ſyrupis, liquoribus, hydromelitis, juribus, atq; decoctionibus copulari, & ſenſui guſtus plurimùm acceptos reddi. Deinde verò attentius mecum perpendant: quod guſtus non eſt ſufficiens hujuſce quæſtionis arbiter: utrum, ſcilicet, hæc remedia eo nomine ſint præſertim rejicienda, quod guſtando linguam acriter afficiant, & quaſi comburant. Sunt enim res propemodum innumeræ, valde comburentes, flagrantes, acres, atq; pungentes, quibus guſtandis nec ipſa lingua par ſit & idonea; quæ tamen reipſa frigidæ, nec parum utiles judicentur. Unam in medium produco Camphoram, quæ certè ſpecietenus ſit calidiſſima & ardentiſſima: & illius nihilominus effectus experientia diuturna comprobati, nos iterum atq; iterum reddunt certiores, eandem alterius eſſe virtutis & qualitatis, ac illius quæ guſtu ſolo deprehendatur, & exterius ſolummodo exhibeatur. Idem ſimiliter de oleo vel ſpiritu vitrioli, & aliis acetis montanis, imò & de reliquis aciditatibus metallicis dici poteſt: de quibus nos ſupra quædam diſſeruimus. Quin etiam pro iſtis ratio fortior, quàm pro camphora

*Plurima remedia natura calida, & tamen effecta frigida comperiuntur.*

phora militat, quæ naturæ eſt ſulphureæ, & acrimoniæ calidiſſimæ, illius pene linguam, qui deguſtat, comburentis: cùm tamen prædicti liquores, ob ſuam quam guſtui offerunt aciditatem, ſatis ſuperq; teſtentur, ſi modò præceptis Medicinæ fidem adhibeamus, eos aliquantum de frigiditate participare.

Ut tamen magis ac magis mea confirmetur ſententia, in medium proferam Cratonis authoritatem, quæ magni certè ponderis eſſe debet, non ea præſertim de cauſa, quod potentiſſimi Imperatoris fuerit ἀρχίατρος: ſed quod eximiis ſuis ſcriptis, & curationibus, ingentem nominis celebritatem adeptus ſit. En igitur, quæ verbis conceptis de oleo vitrioli pronunciarit: *Vituperant multi oleum vitrioli, quià verum illius uſum ignorant: qui verò eo uti ſciunt, feliciter in magnis morbis, non tamen omnibus adhibent. Eadem enim vi, qua camphora, propter partium tenuitatem prædita eſt, ſic oleum vitrioli cum refrigerantibus datum refrigerat: cùm calefacientibus eorum calorem auget, atq; in univerſam corporis ſubſtantiam minori noxa, quàm camphora, quæ humido radicali inimica eſt, permeat.*

*Quanta ſit olei vitrioli excellentia.*

*Crato apud Skolzium.*

Verum ulterius ego ipſe quàm Crato progrediar, nec aſſignabo ſimplici tenui-

tati partium olei aut ſpiritus vitrioli, & aliarum aciditatum metallicarum præcipuam, qua pollent, qualitatem: imò eandem referam ad integram illarum ſubſtantiam, vel ad ſpiritus illarum acidos & fermentativos: qui quidem omnia corpora diſſolvere, & omnes ſpiritus quantumvis calidos, ut ſpiritus aquæ vitæ & urinarum noſtrarum coagulare poſſunt: prout jam libro præcedente demonſtravimus, & claro quotidie comperire licet experimento, ut nullus dubitandi locus relinquatur. Hæc autem ſpirituum coagulatio certiſſimum eſt indicium internæ, imò magnæ, ſpiritus vitrioli frigiditatis. Cum juxta vulgatum philoſophorum axioma, virtus quælibet condenſativa è frigore ſuboriatur, atq; procedat.

*Virtus acetorum metallicorum auctoritate celebrium Doctorum confirmatur.*

Sed quænam clarior probatio, aut ſpirantior deſideratur, cui par non ſit hoc quod à multis jam annis conſtitit & nunc etiam conſtat experimentum, quo videmus, nullum aliud eſſe promptius aut præſentius, tam ad calores bilis mitigandos, & omnes ardores febris interiores extinguendos, quàm ad omnia venena, & corruptiones prorſus exterminandas: ſpiritu vitriolico, & acetis metallicis remedium.

In

In luculentiorem hujuſce meæ aſſertionis confirmationem, teſtes advoco utramq; Germaniam, ſuperiorem ſcilicet & inferiorem: in quibus, non ſecus ac in multis Galliæ noſtræ provinciis, talia ſic hodie vigent & invaleſcunt remedia, ut nihil magis ſit in uſu, quàm ſyrupi acetoſi, limonum, granatorum, berberis & ſimilium.

Sin autem, quorumnam id fiat conſiliis, inquiratur: reſponſio eſt obvia, id non fieri vana quadam quorundam Empiricorum perſuaſione: ſed innumerorum penè, quibus ſcatet Germania, Medicorum, atq; Doctorum inprimis celebrium, matura deliberatione atq; decretis.

Quoniam verò illorum ſeriem, quos ſplendida noſtrorum temporum lumina meritò nuncupaveris, aliis meis in operibus intexui, tam eorum quos vultu atq; literis cognitos habeo, quàm aliorum qui ſuis mihi lucubrationibus innotuerunt, ſupervacaneum eſſe duxi eorum nomina hoc loco recenſere.

Huc etiam aliorum quorundam modernorum Medicorum, qui diverſis in regionibus ſua eruditione & celebritate floruerunt, adſciſcam authoritatem, ut Mercurialis, Saxoniæ, Maſſariæ, atq; Jordani, qui

*Olei vitrioli commẽdatio à diverſis authorib. petita.*

qui non modo uſum olei vitriolici probant: verùm etiam miris laudibus, ad peragendam plurium eorumq; graviſſimorum, & jam deploratorum morborum curationem, extollunt.

Geſnerus vir apprimè doctus & celebratus, id inter alios de oleo vitrioli refert, epiſtola 2. & 3. lib. 2. Epiſtolarum. Eos nimirum indignos videri nomine Medici, nec hanc bene poſſe perſonam ſuſtinere, qui hujuſmodi uſum minimè ſibi putent neceſſarium.

Heurnius peritiſſimus in ſuo de peſte tractatu, cap. 9. ubi de cura ejuſdem diſſerit, inter alia præſentia, miræq; virtutis remedia, primas defert oleis & liquoribus vitrioli, & ſulphuris, quorum communis eſt invicem natura & qualitates.

Tot tantisq; illuſtrium ſapientumque Medicorum auctoritatibus, qui non ita pridem floruerunt, antiquorum ego calculum adjungam, qui in ſale, ſulphure & vitriolo, ingentia multa, mirandaq; remedia contra venena, corruptiones omnes, morbosq; deploratiſſimos compererũt. Quod ſi tantas vires iſthæc in ſua craſſa & materiali ſubſtantia exerere poſſunt: quanto magis eorum ſpiritus formales idem, ſine comparatione præſtabunt, & efficient?

Verùm

Verùm ut idipſum clariùs omnibus innoteſcat: à ſale marino, quo omnes paſſim utimur, ducemus exordium. Non eſt enim cur tam excellens remedium prætermittamus, quod tantopere ad vitæ conſervationem conducit: quoq; non ſolùm carnes, ſed etiam piſces, ut ab omni corruptione præſerventur, in more eſt condire ſolitum. Sal, inquit Dioſcorides lib. 5. cap. 85. à putrefactione præſervat, contra ſcorpionum, ſerpentum, colopendræ, crocodilorum, & aliorum id genus animalium venenatorum ictus & offenſas plurimum juvat: & ſi cum aceto mixtum hauriatur, illis qui opium & fungos venenatos deguſtaverunt, non parum opitulatur. *Salis marini proprietates ex Dioſcoride.*

Idem Dioſcorides libri jam citati cap. 83. dum de virtutibus & qualitatibus ſulphuris loqueretur, hæc ſcribit, Sulphur ſi cum ovo vel ſolo odoratu percipiatur: contra tuſſim valet, nec non illis prodeſt, qui anhelitûs difficultate laborant, & qui tuſſiendo aliquid emittunt purulenti. Et paulò infra idem, ſulphur contra ictus ſcorpionum auxiliarii illiusq; ſuffitum (quod nihil eſt aliud quàm illius ſpiritus acidus) lethargicos excitare, & ſanguinis fluxum, undecunque proveniat, *Sulphuris proprietates ex eodem auctore.*

cohibere ſubjungit. Quæ certè virtus aliunde dimanare non poteſt, quàm ab illa qualitate condenſativa & coagulativa, quæ illi inhæret & copulatur. Sic etiam nullum eſt aliud præſtantius remedium contra quaſvis hæmorrhagias, dyſenterias, & fluxus hepaticos, quàm acidus liquor ſulphuris, ſive mavis, ſolus illius fumus & vapor, qui beneficio campanæ aut operculi Alembici retinetur, & in liquorem acidum reſolvitur: quem improprie oleum ſulphuris appellant, cujuſq; aliquot guttæ cum aqua plantaginis, aut aliquo ſyrupo permixtæ, miros præſtant in malis ſupra narratis effectus.

*Vitrioli proprietates ex Dioſcoride.* Spiritus vitrioli iiſdem pollet virtutibus, ut facilè ex iis perſpici poterit, quæ de eodem metallico veteres tradiderunt. Dioſcorides igitur eodem libro 5. cap. 74. » hæc habet: Vitriolum ad drachmæ pon- » dus manducatum, vel cum melle aſſum- » ptum, vermes ventriculi latiores interi- » mit: cum aqua potum, non parum juvat » eos, qui fungis venenatis uſi ſunt. Verùm quanam idipſum ratione præſcribit Dioſcorides? & nunquid materialiter, & in ſua craſſa ſubſtantia? cùm ſupra idem plurimùm reſtringere, calefacere, imò verò aduſtionem imprimere dixerit, dum de illius

lius proprietatibus differeret. Hoc à me Deus avertat,ut aliquando tale remedium ſine ulla præparatione adhibeam. Tunc enim, præter quod plurimùm lædit ſtomachum, ut & vomitus indicat, quem nedum ad pondus drachmæ, ſed etiam in paucis granis datum, excitat, atq; producit: adeò guſtui eſt ingratum,ut nunquam à Medico quovis, in ea ſententia præſcribetur, ſicut nullum præterea infirmum eſſe mihi perſuadeo,qui tàm infeſtâ uti velit potione. Illud tamen remedium non parum eſt antiquum, quod etiam nunc multi contra peſtem adhibeant.

Videamus iterum, quid de eodem ſcribat Matthiolus Dioſcoridis interpres, ſuo in caput de vitriolo commentario. Mirum videri non debet,inquit Matthiolus, ſi Dioſcorides vitriolum exhauſtum aut manducatum, contra vermes latos ventriculi, & contra fungos venenatos valere putaverit,licet virtute præditum ſit corroſiva & ulcerativa. Etiam nunc enim vitriolum, non ſolùm in potu,contra eadem ſymptomata, nec non tempore peſtilentiæ, adhibetur: ſed etiam eaſdem vires, illius ſine noxa oleum poſſidet, quod Alchymiſtæ ignis beneficio ex vitriolo eliciunt. Expertus ſum, iterum ſubjungit ille, idem vitri- *Virtus vitrioli præparati.*

» olim tanquam excellens alexipharmacum, ad pondus dimidiati ſcrupuli, cum aqua agrimoniæ dari, iis qui calculo laborarent, vel ad ciendam urinam iis quibus retardaretur. Idem etiam utiliſſimum eſt aſthmaticis, & δυσπνοίᾳ oppreſſis, modò illis cum decoctione herbæ caballinæ, aut hyſſopi exhibeatur.

Ex ſupradictis ſatis conſtare poteſt, antiquos minus veritos fuiſſe vitriolum in ſua dare ſubſtantia, licet multum ſit eroſivum & vomitivũ. Deinde conſtat etiam quomodo temporibus ſubſequentibus, ut ſcribit Matthiolus, qui annis abhinc ſexaginta floruit, oleum quod ex illo elicitur, feliciter propinabatur. Sed aliud eſt loqui de vitrioli ſpiritu, de quo nunc mea inſtituitur oratio, quemq; vetus Philoſophus ad libitum ſuum poterit ſola digeſtione, & partium paulò craſſiorum ſeparatione ita dulcorare, & guſtui acceptum reddere, ac ſyrupum limonum: cùm tamen in eo nulla qualitatum, & proprietatum ſupradictarum deſideretur.

*Spiritus vitrioli efficacia quanta.*

Hoc præterea remedium, non ſine quodam voluptatis ſenſu perceptum, nullam non modò perturbationem ſtomachi, aut nauſeam pariet: imò dicto penè citiùs omnes violẽtas vomitiones mirificè compeſcet,

peſcet diarrhæas, & lienterias ſedabit, & ipſiſmet etiam dyſenteriis opem feret præſentiſſimam. Quæ omnia certè clariſſima ſunt remedii præſtantiſſimi indicia.

Hæc ingens vitrioli excellentia non ſecus ac aliorum liquorum acidorum, qui è ſale marino, & ſulphure oriuntur, ejuſdemq; ſunt naturæ & proprietatis, me impulit ut longiorem de illis ſermonẽ, quàm par eſſet, texerem: cùm mihi præſertim perſpectum fuerit, talia remedia primas partes obtinere, contra omnes corruptelas; & putrefactiones quæ poſſunt in corporibus noſtris ingenerari, aut jam reipſa ingeneratæ ſint. Eadem quoq; remedia plurimùm valent ad humores æſtuantes temperandos, & magnas quaſcunq; commotiones, ex impetu vaporũ, & halituum ſpiritalium excitatas, refrænandas: nec non ut quis à peſte ſartus tectus conſervetur, vel jam infectus ſanetur. Demum quod parvi non eſt faciendum, ea ipſa imprimis commendantur, quod longo tempore in phiala vitrea conſerventur, quodq; ad illorum uſum, pauculæ tantùm guttæ, ſyrupis, vel aquis nonnullis cordialibus, aut certè juribus admiſcendæ ſint: quæ certè præparatio, nec celeritate, nec voluptate, nec emolumento vacare poteſt.

*Cur diutius in laude liquorum acidorum author immoretur.*

Quiſquis

*Prolepſis ad eos qui aciditatibus metallicis detrahunt.*

Quiſquis verò ille fuerit, qui rationibus à me ſupra citatis refragando, & ſuæ nimium inhærendo opinioni, omnes aciditates metallicas, & cætera quævis è familia metallorum educta, ut interius aſſumantur, remedia perget traducere, & condemnare, tanquam à noſtro nimium remota temperamento atq; proprietate: ille inquam poterit pauliſper animadvertere, quod eadem prorſus via atq; ratione, omnes Thermas, & aquas medicinales vituperet, quas Deus ſingulari ſuâ benignitate variis terræ regionibus impartitus eſt, ut nullus non iiſdem uteretur. E quibus tamen innumerabiles ſingulis diebus educuntur effectus, in eorum præſertim morborum curatione, qui deplorati credebantur, quibuſq; reliqua in caſſum adhibita fuerant remedia. Quanta porrò hæc eſt veſania, iis palam reluctari, quæ quotidie circa effectus aquarum acidarum, & vitriolicarum, quales ſunt Spaenſes & Pougvenſes, ſenſibus patent atq; percipiuntur? Quod ſi quis mihi opponat in contrarium, naturam has ſpirituum metallicorum cum aqua moliri mixtiones, quas ars ipſa nunquam valeat imitari, nedum conſequi: meras illud nugas eſſe dicam, hoc eſt, objectiones iſtas nullis prorſus

prorſus inniti rationum fulcris atq; momentis. Quotùs enim quiſq; eſt, qui vice verſa quotidie non videat, nedum medicamenta ſed ipſa, quoq; alimenta, tot & tantis artis egere beneficiis, ut ſine illis natura prorſus manca & inutilis remaneret.

*Quantum ars ipſi naturæ præſtet adjumenti.*

Natura quidem omnia nobis remediorum genera ſuppeditat: at niſi ars ad illorum præparationem manus ſuas admoveret, venena ſæpius ſalubrium pharmacorum loco experiemur. Natura ſegetes & racemos velut precipua nutritionis humanæ firmamenta, germinat: verùm ſi quis ſegetes crudas, quales à natura producuntur, aſſumeret; vitam procul dubio minus vitalem ageret. Panem igitur è frumento conficere, hoc eſt, è granis farinam extrahere, è farina furfurem ſeparare, eandem cum aqua permiſcere, permixtam ſubigere, ſubactam fermentare, & fermentatam demum in formam panis decoquere: magnum eſt, quod ſoli tamen arti debetur magiſterium. Idem de vino dici potiſt, & de aliis rebus innumeris: idem quoq; de medicamento, ſentiamus, oportet. Unde certè colligitur, ut inſtitutum ſermonem proſequar, quod ſi jus aliquod pingue, vel aqua accommodata, cum præ-

ſtante

ſtante quodam vitrioli, aut ſulphuris ſpiritu per me reddatur acidula: tantam inde utilitatem ſubſequi, ac ſi in magna quadam, & jam tamen uſitata quantitate aquas Spaenſes & Pougvenſes, quæ ſunt indubiè vitriolicæ, alicui propinandas exhiberem. Effectus qui ad ciendas urinas à talibus aquis eliciuntur, meo certè judicio ad ingentem aquarum, quæ ſorbentur, copiam referri debent. Quod ſi non ita prompti ex liquoribus acidis deſtillatis conſequantur effectus: eoſdem tamen temporis proceſſu licebit proſpicere, nec non cum minore periculo, quàm ſi ſimul, & ſemel, tanta aquarum congeries, vel invitis obtrudatur. Quæ certè non niſi magnum corporibus noſtris inferre poterunt nocumentum, ſi obſtructionibus divexentur. Id liquidò patet in hydropicis; quorum nonnulli ſæpius uſu talium aquarum, licet huic ſymptomati dicatarum, magis ac magis intumeſcunt: cum tamen è contra magnam utilitatem nanciſci poterunt, & alleviationem hujuſmodi ſpirituum acidorum beneficio: ſi modò certa quadam proportione & αιαλογία, cum jure, vel aqua quadam convenienti permiſceantur.

*Spiritus vitrioli eadem præditus, qua aquæ Spaenſes & Pougvenſes facultate*

De

## De Humorum purgatione.

## CAP. IV.

Purgatio ſæpenumerò poſt ipſam præparationem deſideratur, ut perſonæ quæ nimium excrementitiis & ſuperfluis humoribus redundant, à peſte vindicentur. Præcipuæ ſiquidem prædictæ præſervationis indicationes ſunt, corpora quoad fieri poterit, à fecibus & excrementis exonerare: eadem à corruptione præſervare: & ſpiritus corroborare.

*Purgatio humorum tempore peſtis præſertim neceſſaria.*

Pilulæ hanc in rem præſcribuntur, ritè peſtilentiales nuncupatæ, eò quod his tribus polleant facultatibus. Ab hujuſmodi quoq; virtute non abſunt illæ, quæ juxta decretum Avicennæ, ex aloë, myrrha, & croco componuntur. Aloê enim corpori purgando & evacuando inſervit: myrrha ut idem à corruptione præſervetur: & crocus ut cor recreetur atq; corroboretur.

Deſcriptio ergò pilularum, quæ Avicennæ tribuuntur eſt hujuſmodi.

*Deſcriptio pilularum peſtilentialium Avicennæ.*

℞. *Aloës* ℥ j.
*Myrrhæ*
*Croci*, *an.* ℥ ß.

Ex iis cum vino albo generoſo maſſa pilularum formetur. Doſis erit ℈ j. ß. vel ℈ ij. ad ſummum.

Pilulæ

*Deſcriptio pilular. peſtil. Ruffi.*

Pilulæ vero, quas vulgus Ruffi nominat, ſunt hujuſmodi.

℞. *Aloës*
*Gummi ammoniaci, an.* ℥ j.
*Myrrhæ*, ℥ ß.

Ex illis fiat maſſa pilularum cum ſucco limonum. Eadem doſis, quæ ſupra ſufficiet.

Paulus lib. 2. cap. 36. idem præſcribit remedium in formam potionis: ſed qui Paulum ſubſecuti ſunt, ex eodem confecerunt pilulas, cum nimis ſit guſtui ingratum.

Sunt quædam deſcriptiones, quæ doſes prædictorum ingredientium aliquantulum variant: ſed parum tamen in alterutris intereſt. Ego vero, ut inde præſtantiſſimum pharmacum ad peſtis præſervationem compararem, ſic eas formare vellem.

*Deſcriptio pilularum peſtil. auctoris.*

Primum igitur Aloë per me in eſſentiam redigeretur, beneficio aquæ cichorii, prout id clariſſimè & accuratiſſimè in mea explicatum eſt Pharmacopœa.

Super duabus unciis aloës, ſic mea induſtria præparatæ, ſex drachmas gummi ammoniaci in aceto roſaceo diſſoluti (acetum enim verum & germanum eſt illius correctivum, ſicut & acetum montanum) adjice-

adjicerem, myrrhæ quæ ſupra ignem in ſucco limonum diſſolvatur, & per linteum tranſcoletur, ſemi unciam, mumiæ veræ eodem modo diſſolutæ & tranſcolatæ ʒ j. ſalis abſinthii vel geneſtæ ℈ iiij. carabes, coralli, maſtichis, pulveris triaſantali, an. ℈ j. croci, ℈ ij. camphoræ ℈ ß. Una cum vino, aut ſyrupo, vel ſaltem limonum ſucco, hæc omnia in formam pilularum reducantur.

Si vero eaſdem pilulas magis purgativas præſtare deſideres: in eorum gratiam qui corporis habitu ſunt robuſtiore, ſicciore, & alvi nimium conſtrictæ, quæq; demum in genere ad omnes humores expurgandos prodeſſe poſſint: adjicienda erunt extracta ſenæ, rhabarbari, & agarici, in ſufficienti pro magnatibus quantitate. Pro aliis vero qui ſunt è plebe, eorum pulveres una cum tantillo Diagridii cum aceto montano correcti. Illius quippe hoc eſt legitimum, ut jam ſupra docuimus, correctivum. *Verum Diagrid. correctivum.*

Aliam pilularum conficiendarum rationem meo Marte deſcriptam, hoc in loco producam, quas ſic licebit præparare.

℞. Rad. *Polipodii*
*Scordii*
Cort. *Fraxini an.* ℥ ij.

T Herb.

Herb. *Agrimoniæ*
*Fumariæ*
*Scabioſæ*
*Meliſſæ, an.* m. j.
*Dictami*, p. ß.
Sem. *Endiviæ*
*Citri & corticis ejus, an.* ℥ iij.
Flor. *Bugloſſi*
*Violarum*
*Tapſi barbati*
*Hyperici*
*Calendulæ, an.* p. j.

Omnibus hiſce probè decoctis, in libra hujus decoctionis bene tranſcolatæ, atq; clarificatæ: diſſolve Aloës in veſica ℥ v j. Quæ certè diſſolutio fieri debet in phiala, vel alembico vitreo, in balneo Mar. calidiſsimo, imponendo ut ſic meliùs ejuſdem aloës fiat diſſolutio & à fece terreſtri ſeparatio, imò veró exhalatio uſq; ad mellis conſiſtentiam, quam ſeparatim conſervabis.

Separatim quoq; extractionem, quæ ſubſequitur, faciendam curabis.

℞. Fol. *Senæ*, ℥ ij.
*Rhabarb.* ℥ j.
*Caryophyllorum*
*Cinnamomi*
*Macis*

*Santali*

*Santali citrin. an.* ℥ j.

Ex hiſce omnibus extractionem fac ſeparatam, cum aqua mali citrei, aut endiviæ. Extractio autem quo ſupra modo ſeparata, poſtquam ab aqua ſecreta fuerit, & in conſiſtentiam mellis reducta: miſcebitur cum eſſentia aloës reſervata, & mixtioni adjicientur.

*Myrrhæ ſelect.* ℥ iij.
*Mumiæ veræ* ℥ j.
*Croci* ℥ ß
*Salis abſinthii & Meliſſæ, an.* ℈ iiij.

Ex tota hac materia cum ſyrupo citreo fiat maſſa pilularum. Doſis ad ℈ j. ſufficiet.

In hanc rem ſimiliter, ſi malueris, pilulæ peſtilentiales Alberti Ducis Bavariæ præparari poterunt, quarum deſcriptionem, arcani mirifici inſtar, doctus Birchmanus mihi Coloniæ, annis ab hinc triginta quinque, vel circiter, communicavit. Quamvis enim eaſdem in mea Pharmacopœa deſcripſerim: eaſdem tamen rurſus hoc loco, ob ingentem, qua præditæ ſunt, virtutem, inſerendas eſſe duxi. *Deſcriptio pilularum peſtil. Alberti Ducis Bavariæ.*

℞. *Croci*
*Myrrhæ*
*Camphoræ*
*Corn. cervi*
*Spodii, an.* ℥ j.

*Ligni aloës*
*Been candidi, an.* ℥ ß.
*Terræ ſigillatæ legitimæ* ℥ ij.
*Florum ſulphuris,* ℥ j.
*Cortic. & ſeminum citri*
*Caryophyllorum*
*Cinziberis, an.* ℈ ij.
*Ambræ,* ℈ j.
Fragmentorum Hyacinthi
*Smaragdorum*
*Granatorum benè præparatorum an.* ℈ ß.
*Agarici electi*
*Rhabarb. optimi, an.* ℥ ß.
*Aloës è veſica ad pondus omnium.*

Ex prædictis omnibus, cum ſucco aut ſyrupo limonum fiat maſſa pilularum. Doſis erit ʒ ß. paulò ante cibum.

*Deſcriptio purgativi Auctoris.*

Verùm, ut aliquid è noſtro ſuperaddatur: Purgativum quoddam juxta noſtram deſcriptionem conficiatur, idemq; præparetur è ſucco radicum, herbarum atq; florum qui in hortis noſtris exſurgunt: ita ut talia remedia ab exteris regionibus neceſſarium non ſit emendicare, licet bonitate cæteris non cedant.

♃. *Succi radicum rhabarbari quod monachorum dictitant*
*Succi ſummitatum fumariæ*

*Centaurea*

*Centaureæ minoris, Lupulorum, Eupatorii Meſuæ, an.* ℔. j. *vel amplius ſecundum quantitatem præparandam.*

Hi omnes ſucci invicem rite permixti in matricium injiciantur, atq; in balneo Mar. digerantur ac perfecte depurentur: tandem ex his liquorem per alembicum elicito, donec reducatur ad mellitam conſiſtentiam, quam ſeorſim adſervabis.

Eadem quoq; operatio & præparatio fieri poterit cum ſucco florum perſicæ arboris, & florum prunorum domeſticorum ſive ſylveſtrium, quæ eodem tempore efflorecunt, & mellita illorum conſiſtentia cum præcedenti jam reſervata ſuperaddatur. Talis autem inter utramq; erit proportio: quod ſi ex prima ſex unciæ conſtent, è ſecunda quatuor apponantur, & optime invicem miſceantur.

Eadem tertium fiat extractio, digeſtio, & ſeparatio puri ab impuro, uſq; ad mellaginam, è ſuccis florum roſarum pallidarum & Damaſcenarum invicem mixtis.

Deinde accipe horum ſuccorum depuratorum, & in mellaginem reductorum an. ℔ ß. Miſce, & totam hanc mixtionem in conſiſtentiam ſatis duram decoque, ut inde pilulas concinnare poſſis: cui mate-

riæ ſi proprium ſalem addideris, præſtantius evadet remedium purgativum, quod diuturno etiam temporis ſpatio conſervabitur. Doſis ℈ j ß. Ex qua doſi fac ſi velis pilulas. Vel certe hujus extracti, cum aqua horum ſimplicium quam prius ante reſervaveris, vel cum alio quovis liquore diſſolvere poteris ℥ ß. vel ℥ j. potionemq; inde in parva quantitate conficies: ad doſin ſcilicet, quæ ſine ulla perturbatione benignam, & apprimè ſalutarem evacuationem procurabit.

Ad hujuſce deſcriptionis typum, non modo quivis è turba Medicorum, ſed etiam aliorum, qui aliquantiſper in arte deſtillandorum & præparandorum remediorum verſati ſunt: infinita pene purgantia, ut utilitate, ſic bonitate præſtantia, ex herbis & floribus hortorum communium conficiet: indeq; pariter comperiet, quomodo coctionis, depurationis, & coagulationis iſtius, in conſiſtentiam ſatis ſolidam, comparatæ beneficio, omnes confectiones purgativas communiores, diutius ſine ſaccharo & melle conſervare, & ex eiſdem in minori multo quantitate dare poterit.

Pro iis autem quibus pilulæ non ſunt ita acceptæ: alia quæ mox conſequuntur, remedia

remedia parabuntur: Quorum uſus non modo palato erit probatiſſimus, ſed etiam valde ſpecificus, ut corpora à peſte præſerventur, & ab humoribus corruptis, qui in illis aliquando nimium deliteſcunt, penitus evacuentur.

℞. Foliorum ſenæ electorum ℥.ß. vel ʒ vj. pro iis qui non ita facilè commoventur, & ſantali citrini, & cinnamomi an ℈ j. Hæc omnia macera in ſufficienti aqua ſcabioſæ, bugloſſi, & pomorum quæ Gallis vocantur, *de court-pendu*, quibus aciditas comparari poterit mediocris è ſucco citreo quantum ſufficiet: idq; in vaſe vitreo accommodato, quod relinquetur in prædicta maceratione balnei Mariæ, viginti quatuor horarum ſpatio. Qua peracta poſt unam ebullitionem exprimetur. In hac expreſſione, pro una tantum doſi adjice ſucci pomorum curtipendulorum ℥ j. ſachari candi ʒ ij. totum cum ovi albumine agitetur & clarificetur. *Deſcriptio purgativi facillimi cõfectu, & omnibus temperamentorum generibus utiliſſimi.*

Et ſic remedium habebis gratiſſimum, quod inſuper benignè & ſufficienter evacuabit.

Proillioſis vero, iiſq; quibus medicinarum amaritudo non eſt ita ingrata, poteris materiæ & ingredientibus ſuprà dictis: rhabarbari ʒ ij. mirobolanorum ʒ j. *Quid illi addendum ſit pro bilioſis.*

infundere, infuſionem exprimere, & expreſſionem arte modò præſcripta, clarificare.

Id porro in gratiam delicatiorum, qui medicinas ſpiſſiores nolunt deguſtare, ſubjunximus: ut enim illæ clarificentur: ℥ vj. ſenæ aſſumendæ ſunt: pro aliis vero qui iſta minus indigent clarificatione, ℥ ß. pro prædicto medicamento ſufficiet.

Poterunt etiam loco rhabarbari, pro iiſdem bilioſis temperamentis, electuarii de ſucco roſarum, aut citri, ʒ j. vel ʒ ij. ſubſtitui.

*Pro pituitoſis.* Pro pituitoſis, Diacarthami, aut Diaphœnici ʒ j. vel ʒ ij.

*Pro atrabiliariis.* Pro atrabiliariis (juxta perſonarum curandarum temperiem) confectionis hamech, aut trypheræ perſicæ ℈ iiij. vel amplius: quæ duo remedia una cum infuſione ſenæ, ad omnia clarificanda, apponentur.

Syrupus Magiſtralis, cujus deſcriptio ſequitur in longum tempus conſervandus, hunc in finem cujuſvis generis complexionibus inſerviet.

*Syr. Magiſtralis contra peſtem omnibus accommodatus.*

℞. Rad. *Tormentillæ*
*Oxylapathi*
*Scorzoneræ, an.* ℥ vj.
Cortic. *Fraxini*

*Polypodii*

*Polypodii, an.* ℥ j.

Herb. *Endiviæ*

*Scabioſæ*

*Agrimoniæ , an.* m j.

Sem. *Oxalidis.*

*Portulacæ*

*Citri cum corticibus,an.* ʒ ii j.

Flor. *Geneſtæ*

*Calendulæ*

*Centaureæ minoris,an.* p. j.

*Cichorii*

*Violarum*

*Nenupharis,an.* p. ij.

Omnia hæc ſecundum artem decoquantur,colentur, & clarificentur. Super libram unam & dimidiam colaturæ adjice ſucci limonum ℥ iiij. & ſucci oxalidis depurati ℥ ij. In hiſce liquoribus probe commixtis macerentur, & poſtea ſecundum artem decoquantur.

Fol. *Senæ* ℥ iij.

*Rhabarbari,* ℥ j.

*Agarici trochiſcati* ʒ vj.

*Cinnamomi*

*Santali citrini*

*Fœniculi dulcis, an.* ʒ j.

Deinde omnia exprimantur aut colentur. Colaturæ tantum ſacchari electi quantum ſufficit, apponatur: & ſyrupus

 inde

inde mediocriter decoctus conficiatur. Cujus doſis erit ad ℥ ij. vel per ſe ſeparatim, aut cum aquis cordialibus permixti. Hic porrò ſyrupus mirificè à peſtilentia, nec non à quibuſvis generibus corruptionum corpora invadentium & labefactantium præſervat. Sin autem hujuſmodi ſyrupus in Vere, quo omnia terræ germina effloreſcunt, diſpenſetur: illi tantundem florum perſicor. quantum ſucci limonum adjiciatur. Sic enim virtutis magis purgatricis, & contra quaslibet infectiones potentioris efficietur.

*Hydromel contra peſtilentiam.* Si pariter Hydromeliti vinoſo & alterativo, quod ſupra deſcripſimus, Polypodium, ſena & alia purgantia in ſufficienti quantitate ſuperaddantur, exinde remedia præſtantiſſima, facilimaq; ad purgandum, quæ tum à malo vindicabunt contagioſo, tum nullam guſtui inferent moleſtiam componentur.

*Vina purgantia in modum hydromelitis contra peſtem.* Eoſdem in uſus tempore vindemiarum, diverſa vinorum purgantium, Hydromelitis prædicti vice, parari poterunt. Quorum nonnullas deſcriptiones avidus lector, tam in noſtro Diætetico, quàm Pharmacopœa deligere poterit.

Aliquis forſan à me requiret, cur inter tot remedia purgativa, quæ pro peſte aver-

avertenda in medium à nobis afferuntur, nullam illius mentionem faciam, quæ cæteris eſt facilius, benignius atque clementius: Caſſiæ videlicet, quæ cuivis hominum ſexui atque conditioni, imò vero ipſiſmet prægnantibus, & pueris lactentibus, quovis tempore & loco exhibetur: quæque tantopere ab Arabibus, Avicenna ſcilicet & Meſue commendetur? Cui ut ego objectioni ſatisfaciam, reſpondebo id me de induſtria feciſſe, quoniam hæc mea ſit, quidquid alii in contrarium dicant, ſententia: Caſſiam non ſine magna, cuilibet, animadverſione eſſe exhibendam.

*Nonnulla rationes cur Auctor de Caſſia non meminerit.*

Prima hæc ſit ſententiæ meæ ratio, quod Caſſia cum dulcis ſit qualitatis, facillimè in bilem, in temperamentis bilioſis convertatur. Cum ego ipſe interiorem illius anatomiam moliendo, perſpexerim, eandem intrinſecus aqua acerrima, fortiſſima, & purgantiſſima, ut ita dicam prævalere. Quod ſi quis opponat hanc acredinis & fortitudinis proprietatem ab igne proficiſci: illud penitus inficior. Si enim pulpa melorum, cucumerum, cucurbitarum, aut pomorum à me accipiatur: nihil ego inde ignis beneficio eliciam, niſi aquam refrigerantem: cum è contra Caſſia

erosivam.

[illegible] ac [illegible], non ſecus ac mel [illegible], cujus præterea virtute [illegible] [illegible] [illegible] diſſol-[illegible] [illegible] vulgus appellat) con-[illegible].

[illegible] [illegible] [illegible] probatio in [illegible] [illegible] verſatur, quod non medio-[illegible] [illegible] [illegible] ad [illegible]endam u-[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] ſint ne-ceſſaria [illegible] [illegible] [illegible] eſt omnium mi-[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] hcata [illegible]. Sic [illegible] potes fœcu-[illegible] & [illegible], [illegible] [illegible] moveat, [illegible] [illegible]. Sed [illegible] in bolo detur, [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] & ventriculi [illegible] [illegible] cum [illegible] generare: [illegible], [illegible] [illegible] Medicos, qui tantopere [illegible] [illegible], [illegible] remedium ſit [illegible] [illegible], medioribus, & [illegible], nec parum noxium: eò [illegible] [illegible] retineri nequeat. Se-[illegible] ac [illegible] [illegible], quos tamen Caſſia [illegible] [illegible] purgaverit, con-tingit.

[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Capivac-cius.

[illegible] ego [illegible] [illegible] ſubſcribo ſen-tentiæ, [illegible] plurimi ſunt qui eidem a-[illegible] [illegible]. Capivaccius celeber-rimus [illegible] Medicus, in eo, quem de pe-ſtilentia [illegible], tractatu, à noſtra ſtat opinione

opinione: cujus hanc præ cæteris rationem profert, quod ea quæ in peſte adhibentur remedia, aſtrictiva eſſe debeant atque corroborantia, cum nihil ſit quod tam proclivia ad contagium ſuſcipiendum reddat corpora, quàm humiditas, & partium debilitas: quæ â caſſia nunquam non in ventriculis ingeneratur.

*Et Dalechampius.* Dalechampius Medicus nominis celebritate perſpicuus, hanc ipſam ex profeſſo, in ſuo tractatu de peſte, definit quæſtionem. Suum nominatim appello, quia licet primævus ejus auctor non fuerit, eadem tamen auxerit, & variis, ut ita dicam, eruditionis floribus ornaverit, quæ Raymundus à vinario craſſa quadam indigeſtaq; Minerva, in eodem compilarat. Ille igitur Dalechampius, poſtquam caſſiam cum rhabarbaro, vel myrobalanis, vel manna, aut alio hujuſmodi correctivo, & purgativo permiſcendam, atq; contemperandam, ſecundum varia perſonarum temperamenta conſuluiſſet: memorandam certè, cujuſdam Cardinalis circa caſſiam temerè aſſumptam, his verbis recenſet hiſtoriam. *Hiſtoria memoranda.* Hæc qui neſcit (id eſt admiſcere caſſiam cum aliis purgantibus correctivis,) ille caſſia non tempeſtivè da- ""
ta, nunc faſtidium & nauſeam movet, ""
nunc

eroſivam ac corroſivam, non ſecus ac mel ipſum, ſuppeditet, cujus præterea virtute vel potentia quævis metallorum diſſolventia (ſic enim ea vulgus appellat) conſtituantur.

Secundæ meæ aſſertionis probatio in eo præſertim verſatur, quod non mediocris aquæ quantitas ad diſſolvendam unam aut ſaltem duas caſſiæ uncias ſint neceſſaria: quæ tamen doſis eſt omnium minima, ſi in potione ſaltem, aut clarificata propinetur. Sic nihilominus potus fæculentior & ſpiſſior, quiq; nauſeam moveat, inde conflatur. Sin autem in bolo detur, non idcircò deſinit ſtomachi & ventriculi inflationem una cum nauſea generare: cum, vel ipſius Meſues, qui tantopere eam commendavit, judicio, remedium ſit viſceribus imbecillioribus, mollioribus, & laxioribus, non parum noxium: eò quod facile ab illis retineri nequeat. Secus ac ventriculis ſiccioribus, quos tamen Caſſia perfectè nuſquam purgaverit, contingit.

*Stant à parte Auctoris circa caſſiã ſententiæ.*

Huic ego minime ſolus ſubſcribo ſententiæ, verum plurimi ſunt qui eidem amiciſſimè faveant. Capivaccius celeberrimus Paduæ Medicus, in eo, quem de peſtilentia inſcripſit, tractatu, à noſtra ſtat opinione

*Capivaccius.*

opinione: cujus hanc præ cæteris rationem profert, quod ea quæ in peſte adhibentur remedia, aſtrictiva eſſe debeant atque corroborantia, cum nihil ſit quod tam proclivia ad contagium ſuſcipiendum reddat corpora, quàm humiditas, & partium debilitas: quæ à caſſia nunquam non in ventriculis ingeneratur.

Dalechampius Medicus nominis celebritate perſpicuus, hanc ipſam ex profeſſo, in ſuo tractatu de peſte, definit quæſtionem. Suum nominatim appello, quia licet primævus ejus auctor non fuerit, eadem tamen auxerit, & variis, ut ita dicam, eruditionis floribus ornaverit, quæ Raymundus à vinario craſſa quadam indigeſtaq; Minerva, in eodem compilarat. Ille igitur Dalechampius, poſtquam caſſiam cum rhabarbaro, vel myrobalanis, vel manna, aut alio hujuſmodi correctivo, & purgativo permiſcendam, atq; contemperandam, ſecundum varia perſonarum temperamenta conſuluiſſet: memorandam certè, cujuſdam Cardinalis circa caſſiam temerè aſſumptam, his verbis recenſet hiſtoriam. Hæc qui neſcit (id eſt admiſcere caſſiam cum aliis purgantibus correctivis,) ille caſſia non tempeſtivè data, nunc faſtidium & nauſeam movet, " "

*Et Dalechampius.*

*Hiſtoria memoranda.*

nunc

eroſivam ac corroſivam, non ſecus ac mel ipſum, ſuppeditet, cujus præterea virtute vel potentia quævis metallorum diſſolventia (ſic enim ea vulgus appellat) conſtituantur.

Secundæ meæ aſſertionis probatio in eo præſertim verſatur, quod non mediocris aquæ quantitas ad diſſolvendam unam aut ſaltem duas caſſiæ uncias ſint neceſſaria: quæ tamen doſis eſt omnium minima, ſi in potione ſaltem, aut clarificata propinetur. Sic nihilominus potus fœculentior & ſpiſſior, quiq; nauſeam moveat, inde conflatur. Sin autem in bolo detur, non idcircò deſinit ſtomachi & ventriculi inflationem una cum nauſea generare: cum, vel ipſius Meſues, qui tantopere eam commendavit, judicio, remedium ſit viſceribus imbecillioribus, mollioribus, & laxioribus, non parum noxium: eò quod facile ab illis retineri nequeat. Secus ac ventriculis ſiccioribus, quos tamen Caſſia perfectè nuſquam purgaverit, contingit.

*Stant à parte Auctoris circa caſſiã ſententiæ.*

*Capivaccius.*

Huic ego minime ſolus ſubſcribo ſententiæ, verum plurimi ſunt qui eidem amiciſſimè faveant. Capivaccius celeberrimus Paduæ Medicus, in eo, quem de peſtilentia inſcripſit, tractatu, à noſtra ſtat opinione

opinione: cujus hanc præ cæteris rationem profert, quod ea quæ in peſte adhibentur remedia, aſtrictiva eſſe debeant atque corroborantia, cum nihil ſit quod tam proclivia ad contagium ſuſcipiendum reddat corpora, quàm humiditas, & partium debilitas: quæ à caſſia nunquam non in ventriculis ingeneratur.

*Et Dalechampius.* Dalechampius Medicus nominis celebritate perſpicuus, hanc ipſam ex profeſſo, in ſuo tractatu de peſte, definit quæſtionem. Suum nominatim appello, quia licet primævus ejus auctor non fuerit, eadem tamen auxerit, & variis, ut ita dicam, eruditionis floribus ornaverit, quæ Raymundus à vinario craſſa quadam indigeſtaq; Minerva, in eodem compilarat. Ille igitur Dalechampius, poſtquam caſſiam cum rhabarbaro, vel myrobalanis, vel manna, aut alio hujuſmodi correctivo, & purgativo permiſcendam, atq; contemperandam, ſecundum varia perſonarum temperamenta conſuluiſſet: memorandam certè, cujuſdam Cardinalis circa caſſiam temerè aſſumptam, his verbis recenſet hiſtoriam. *Hiſtoria memoranda.* Hæc qui neſcit (id eſt admiſcere caſſiam cum aliis purgantibus correctivis,) ille caſſia non tempeſtivè data, nunc faſtidium & nauſeam movet,

nunc

eroſivam ac corroſivam, non ſecus ac mel ipſum, ſuppeditet, cujus præterea virtute vel potentia quævis metallorum diſſolventia (ſic enim ea vulgus appellat) conſtituantur.

Secundæ meæ aſſertionis probatio in eo præſertim verſatur, quod non mediocris aquæ quantitas ad diſſolvendam unam aut ſaltem duas caſſiæ uncias ſint neceſſaria: quæ tamen doſis eſt omnium minima, ſi in potione ſaltem, aut clarificata propinetur. Sic nihilominus potus fœculentior & ſpiſſior, quiq; nauſeam moveat, inde conflatur. Sin autem in bolo detur, non idcircò deſinit ſtomachi & ventriculi inflationem una cum nauſea generare: cum, vel ipſius Meſues, qui tantopere eam commendavit, judicio, remedium ſit viſceribus imbecillioribus, mollioribus, & laxioribus, non parum noxium: eò quod facile ab illis retineri nequeat. Secus ac ventriculis ſiccioribus, quos tamen Caſſia perfectè nuſquam purgaverit, contingit.

*Stant à parte Auctoris circa caſſiã ſententiæ.*

Huic ego minime ſolus ſubſcribo ſententiæ, verum plurimi ſunt qui eidem amiciſſimè faveant. Capivaccius celeberrimus Paduæ Medicus, in eo, quem de peſtilentia inſcripſit, tractatu, à noſtra ſtat opinione

*Capivaccius.*

opinione: cujus hanc præ cæteris rationem profert, quod ea quæ in peſte adhibentur remedia, aſtrictiva eſſe debeant atque corroborantia, cum nihil ſit quod tam proclivia ad contagium ſuſcipiendum reddat corpora, quàm humiditas, & partium debilitas: quæ â caſſia nunquam non in ventriculis ingeneratur.

Dalechampius Medicus nominis celebritate perſpicuus, hanc ipſam ex profeſſo, in ſuo tractatu de peſte, definit quæſtionem. Suum nominatim appello, quia licet primævus ejus auctor non fuerit, eadem tamen auxerit, & variis, ut ita dicam, eruditionis floribus ornaverit, quæ Raymundus à vinario craſſa quadam indigeſtaq; Minerva, in eodem compilarat. Ille igitur Dalechampius, poſtquam caſſiam cum rhabarbaro, vel myrobalanis, vel manna, aut alio hujuſmodi correctivo, & purgativo permiſcendam, atq; contemperandam, ſecundum varia perſonarum temperamenta conſuluiſſet: memorandam certè, cujuſdam Cardinalis circa caſſiam temerè aſſumptam, his verbis recenſet hiſtoriam. Hæc qui neſcit (id eſt admiſcere caſſiam cum aliis purgantibus correctivis,) ille caſſia non tempeſtivè data, nunc faſtidium & nauſeam movet, " "

*Et Dalechampius.*

*Hiſtoria memoranda.*

nunc

eroſivam ac corroſivam, non ſecus ac mel ipſum, ſuppeditet, cujus præterea virtute vel potentia quævis metallorum diſſolventia (ſic enim ea vulgus appellat) conſtituantur.

Secundæ meæ aſſertionis probatio in eo præſertim verſatur, quod non mediocris aquæ quantitas ad diſſolvendam unam aut ſaltem duas caſſiæ uncias ſint neceſſaria: quæ tamen doſis eſt omnium minima, ſi in potione ſaltem, aut clarificata propinetur. Sic nihilominus potus fœculentior & ſpiſſior, quiq; nauſeam moveat, inde conflatur. Sin autem in bolo detur, non idcircò deſinit ſtomachi & ventriculi inflationem una cum nauſea generare: cum, vel ipſius Meſues, qui tantopere eam commendavit, judicio, remedium ſit viſceribus imbecillioribus, mollioribus, & laxioribus, non parum noxium: eò quod facile ab illis retineri nequeat. Secus ac ventriculis ſiccioribus, quos tamen Caſſia perfectè nuſquam purgaverit, contingit.

*Stant à parte Auctoris circa caſſiã ſententiæ.*

Huic ego minime ſolus ſubſcribo ſententiæ, verum plurimi ſunt qui eidem amiciſſimè faveant. Capivaccius celeberrimus Paduæ Medicus, in eo, quem de peſtilentia inſcripſit, tractatu, à noſtra ſtat opinione

*Capivaccius.*

opinione: cujus hanc præ cæteris rationem profert, quod ea quæ in peſte adhibentur remedia, aſtrictiva eſſe debeant atque corroborantia, cum nihil ſit quod tam proclivia ad contagium ſuſcipiendum reddat corpora, quàm humiditas, & partium debilitas: quæ à caſſia nunquam non in ventriculis ingeneratur.

*Et Dalechampius.* Dalechampius Medicus nominis celebritate perſpicuus, hanc ipſam ex profeſſo, in ſuo tractatu de peſte, definit quæſtionem. Suum nominatim appello, quia licet primævus ejus auctor non fuerit, eadem tamen auxerit, & variis, ut ita dicam, eruditionis floribus ornaverit, quæ Raymundus à vinario craſſa quadam indigeſtaq; Minerva, in eodem compilarat. Ille igitur Dalechampius, poſtquam caſſiam cum rhabarbaro, vel myrobalanis, vel manna, aut alio hujuſmodi correctivo, & purgativo permiſcendam, atq; contemperandam, ſecundum varia perſonarum temperamenta conſuluiſſet: memorandam certè, cujuſdam Cardinalis circa caſſiam temerè aſſumptam, his verbis recenſet hiſtoriam. *Hiſtoria memoranda.* Hæc qui neſcit (id eſt admiſcere caſſiam cum aliis purgantibus correctivis,) ille caſſia non tempeſtivè da-" ta, nunc faſtidium & nauſeam movet, "

nunc

» nunc appetentiam hebetat, nunc ventris
» profluvium moleſtum inducit. Hiſtoria
» memorabilis Cardinalis cujuſdam, cujus
» inteſtina lubrica prorſus & debilia fue-
» runt, ei cùm imperitus Medicus caſsiæ uni-
» ciā unam dediſſet, alvus ſic erupit, ut uni-
» us diei ſpatio miſer quinquageſies deſede-
» rit, ac dyſenteria, ac teneſmo tandem ob-
» ierit. Hæc Dalechampius.

Caſsiæ tamen remedium ut penitus improbem non adducor, nec induco: id tamen magna cum circumſpectione propinandum decerno. Quod ad me ſpectat, idem ſemper vel cum decoctione myrobalanorum citrinorum, vel cum aliis purgantibus, quæ ſimul leniant atq; corroborent, admiſceo: ſive illud in modum potionis colatæ & clarificatæ exhibeam, ſive in formam mollis Electuarii, ut apertiùs in meo Catholico & Electuariis lenitivis, antinephriticis, & aliis id genus in mea Pharmacopœa deſcriptis conſpicietur.

At nimium fortaſſe præceptis purgationis inhæſimus: ſupereſt modò ut ad roborationem accingamur.

De

## *De remediis Cordialibus & Bezoárdicis, ad Peſtis præſervationem comparatis.*

## CAP. V.

Duobus præcedentibus ſubdiſtinctionis noſtræ membris atq; partibus abſolutis: nobis in præſentiarum incumbit, de Tertia, ultima atq; principali, ut à peſte vindicemur, indicatione curativa, de roboratione videlicet, ſive de remediis alexiteriis, atq; Bezoardicis, quæ impediunt, quo minus venenum cor ipſum & partes vitales aggrediatur, imò quæ illius, ſi jam vitæ præcipuam ſedem, atq; propugnaculum invaſerit, malignitatem domare poſſint, tractare.

*Præcipua contra peſtem alexiteria & roborantia.*

Præcipua verò magisq; communia remedia, cùm ſimplicia, tum compoſita, quæ huic roborationis propoſito inſerviunt, hæc recenſeantur.

*Theriaca*
*Mithridatium*
*Confectio hyacinthi*
*Alkermes*

Conſervæ florum

*Bugloſſi*
*Violæ*
*Roſæ rubræ*

*Nymphea*

*Nymphea*
*Roriſmarini*
*Calendulæ*
*Cortex citrii condit.*
*Myrobalani conditi.*

Species ſive Electuaria.

*Triaſantali*
*Aromat. roſati*
*de Gemmis*
*Diambræ*
*Diamoſchi*
*Dianthos*
*Diaſcordii.*

Radices

*Angelicæ*
*Zedoariæ*
*Tormentillæ*
*Gentianæ*
*Scorzoneræ.*

Inter herbas

*Ruta capraria*
*Ruta vulgaris*
*Scabioſa*
*Scordium*
*Meliſſa*
*Ulmaria.*
*Veronica*
*Oxalidis*
*Dictamnus.*

Semina

Semina.

*Oxalidis*
*Portulacæ*
*Ocymi*
*Cardui benedicti*
*Coriandri*
*Citri*
*Grana juniperi*
*Kermes.*

Flores, qui ſupra in Conſervarum præparatione memorantur unà cum floribus.

*Hyperici*
*Centaureæ minoris*
*Lignum Aloës*
*Santali omnes.*

Inter aromata.

*Cinnamomum*
*Caryophylli*
*Macis*
*Nux moſchata*
*Cardamomum*
*Item cornu cervi*
*Parvulū ſeu recens cervi cornū*
*Os cordis cervi*
*Ebur*
*Unicornu*
*Camphora*
*Crocus*
*Verus bolus*

*Vera terra ſigillata*
*Lapis Bezoar dictus*
*Ambra*
*Moſchus.*

Inter lapides pretioſos
*Corallium*
*Perlæ*
*Rubini*
*Smaragdus*
*Hyacinthus*
*Saphyrus*
*Topazium.*

Pro metallicis autem olea, ſive liquores acidos & balſamicos adjiciemus, quales ſunt,
*Salis marini*
*Vitrioli*
*Sulphuris.*
*Item Anodynum minerale, quod ſal prunellæ dicitur.*
*Croci metallici diaphoretici.*
*Croci metallici purgativi.*
*Bezoar metallici*
*Mercurii vitæ varii, & aliæ ejuſdem metalli celebres præparationes.*
*Flores ſulphuris.*
*Balſamum lactis ſulphuris.*
*Aurum diaphoreticum, unà cum aliis pluribus præſtantiſsimis,*

*tiſsimis, quæ ex eodem metallo eliciuntur, remediis.*

Ex omnibus autem hujuſmodi remediis cordialibus & bezoardicis, diverſa formularia maximi ponderis atq; virtutis deſcribemus, in modum videlicet aquarum, extractionum, antidotorum, conditorum, tabellarum, atq; pulverum: quorum tamen partem maximam è noſtra Pharmacopœa, idq; facultatibus tum pauperum, tum divitum, tum magnorum atq; minimorum nos accommodando mutuabimur. Ab aquis igitur Theriacalibus auſpicemur.

*Quodnam ſit authoris hac in parte inſtitutum.*

Aqua Theriacalis excellens pro peſtis præſervatione.

*De corroboratione & remediis Bezoardicis.*

℞. Rad. *Zedoariæ*
*Angelicæ*
*Tormentillæ*
*Scorzoneræ, an.* ℥ ij.
*Ligni aloës*
*Santali citrini, an.* ℥ j
*Granorum Juniperi.*
Sem. *Cardui benedicti*
*Citri & corticũ ejuſdem, an.* ℥ j ſs.
*Cinnamomi*
*Macis*
*Cardamomi, an.* ʒ j.
*Dictam.*

 Flor.

Flor. ſicc. *Geniſtæ*
*Calendulæ*
*Hyperici*
*Centaureæ minoris*
*Roſarum rubr.*
*Bugloßi, an.* p.ij.

Omnia leviter macerata atq; permixta injiciantur in vas vitreum capax, cujus collum ſtrictum ſit & oblongum, quod vulgô Matracium dicitur, iiſq; ſuperinfundantur,

Aquæ *Cardui benedicti*
*Ulmariæ, an.* ℔ ß.
Succi *Scordii*
*Rutæ caprariæ*
*Limonum, an.* ℥ iiij.
*Vini albi,* ℔ ij.

Hæc omnia in vaſe bene claudantur, & in balneo Mariæ mediocriter per ſex aut quinque dies macerentur, macerata demum pro viribus exprimantur, feces ſeparatim reſerventur, & ſucco expreſſo ſuperaddantur,

*Theriacæ Venetæ*
*Mithridat. an.* ℥ j.
*Confectionis Alkermes*
*Hyacinthi*
*Electuarii de gemmis, an.* ʒ ij.
*Croci,* ʒ j.

Cam-

*Camphoræ* ℥ ſß.

Omnia relinquantur iterum digerenda per unum vel duos dies, deinde per cineres ad ſiccitatem deſtillentur. Interim dum hæc fiet deſtillatio, feces in reverberio ſecundum artem in cineres redigantur. Ex iſtis cineribus cum aqua Ulmariæ, aut Cardui benedicti, alteriuſve aquæ cordialis ſal extrahatur, quod ſæpius philtrabitur & purificabitur, donec puriſſimum & clariſſimum evadat. Sal illud materiæ prædictæ adjectum, illius virtutem duplicabit, magnumq; proinde fiet Bezoardicum, tam ad peſtem præcavendam, quàm curandam. Pro præcautione ℈ j. vel ℥ ſß. ſufficiet, & vel per ſe deglutiatur, vel cum aliquo liquore diſſolvatur.

*Modus utendi aqua prædicta Theriacali.*

At ſi ex his aquam velis comparare Theriacalem Bezoardicam, quæ & ipſa plurimùm conferet emolumenti: ſequenti modo procedendum eſt.

*Alia aquæ Theriacalis deſcriptio.*

Accipe omnia ſimplicia & ingredientia prædictæ aquæ Theriacalis, quibus antea tamen admiſcueris aquas & ſuccos ſcordii & rutæ caprariæ (quæ aliter herba Veneta nuncupatur) unà cum ſuccis limonum, & albo vino, juxta id quod ſupra tradidimus. Poſtquam omnia permixta fuerint, & leviter in balneo Mariæ decocta,

Flor. ſicc. *Geniſtæ*
*Calendulæ*
*Hyperici*
*Centaureæ minoris*
*Roſarum rubr.*
*Bugloſſi, an.* p.ij.

Omnia leviter macerata atq; permixta injiciantur in vas vitreum capax, cujus collum ſtrictum ſit & oblongum, quod vulgò Matracium dicitur, iiſq; ſuperinfundantur,

Aquæ *Cardui benedicti*
*Ulmariæ, an.* ℔ ß.
Succi *Scordii*
*Rutæ caprariæ*
*Limonum, an.* ℥ iiij.
*Vini albi,* ℔ ij.

Hæc omnia in vaſe bene claudantur, & in balneo Mariæ mediocriter per ſex aut quinque dies macerentur, macerata demum pro viribus exprimantur, feces ſeparatim reſerventur, & ſucco expreſſo ſuperaddantur,

*Theriacæ Venetæ*
*Mithridat. an.* ℥ j.
*Confectionis Alkermes*
*Hyacinthi*
*Electuarii de gemmis, an.* ʒ ij.
*Croci,* ʒ j.

*Cani-*

*Camphoræ* ℥ ß.

Omnia relinquantur iterum digerenda per unum vel duos dies, deinde per cineres ad ſiccitatem deſtillentur. Interim dum hæc fiet deſtillatio, feces in reverberio ſecundum artem in cineres redigantur. Ex iſtis cineribus cum aqua Ulmariæ, aut Cardui benedicti, alteriuſve aquæ cordialis ſal extrahatur, quod ſæpius philtrabitur & purificabitur, donec puriſſimum & clariſſimum evadat. Sal illud materiæ prædictæ adjectum, illius virtutem duplicabit, magnumq; proinde fiet Bezoardicum, tam ad peſtem præcavendam, quàm curandam. Pro præcautione ℈ j. vel ℥ ß. ſufficiet, & vel per ſe deglutiatur, vel cum aliquo liquore diſſolvatur. *Modus utendi aqua prædicta Theriacali.*

At ſi ex his aquam velis comparare Theriacalem Bezoardicam, quæ & ipſa plurimùm conferet emolumenti: ſequenti modo procedendum eſt. *Alia aquæ Theriacalis deſcriptio.*

Accipe omnia ſimplicia & ingredientia prædictæ aquæ Theriacalis, quibus antea tamen admiſcueris aquas & ſuccos ſcordii & rutæ caprariæ (quæ aliter herba Veneta nuncupatur) unà cum ſuccis limonum, & albo vino, juxta id quod ſupra tradidimus. Poſtquam omnia permixta fuerint, & leviter in balneo Mariæ decocta,

ad ignem cinerum deſtillanda curabis, vel ad ignem vaporoſum, qui tantopere in noſtra Pharmacopœa celebratur, idq; ad ſiccitatem.

In prædicta modò aqua, quæ veluti menſtruum quoddam erit, ad extrahendas tincturas Alexiteriorum, & Bezoardicorum, qualia ſunt Theriaca, Confectiones Alkermes, hyacinthi, & ſimilia, omnia macerãda committes balneo Mariæ calido, elapſisq; duobus ferè diebus, prædictam aquam inſtar rubini, claram & tinctam videbis, nec non omnibus dictæ ſupra Theriacæ & aliorum Bezoardicorum virtutibus imprægnatam. Quod clarum erit atq; purum aſſumes, & à fecibus ſeparabis, atq; inde extractum concinnabis, nec alia tamẽ opus erit operatione vel deſtillatione: quippe qua multum de ſubſtantifica rerum virtute & potentia imminuitur. Aliquantulæ ſolummodo iſtius eſſentiæ atq; infuſionis guttæ, vel ſeparatim ſumptæ, vel cum vino aut aliquo alio liquore permiſtæ: egregium ſuppeditabunt contra omnia venena atq; corruptiones alexiterium, quod non modo peſtem procul à nobis amandaverit: ſed etiam invectam & ſævientem in membris compeſcet atq; propellet.

Juxta

Juxta univerſas harum formularum rationes, quivis non modo Pharmacopola, ſed etiam matrona paululum in deſtillationibus verſata, plures alias cum ſimilibus ingredientibus, quantitatem augendo vel diminuendo, poterit concinnare præparationes.

Alia aqua Theriacalis excellens, præparatuq; facilis.

℞. xij. nuces cum ſuis corticibus viridantibus, dum tempus circa menſem Julium poſtulat.

*Alterius aquæ Theriacalis excellẽtis deſcriptio.*

*Ulmariæ*, m. iiij.
*Rutæ caprariæ*
*Cardui benedicti unà cum capitibus.*
*Scordii, an.* m. ij.
Rad. *Angelicæ*, ℥ j.
Granor. *Juniperi matur.* ℥ iiij.

Omnia ſimul conquaſſentur, & per duos dies, in ſufficienti aquæ bugloſſi, & vini albi optimi, æqualiq; quantitate, macerentur, & demum aqua ad ſiccitatem beneficio balnei vaporoſi accuratè deſtilletur.

In tota hoc aqua prædicta adjice,
*Theriacæ Venet.* ℔ ß.
*Mithridat.* ℥ iij.

*Corn. cervi*, dum adhuc ſunt te-
nera, quæque ſuo modo venatores, *le r-
venu*, in fruſta diſcerptorum & inciſorum
℔ ij.

Omnia per duos dies macerentur, 
poſtea in balneo vaporoſo, ſemel & iteru
aquam ſuper feces tranſcolendo, deſtille-
tur: ſic aquam Theriacalem conficies e-
cellentiſſimam ad doſin unius aut duo-
rum cochlearium argenteorum, ut à peſ
omniq; prorſus toxico præſerveris, atq
curari poſſis. Sin autem ad ignem omn
ſimplicia & ingredientia, quæ prædicta
aquam ſubeunt, in cineres redigantur; ſi
è cineribus cum aqua quadam cordi-
aut communi, ſecundum artem ſal extr-
hatur, & cum prædicta aqua Theriac-
permiſceatur: remedium longè optabili
& præſtantius comparabis.

*Salium è cineribus qui ea ingrediuntur extractorũ commendatio, variis confirmata ſapientiſſimorum virorum teſtimoniis. Ut*

*Obſervatio notanda.*

CÆterum plures nos cauſæ perm-
verunt, ut antea pluribus remed
accurate deſcriptis, non ſecus ac huic
quæ Theriacali ſuos proprios ſales ſubju-
geremus: cum ea potiſſimum ratione
mnia pharmacorum genera, quibuſda
adjectis ſive ſubtractis reddantur præſta-
tio

tiora. Hujuſce nos rei rationes expreſſas,
non ſemel in aliis noſtris ſcriptis retuli-
mus, nec aliquando relatas iterum piget
huc inſerere & commendare. Quod au-
tem adeò obnixè à nobis factitatum eſt, è
noſtra non ſolùm procedit mente judi-
cioq;, ſed etiam ex antiquitatis approbati-
one, atq; celeberrimorum qui nuper ſcri-
pſerunt Medicorum aſſertione: qui prædi-
ctos ſales nullis non laudibus extollunt, &
maximi faciunt.

Sales Theriacales, vel ipſius Dioſcori- *Dioſcoridis.*
dis temporibus, Medicis uſui, quin etiam
æſtimationi fuiſſe conſtat.

Galenus, Paulus Ægineta, & potiſſi- *Galeni Pau-*
mum Aëtius, poſt ingentem illorum com- *li Æginetæ*
mendationem, chymicam inſuper præpa- *lib. de re Me-*
rationem deſcribunt, calcinationem ſcili- *dica Ætii*
cet, vel incinerationem, quæ tantùm ab- *Tetr. 4. ſer.*
eſt (quod nihilominus nonnulli arbitran- *1. cap. 97.*
tur) ut res calcinatas omni ſua virtute &
proprietate ſpoliet, aut humore privet ra-
dicali: quin imò majorem illis ἐντελέχιαν,
efficaciam vivaciorem, & qualitates indát
ſublimiores.

Doctus Fernelius, licet acerbiſſimus *Fernelii.*
Mercurii crudi & præparati, ſive exterius
applicetur, ſive interius aſſumatur, ſit ho-
ſtis & inſectator, adeò ut venenum illum

judicet eſſe præſentiſſimum: (cujus tamen rationibus nos infra ſatisfaciemus, quando ſermonem de remediis metallicis inſtituemus) Fernelius, inquam, non modò fatetur Mercurium, qui tamen in ſua mera cruditate magnum eſt purgativum, per calcinationem vel incinerationem, nihil de ſua virtute purgativa imminuere: quinetiam eandem multò magis augeri, atq; intendi aſſeverat. Ex hac quippe aſſertione ſeptimum opuſculi ſui caput, quod iiſdem penè verbis concludi, exorditur, prout conſtat ex ſequentibus: Hydrargyro
» tantam vim purgandi ineſſe diximus, ut ne
» uſtione quidem depereat, ſed in cinere
» ſuperſit, multò etiam quàm antè vehe-
» mentior. Siquidem uſtione conſumpta,
» exhauſtaq; hydrargyri ſubſtantia, in qua
» vis refrigerandi inſidebat, etſi natura ejus
» temperies diſſoluta eſt: manet tamen in
» cinere, quæ à forma naſcitur, vis purgatrix,
» multò quàm ante efficacior.

Verùm quoniam hoc in loco Fernelius unius tantum metallici videtur meminiſſe: alterius cujuſdam celebrati inter dogmaticos Medici, Cratonis videlicet, authoritatem, ſigmatis inſtar, adjiciemus, qui de virtute eximia ſalium ex omnibus rebus vegetabilib. eductorum non ſecus, *Cratonis.*

ac

ac de illorum oleis & extractionibus, in præfatione operum Fallopii hunc in modum loquitur. Sal ex herbis atq; aliis vegetabilibus confectum, ſicut & olea extracta, plurimùm in periculoſiſſimis morbis adjumenti afferre poſſe ingenuè profiteor. At qui extractos, aquasq; verè deſtillatas, non in æneis vaſis alembicatas, (ut vocant) ſal etiam herbarum atque fructuum exterminanda è Medicina putant: eos corporibus humanis, & univerſæ Medicinæ malè conſulere, & nimis in veram chymiam ingratos eſſe deploro.

Chymicorum autem (addit) ineptias & impoſturas deteſtor, eas ut hoc loco neq; referendas, vel refutandas omnes puto, ita verè affirmo, me (tantum virium reſidere in cinere, de quo ſalia conficiuntur, ut in graviſſimis etiam morbis, naturæ plus auxilii tribuerint, quàm alia præſtantiſſima medicamenta afferre potuerint) magnopere ſæpe admiratum.

Illud ergo dicere ſuper magnam ſalium efficaciam inſtitueramus, ea præſertim de cauſa, ut oſtenderemus non incaſſum illos à nobis in remediorum noſtrorum, præſertim purgativorum, ſerie multiplici, adhiberi: cum ſalium beneficio, illorum

rum

judicet eſſe præſentiſſimum: (cujus tamen rationibus nos infra ſatisfaciemus, quando ſermonem de remediis metallicis inſtituemus) Fernelius, inquam, non modò fatetur Mercurium, qui tamen in ſua mera cruditate magnum eſt purgativum, per calcinationem vel incinerationem, nihil de ſua virtute purgativa imminuere: quinetiam eandem multò magis augeri, atq; intendi aſſeverat. Ex hac quippe aſſertione ſeptimum opuſculi ſui caput, quod iiſdem penè verbis concludi, exorditur, prout conſtat ex ſequentibus: Hydrargyro
» tantam vim purgandi ineſſe diximus, ut ne
» uſtione quidem depereat, ſed in cinere
» ſuperſit, multò etiam quàm antè vehe-
» mentior. Siquidem uſtione conſumpta,
» exhauſtaq; hydrargyri ſubſtantia, in qua
» vis refrigerandi inſidebat, etſi natura ejus
» temperies diſſoluta eſt: manet tamen in
» cinere, quæ à forma naſcitur, vis purgatrix,
» multò quam ante efficacior.

Verùm quoniam hoc in loco Fernelius unius tantum metallici videtur meminiſſe: alterius cujuſdam celebrati inter dogmaticos Medici, Cratonis videlicet, authoritatem, ſagmatis inſtar, adjiciemus, qui de virtute eximia ſalium ex omnibus rebus vegetabilib. eductorum non ſecus,

*Cratonis.*

ac

ac de illorum oleis & extractionibus, in præfatione operum Fallopii hunc in modum loquitur. Sal ex herbis atq; aliis ve- "
getabilibus confectum, ſicut & olea ex- "
tracta, plurimùm in periculoſiſſimis mor- "
bis adjumenti afferre poſſe ingenuè profi- "
teor. At qui extractos, aquasq; verè de- "
ſtillatas, non in æneis vaſis alembicatas, "
(ut vocant) ſal etiam herbarum atque "
fructuum exterminanda è Medicina pu- "
tant: eos corporibus humanis, & uni- "
verſæ Medicinæ malè conſulere, & ni- "
mis in veram chymiam ingratos eſſe de- "
ploro. "

Chymicorum autem (addit) ineptias & "
impoſturas deteſtor, eas ut hoc loco neq; "
referendas, vel refutandas omnes puto, ita "
verè affirmo, me (tantum virium reſidere "
in cinere, de quo ſalia conficiuntur, ut in "
graviſſimis etiam morbis, naturæ plus au- "
xilii tribuerint, quàm alia præſtantiſſima "
medicamenta afferre potuerint) magno- "
pere ſæpe admiratum. "

Illud ergo dicere ſuper magnam ſalium efficaciam inſtitueramus, ea præſertim de cauſa, ut oſtenderemus non incaſſum illos à nobis in remediorum noſtrorum, præſertim purgativorum, ſerie multiplici, adhiberi: cum ſallū beneficio, iſtorum

judicet eſſe præſentiſſimum: (cujus tamen rationibus nos infra ſatisfaciemus, quando ſermonem de remediis metallicis inſtituemus) Fernelius, inquam, non modò fatetur Mercurium, qui tamen in ſua mera cruditate magnum eſt purgativum, per calcinationem vel incinerationem, nihil de ſua virtute purgativa imminuere: quinetiam eandem multò magis augeri, atq; intendi aſſeverat. Ex hac quippe aſſertione ſeptimum opuſculi ſui caput, quod iiſdem penè verbis concludi, exorditur, prout conſtat ex ſequentibus: Hydrargyro
„ tantam vim purgandi ineſſe diximus, ut ne
„ uſtione quidem depereat, ſed in cinere
„ ſuperſit, multò etiam quàm antè vehe-
„ mentior. Siquidem uſtione conſumpta,
„ exhauſtaq; hydrargyri ſubſtantia, in qua
„ vis refrigerandi inſidebat, etſi natura ejus
„ temperies diſſoluta eſt: manet tamen in
„ cinere, quæ à forma naſcitur, vis purgatrix,
„ multò quam ante efficacior.

Verùm quoniam hoc in loco Fernelius unius tantum metallici videtur meminiſſe: alterius cujuſdam celebrati inter dogmaticos Medici, Cratonis videlicet, authoritatem, ſigmatis inſtar, adjiciemus, qui de virtute eximia ſalium ex omnibus rebus vegetabilib. eductorum non ſecus,

*Cratonis.*

ac

ac de illorum oleis & extractionibus, in præfatione operum Fallopii hunc in modum loquitur. Sal ex herbis atq; aliis vegetabilibus confectum, ſicut & olea extracta, plurimùm in periculoſiſſimis morbis adjumenti afferre poſſe ingenuè profiteor. At qui extractos, aquasq; verè deſtillatas, non in æneis vaſis alembicatas, (ut vocant) ſal etiam herbarum atque fructuum exterminanda è Medicina putant: eos corporibus humanis, & univerſæ Medicinæ malè conſulere, & nimis in veram chymiam ingratos eſſe deploro.

Chymicorum autem (addit) ineptias & impoſturas deteſtor, eas ut hoc loco neq; referendas, vel refutandas omnes puto, ita verè affirmo, me (tantum virium reſidere in cinere, de quo ſalia conficiuntur, ut in graviſſimis etiam morbis, naturæ plus auxilii tribuerint, quàm alia præſtantiſſima medicamenta afferre potuerint) magnopere ſæpe admiratum.

Illud ergo dicere ſuper magnam ſalium efficaciam inſtitueramus, ea præſertim de cauſa, ut oſtenderemus non incaſſum illos à nobis in remediorum noſtrorum, præſertim purgativorum, ſerie multiplici, adhiberi: cum ſalſū beneficio, illo-

rum

judicet eſſe præſentiſſimum: (cujus tamen rationibus nos infra ſatisfaciemus, quando ſermonem de remediis metallicis inſtituemus) Fernelius, inquam, non modò fatetur Mercurium, qui tamen in ſua mera cruditate magnum eſt purgativum, per calcinationem vel incinerationem, nihil de ſua virtute purgativa imminuere: quinetiam eandem multò magis augeri, atq; intendi aſſeverat. Ex hac quippe aſſertione ſeptimum opuſculi ſui caput, quod iiſdem penè verbis concludi, exorditur, prout conſtat ex ſequentibus: Hydrargyro
„ tantam vim purgandi ineſſe diximus, ut ne
„ uſtione quidem depereat, ſed in cinere
„ ſuperſit, multò etiam quàm antè vehe-
„ mentior. Siquidem uſtione conſumpta,
„ exhauſtaq; hydrargyri ſubſtantia, in qua
„ vis refrigerandi inſidebat, etſi natura ejus
„ temperies diſſoluta eſt: manet tamen in
„ cinere, quæ à forma naſcitur, vis purgatrix,
„ multò quam ante efficacior.

Verùm quoniam hoc in loco Fernelius unius tantum metallici videtur meminiſſe: alterius cujuſdam celebrati inter dogmaticos Medici, Cratonis videlicet, authoritatem, ſigmatis inſtar, adjiciemus, qui de virtute eximia ſalium ex omnibus rebus vegetabilib. eductorum non ſecus, *Cratonis.*

ac

ac de illorum oleis & extractionibus, in præfatione operum Fallopii hunc in modum loquitur. Sal ex herbis atq; aliis ve- „ getabilibus confectum, ſicut & olea ex- „ tracta, plurimùm in periculoſiſſimis mor- „ bis adjumenti afferre poſſe ingenuè profi- „ teor. At qui extractos, aquasq; verè de- „ ſtillatas, non in æneis vaſis alembicatas, „ (ut vocant) ſal etiam herbarum atque „ fructuum exterminanda è Medicina pu- „ tant: eos corporibus humanis, & uni- „ verſæ Medicinæ malè conſulere, & ni- „ mis in veram chymiam ingratos eſſe de- „ ploro. „

Chymicorum autem (addit) ineptias & „ impoſturas deteſtor, eas ut hoc loco neq; „ referendas, vel refutandas omnes puto, ita „ verè affirmo, me (tantum virium reſidere „ in cinere, de quo ſalia conficiuntur, ut in „ graviſſimis etiam morbis, naturæ plus au- „ xilii tribuerint, quàm alia præſtantiſſima „ medicamenta afferre potuerint) magno- „ pere ſæpe admiratum. „

Illud ergo dicere ſuper magnam ſalium efficaciam inſtitueramus, ea præſertim de cauſa, ut oſtenderemus non incaſſum illos à nobis in remediorum noſtrorum, præſertim purgativorum, ſerie multiplici, adhiberi: cum ſalſū beneficio, illorum

judicet eſſe præſentiſſimum: (cujus tamen rationibus nos infra ſatisfaciemus, quando ſermonem de remediis metallicis inſtituemus) Fernelius, inquam, non modò fatetur Mercurium, qui tamen in ſua mera cruditate magnum eſt purgativum, per calcinationem vel incinerationem, nihil de ſua virtute purgativa imminuere: quinetiam eandem multò magis augeri, atq; intendi aſſeverat. Ex hac quippe aſſertione ſeptimum opuſculi ſui caput, quod iiſdem penè verbis concludi, exorditur, prout conſtat ex ſequentibus: Hydrargyro
„ tantam vim purgandi ineſſe diximus, ut ne
„ uſtione quidem depereat, ſed in cinere
„ ſuperſit, multò etiam quàm antè vehe-
„ mentior. Siquidem uſtione conſumpta,
„ exhauſtaq; hydrargyri ſubſtantia, in qua
„ vis refrigerandi inſidebat, etſi natura ejus
„ temperies diſſoluta eſt: manet tamen in
„ cinere, quæ à forma naſcitur, vis purgatrix,
„ multò quam ante efficacior.

Verùm quoniam hoc in loco Fernelius unius tantum metallici videtur meminiſſe: alterius cujuſdam celebrati inter dogmaticos Medici, Cratonis videlicet, authoritatem, ſigmatis inſtar, adjiciemus, qui de virtute eximia ſalium ex omnibus rebus vegetabilib. eductorum non ſecus,

*Cratonis.*

ac

ac de illorum oleis & extractjonibus, in præfatione operum Fallopii hunc in modum loquitur. Sal ex herbis atq; aliis vegetabilibus confectum, ſicut & olea extracta, plurimùm in periculoſiſſimis morbis adjumenti afferre poſſe ingenuè profiteor. At qui extractos, aquasq; verè deſtillatas, non in æneis vaſis alembicatas, (ut vocant) ſal etiam herbarum atque fructuum exterminanda è Medicina putant: eos corporibus humanis, & univerſæ Medicinæ malè conſulere, & nimis in veram chymiam ingratos eſſe deploro.

Chymicorum autem (addit) ineptias & impoſturas deteſtor, eas ut hoc loco neq; referendas, vel refutandas omnes puto, ita verè affirmo, me (tantum virium reſidere in cinere, de quo ſalia conficiuntur, ut in graviſſimis etiam morbis, naturæ plus auxilii tribuerint, quàm alia præſtantiſſima medicamenta afferre potuerint) magnopere ſæpe admiratum.

Illud ergo dicere ſuper magnam ſalium efficaciam inſtitueramus, ea præſertim de cauſa, ut oſtenderemus non incaſſum illos à nobis in remediorum noſtrorum, præſertim purgativorum, ſerie multiplici, adhiberi: cum ſalſū beneficio, illorum

rum virtus mirum in modum accreſcat & intendatur.

*Quanta ſit prædictorũ ſalium in purgando virtus, experientia comprobatur.*

Quod ſi à verbis ad res ipſas progredi lubeat, cuidam infuſioni ſenæ, rhabarbari, & aliorum purgantium, pro doſi ſi ℈ j. vel ʒ ß. ſalis tartari lucidi, & bene præparati adjiciatur: prædictam infuſionem videbis, non modò iſtius ſalis adjectione acquirere colorem ſanguine rubicundiorem, verùm etiam majorem multò vim purgatricem: ita ʒ ij. ſenæ plus operabuntur, quàm ℥ ß. in infuſione vulgari, ſine iſtius ſalis adjectione exhibita. Ac ne quid ſupra fidem dictum exiſtimetur: experientia meis confeſtim aſſertionibus ſuffragabitur.

Plus etiam aliquid dicam, nec tamen ὑπερβολικῶς, quod miraculi ſpeciem præ ſe ferre videbitur. In ſalibus nimirum, ne dum imaginationetenus, ſed re ipſa, formas & figuras rerum includi: ſicut abundè ſatis viri ſpectatiſſimi fideq; digniſſimi, qui nunc etiam in vivis degunt, teſtari poſſunt, in hac præſertim quæ jam à me proponetur hiſtoria.

*Hiſtoria notanda qua formæ rerum in cine-*

Vir honeſtiſſimus D. de Luynes, Formentieres Dominus, qui inter primos Parlamenti Pariſienſis Conſiliarios non ultimum locum occupaverat: dum apud

me

me diverſaretur atq; maneret, die quadam inſtituit remedium aliquod contra calculum, quo graviter laborabat, præparare. Hujus ergò rei gratia, ſub finem Autumni, non paucas è terra urticas integras radicitus evulſit, ex evulſis lixivium cum aqua calida, vulgari modo, compoſuit, compoſitumq; philtrando atq; tranſcolando purificavit, ut ex illis tandem ſalem, ſecundum artis præcepta, ſuamq; pariter intentionem, educeret accommodatum. *ribus & ſalibus reſidere manifeſtantur.*

Ac verò cum in vaſculo quodam terreo prædictum lixivium tota nocte, ſuper feneſtram, ut frigeſieret, expoſuiſſet, quò die ſubſequente illius exhalationem ad ſalem extrahendum moliretur: caſu quodam contigit hac ipſa nocte aërem adeò infrigidatum fuiſſe, ut totum lixivium gelu nimio concretum fuerit. Cum igitur ſummo mane vas illud è feneſtra amoverevellet, præter ſuam vidit opinionem, aquam lixivii congelatam, ſubindeq; mille urticarum figuras in illa, cum radicibus, foliis, & truncis, adeò perfectè deſcriptas & adumbratas: ut qui melius illas ad unguem expreſſiſſet figuraſſetq;, vix pictor ullus reperiretur. Ea res hominem licet peritiſsimum, ita ſua novitate in admira-

tionem

tionem impulit, ut præ gaudio ad me conſeſtim accederet, exclamaretq́; , ut ad viſionem mirabundus feſtinarem; accurri, lixivium congelatum animadverti, & particulis quibuſdam glaciei hujuſmodi abſciſſis, ad viros nominis auctoritate, doctrinaq; conſpicuos acceſſi, qui rem parùm antea experimento comprobatam mecum ſimul admirando dictitabant, illic veras contineri urticas, nec fieri poſſe ut expreſſiùs á quoquam figurarentur.

*Magnum Mundi ſpeculum Auctor Gallicis verſibus expreſſit.*

Magnum meum tunc temporis mundi ſpeculum concinnabam, unde factum eſt, ut nonnullis verſibus Gallicis in ſecundo libro enarratis, ubi de formis habetur tractatio, hoc tam novum & inauditum â me deſcriberetur miraculum: prout ibidem curioſus lector perſpiciet.

Sed è diverticulis iſtis ad propoſitum nobis iter redeamus, cæterorumq́; remediorum, ad peſtis præſervationem uſurpandorum, formulas ob oculos ſubjiciamus.

Extractio dicta, *Cardiacum majus contra peſtem.*

Pro Magnatibus.

℞. *Raſuræ ligni Aloes, & ligni rhodii, an.* ℥ j.

Rad. *Angelicæ*

*Scorzoneræ*

Zedo-

*Zedoariæ, an.* ℥ iij.
*Dictamni*
*Been*
*Doronici, an* m. j.
Sem. *Ocymi*
*Cardui benedicti*
*Citrii & corticis ejuſdem, an.* ʒ x.
*Aliptæ moſchatæ,* ʒ ij.
*Caryophyllorum,* ʒ vj.
*Cinnamomi optimi* ℥ j.
*Croci,* ʒ ij. ß.
*Roſarum rubear.* p. iij.

Omnia conquaſſentur, & inſuper adjiciantur.

*Succi limonum,* ℔ j. ß.
*Aquarum ſcordii*
*Meliſſæ*
*& flor. Roſmarini, an.* ℔ j.

*Extractionis Cardiaci majoris conficiendæ ratio.*

Vel quantum ad irrorandam materiam ſufficiat, id eſt, ut aquæ ad tranſverſum duorum vel trium digitorum ſupernatent: deinde vas bene occluſum in balneo calido Mariæ, per quatuor aut quinque dies reponatur. Quo peracto, omnia ſedulò exprimantur ſub preſſuris, & hæc prima expreſſio ſeparatim reſervetur, & ſuper feces materiamq; reliquam liquores prædicti rurſus fundantur, ut omnia, modo quo ſupra in balneo digerantur: & iterum

iterum fiat expreſſio, ut ſic integra virtus ſubſtantifica prædictarum materierum & ſimplicium eliciatur.

Ubi verò ſemel hæ duæ expreſſiones, prima & ſecunda, in unum commixtæ, & in vas vitreum oblongum debitæque quantitatis injectæ fuerint: de novo digerantur, & craſſa eorum ſubſtantia, quæ in fundo reſidebit, eò uſq; ſeparetur, donec omnis materia perfectè ſecundum artem ſit purificata: & ea prorſus, quam in noſtræ Pharmacopœæ capite de ſyrupis docuimus ratione.

Hæc porrò materia ſic exactè purificata, in patina argentea, vel vaſe vitreo, ad lentum ignem apponi debet, ut exinde ſic omnis humiditas ſecernatur, quò reſiduum in conſiſtentiam mellis reducatur ſpiſſioris, in quo tota extracti tui prædicti ratio & eſſentia verſabitur.

*Duplex extractionis ſupradictæ deſcriptio.*

Notandum autem obiter occurrit: quod pro gregariis prima & ſecunda extractio ſufficiet, ita ut ab illa aquæ per lentum cinerum ignem, ad mellaginem ſeparentur. Qui ſanè modus, ut admodum erit compendioſus, & brevi tempore perficietur: ſic anteriori, qui principibus ſolis atq; proceribus aſſervatur, plurimùm cedet, ſeq; utilitate inferiorem longe agnoſcet.

Si de-

Si demum omnes, quæ ſuperſunt feces ad ignem reverberii in cineres redigantur, ſalemq; ex cineribus cum propriis exactionibus addideris: remedium multò præſtantius evadet. Eo quod de omnibus, ſimplicium ſupra dictorum, & ingredientium, virtualibus ſubſtantiis, atq; proprietatibus participabit.

*Qua ratione hoc extractum vires majores nanciſcetur.*

Quin imò hoc in loco præterea juverit obſervare, quod omnes quæ ex præfatis extractionibus aquæ educuntur, & ſeparatim ſegregantur: jam re ipſa ſint bezoardicæ, & contra omnes morbos peſtilentiales præſentiſſimæ.

Ex eodem porrò extracto ſcrupulum ad libitum poteris exhibere, vel ſeorſim, vel cum ſua propria aqua, aut alia quavis cordiali permixtum: illudq; præſtantiſſimum eſt, tum ad præſervationem, tum ad curationem peſtilentiarum remedium.

Quod ſi ex eodem iterum arcanum longe ſaluberrimum confectum iri cupis: eo, qui ſequitur modo procedatur.

*Antidotus excellentiſſima contra peſtem in modum Arcani deſcripta.*

℞. *Extracti cordialis, ut ſupra præparati,* ℥ iij.
*Magiſterii perlarum*
*Magiſterii corallorum, an.* ʒ ij.
*Eſſentiæ fructuum Anacard.* ℥ ß.

*Eſſentiæ croci*, ʒ j.
*Bezoard. vulgaris*
*Unicornu, an.* ℈ j.
*Ambræ*, ℈ ß.

Oleorum: *Corticis citri & cinnamomi arte chymica extractor. an. gutt. xxij. Aquæ Theriacalis cordialis, aut Elixirii vitæ quantum ſufficit, ut omnia reducantur in formam Antidoti vel Electuarii mollis.*

*Doſis ſit ad* ℈ ß.

Hæc Antidotus miram habet vim & efficaciam contra omnia cordis ſymptomata, ſyncopes, lypothymias, & cardialgias: Cor ab omni veneno præſervat, & excellentiſſimum eſt, tam ad peſtem præcavendam, quam ſævientem remedium. Sive illud intrinſecus ore aſſumatur, ſive extrinſecus ſupra cor, in formam Epithematis applicetur: modo ad uſum ℈ j. hujus Antidoti, in alia theriacali aut cordiali aqua, vel in vino diſſolvatur.

*Præſtantiſſima Antidotus Procerum.*

Alia Antidotus major contra peſtem, pro Magnatibus, quæ ad præſervationem & curationem illius ſimul inſervit.

℞ Rad. *Angelicæ*
*Zedoariæ*
*Scorzoneræ*

*Tormen-*

*Tormentillæ*
*Petaſit.*
*Santali rubri*
*Ligni Aloës. an.* ℥ iij. vel ℥ iiij.

Omnia leviter in mortario contundantur, ut inde fiat extractum cum ſucco limonum juxta præſcriptum artis, & ut nos ſupra docuimus.

Item ℞. *Corticis citri*
*Semin. cardui benedicti*
*Rutæ*
*Baccarum Juniperi, an.* ℥ j ß.
Fol. *Dictamni*, m. j.
*Cinnamomi*
*Macis, an.* ℥ j.
Flor. *Roſmarini*
*Bugloſſi*
*Hyperici an.* p. ij.
Species. *De gemmis*
*Diambræ*
*Diamoſchi*
*Dianthos, an.* ʒ ij.

Omnia contundantur, & in aliquo vaſe accommodato permiſceantur: ut ex illis demum extractum cum aqua vitæ Juniperi, vel alia communi, conficiatur.

Hæc ambo extracta accuratè ſub prælo exprimi debent, ex illis namque propter diſſolventia, quæ illis continentur,

plurimus liquor elicietur. Ubi verò ſemel elicita fuerint, ambo ſimul permiſcebuntur, & ex illis liquor vel aqua per Alembicum ad ignem Baln. vaporoſum eo uſq; extrahetur: donec materia, quæ in fundo reſidebit, conſiſtentiam quandam mediocrem, & mediam inter durum & molle, adipiſcatur. Deinde aquam quæ exinde deſtillabit, ſeparatim conſervandam curabis: qua demum in compoſitione aliorum extractorum uteris, cum tunc etiam non parum virtutis atq; momenti, ad cor ipſum roborandum obtineat.

Super quatuor præfati extracti uncias adjicientur.

*Magiſterii hyacinthorum & Smaragdorum, an.* ℥ iij.
*Eſſentiæ Camphoræ,* ℥ ß.
*Sulphuris deaurati diaphoretici*
*Bezoardi metallici*
*Balſami è lacte ſulphuris*
*Salis prunellæ, an.* ℥ ß.
Pul. *Unicorn.*
*Bezoar. communis, an.* ℈ ij.
Spec. *Diambræ* ℈ j.

*Modus Antidoto præfato utendi.*

Ex his omnibus mirifica, & ineffabilis efficaciæ fiet, ad præſervationem peſtis Antidotus. Doſis erit ſingulis horis matutinis, ad aciem cultelli, ſive ad piſi magnitu-

gnitudinem, pro præſervatione. Ut illis veró conſulatur quos jam peſtis invaſit: Doſis erit ad ʒ ß. vel ad ſummum ad ʒ j. quæ diſſolvetur in ℥ ij. aquæ propriæ deſtillatæ, ſeparatim, ut antea monuimus, conſervatæ; vel in alia quadam aqua cardui benedicti & ulmariæ, theriacali. Antidotus iſta ſudores mirificè provocat, cor reficit, & contra omnes venenorum ſpecies corroborat: quæ à centro ad circumferentiam revocando abigit, & primam inter antidotos ſedem ſibi vendicat. *Illius effectus memorantur.*

Verùm enimverò, quoniam tenues, & inferioris conditionis homines, tot impenſas, quot in hac antidoto requiruntur, ſuſtinere non poſſunt: ut etiam hac in parte illorum ſatisfiat deſiderio, atq; incolumitati conſulatur, aliud minus tam pretio, quàm efficacia præparabitur Antidotum, quod in ſuo tamen genere, tum ad peſtis præſervationem, tum ad ejuſdem curationem erit præſtantiſſimum.

Extractum dictum *Cardiacum minus.*

*Deſcriptio cardiaci minoris.*

℞. Herbar. *Scordii*
*Tormentillæ*
*Meliſſæ*
*Scorzoneræ recenter ſelectarū,*
*an.* m. iiij.

*Citrorum minuatim unà cum corticibus inciſorum, numero vj.*

Omnia in mortario marmoreo apprimè conterantur & exprimantur: cui expreſſioni ſuperaddatur.

*Cinnamomi*, ℥j.
*Croci* ℥ß.
Elect. *de Gemmis*, ʒij.
*Camphoræ*, ʒj.

Ex hiſce omnibus liquor, ad ſiccitatem beneficio Balnei vaporoſi eliciatur, qui liquor poſtea fecibus reſiduis ſuperaffundatur, ut tinctura inde eliciatur, ſicq; demum ut antea procedatur. Eo certè modo Cardiacum minus comparabis, quod adverſus cardialgias, & peſtilentes affectus, plurimum juvabit atq; conferet. Quod ſi hujus extracti vires augere cupias, ex eoq; Antidotum conficere: eo quo ſequitur modo procedendum eſt.

Antidotus, *Cardiacum minus* appellata pro gregariis.

*Alia id genus Cardiaci deſcriptio.* ℞. *Extracti Cardiaci minoris ſupra deſcripti*, ℥iij.
Confect. *de Hyacintho & Alkermes*, *an.* ʒiij.
Electuarii *de Gemmis & Dianthos*, *an.* ʒij.
*Diambra*

*Diamoſchi dulcis, an.* ʒ j.
*Perlarum præparat.*
*Oßis cordis cervini, an.* ℈ j ß.
*Trochiſtorum diarrhodon &*
*Camphora, an.* ʒ ß.
*Syr. conſervationis citri : quantum ad prædictam Antidotum conficiendam ſufficiet.*

Doſis erit ad ʒ ß. vel ad ſummum ad ʒ j.

Hæc autem Antidotus ad morbos ſupra relatos profligandos plurimum valet. Tantæ nihilominus, ac prior, non eſt efficaciæ & virtutis.

Alia Antidotus *Cardiaca minor* contra peſtem, eaq; in gratiam plebis deſcripta.

*Antidotus minoris impenſæ pro pauperibus.*

℞. Succ. *Scordii*
*Rutæ caprariæ*
*Cardui benedicti*
*Ulmariæ, an. circiter* ℥ iiij.

Omnes iſti ſucci indantur in Alembico, vel matracio vitreo capaci, digerantur in balneo Mariæ, & poſtea materiam eorum craſſam & terreſtrem, ſive feces in fundo reſidentes, à tenuiori & puriori ſubſtantia ſeparando, depurentur, juxta artis præſcriptiones à nobis ſupra conſtitutas.

Super ℥ x. prædictorum ſuccorum bene depuratorum adjiciantur.

Radic. *Angelicæ*
*Zedoariæ*
*Dictamni*
*Cortic. citri*
Semin. *Cardui benedicti*
*Acetoſæ, an.* ℥ j ß.
*Cinnamomi*
*Myrrhæ, an.* ʒ vj.
*Croci*, ʒ ij.
*Camphoræ*, ʒ j.

Omnia minutim contundantur, & cum dictis ſuccis permiſceantur, deindeq; in balneo Mariæ, per duos vel tres dies digerantur, digeſta poſtea ſub prælo fortiter calidè exprimantur, & expreſſioni iterum adjiciantur.

*Theriacæ optimæ*, ℥ j.
*Confect. de hyacintho & Alkermes, an.* ℥ ß.
*Perlarum præparat.*
*Cornu cervi præpar.*
*Spec. diambræ & de gemmis, an.* ʒ j ß.

Omnia iterum per duos aut tres dies in balneo Mariæ digerantur; dein liquor omnis per alembicum, ad ignem balnei vaporoſi eo uſq; deſtilletur, donec materia in fundo remaneat, atq; ſubſideat, in formam mollis opiatæ. Sic enim Antidotum

tum admodum excellens præparabis, Doſis ſcrupulus unus ad peſtis præſervationem. Pro curatione vero ad pondus ʒ ß. vel ʒ j. quod in aquæ ſuæ propriæ ℥ ij. diſſolvetur: aquæ, inquam, quæ jam per ſe remedium erit adverſus peſtem non contemnendum, quodq; præterea omnia putrefactionum & venenorum genera à corporibus procul expellit & averruncat. Hæc autem Antidotus, licet tot impenſis, quot aliæ præcedentes, non indigeat; vulgo tamen non parum inſerviet. *Uſus prædictæ Antidoti.*

*Alia Antidotus pro pauperibus, cum granis maturis Juniperi confecta, quæ Theriaca Germaniæ appellatur.*

℞. Magnam quantitatem granorum Juniperi, perfectam maturitatem conſecutorum: ſex nimirum, ſeptem, aut octo, aut decem libras. Illa autem in vino albo generoſo, vel hydromelite vinoſo infundantur, & ad bulliendum ſuper ignem apponantur: deinde conquaſſentur, & per ſetaceum trajiciantur, ſicut in Gallia extrahenda contingit, & ex illis demum extractum conficiatur. Vel ſi malueris, alio modo id extractum præparabitur, eo ſcilicet, quem nos in ultimo PharmacopϾ noſtræ capite ſigillatim deſcribimus. *Antidotus contra peſtẽ è granis Juniperi compoſita.*

Super libram unam hujus extracti Juniperici, adjiciantur.

*Pulveris radicis Angelicæ*
*Dictamni, an.* ℥ ß.
*Cinnamomi*
*Terræ ſigillatæ*
*Ambræ, ſive ſuccini flavi*
*Corallorum præparat.*
*Corn: cervi præpar. an.* ʒ ij.
Spec. *Diamarg. frigid.*
*Diatriaſantali, an.* ʒ j ß.
*Croci,* ʒ ß.
*Camphoræ,* ℈ j.

Omnia demum cum aqua quadam theriacali in formam Electuarii mollis aut Antidoti reducantur. : quod præſentiſſimum tam ad præſervationem, quàm curationem peſtis erit remedium. Doſis erit ad ʒ j. vel ultrà.

Solum Juniperi Extractum ſine alia additione iiſdem intentionibus erit valde accommodatum. Quidam iſti Antidoto, Theriacæ, vel Mithridatii, quantum lubet adjiciunt.

*Virtus Extracti Juniperi quanta.* Quoniam verô jam de Germanorum Theriaca, quæ cum granis Juniperi præparatur, ſermonem habuimus: magnam mihimet ipſi, qui è Vaſconia ſum oriundus, viderer inferre injuriam, ſi Theriacæ

Vaſconi-

Vaſconibus familiaris, alliorum videlicet, deſcriptionem prætermitterem. Allia quippe tantoperè hac in regione adamantur: ut vulgus nullum magis aſſiduum & quotidianum cibum agnoſcat, iiſdem in omnibus penè utatur condimentis & obſoniis, atq; demum non ſolùm appetitum dejectum inſtauret, ſed etiam vires, illorum uſu frequentiore, conciliet.

*De alliis ſive de Theriaca Vaſconiæ, qua vulgus paſſim utitur.*

Nec id ſanè mirum videri debet, cùm Allia ipſi etiam Medicinæ plurimùm inſerviant, ea potiſſimum de cauſa, quod omnis ſint corruptionis & infectionis inimica, antidotos præſtent, contra venena quælibet, ſingulares, & plurimis iterum proprietatibus, eximia quadam naturæ benignitate, prout jam jam dicturi ſumus, prædita ſint & glorientur.

*Alliorum proprietates quantæ, ex authoritate*

Dioſcoridem, ſi placet, Alliorum præconem & encomiaſten audiamus: Allium, inquit, commeſtum vermiculos ventriculi expellit, urinas ciet, contra morſus viperarum, & inprimis ſerpentis hæmorrhoidis, ſi quicquam aliud, prævalet. Si cum vino ſæpe contritum & maceratum hauriatur vel comedatur, aut ſaltem applicetur: præſens atq; obvium contra morſum canis rabidi eſt remedium.

*Dioſcoridis.*

Aëtius Dioſcoridi, eo præſertim nomine

*Aëtii.*

mine ſuffragatur: quod latos ventriculi vermiculos abigat, quod ſanguiſugis, quas forſan inſcii & incauti cum aqua mixtos abſorbuimus, quæq; mille noxiis corpus humanum afficiunt nocumentis, adverſetur, eaſdemq; curet exterminandas.

*Celſi.* Celſus in ſuo de re Med. libro, cap. 12. Allia ante moleſtos febrium intermittentium, imò quartanarum paroxyſmos, ad illarum rigorem, & malignitatem edomandam, præſcribit.

*Aginetæ.* Allia obſtructiones aperiunt, & flatus omnes diſcutiunt, juxta Æginetæ, lib. 1. de re Medica cap. 76. ſententiam atq; decretum.

*Mira conglutinandi virtute pollent allia.* Experientiâ ipſa docente, non ſemel comperimus allia tanta virtute diſſolvendi atq; diſcutiendi pollere: ut fragmentum vaſis figulini, modo reliquis ejuſdem partibus aptè leviterq; adjungi poſſit, ipſimet vaſi tam firmiter, ſi alii ſucco confricetur, adhæreat: ut continendis etiam ipſis, qui deſtillantur, ſpiritibus inſervire poſſit. Uſq; adeò partes confractas invicem allium conſolidat, atq; compingit. Quo certè experimento ſatis apertè colligitur, idipſum ad reſolvendum, comminuendum, atterendumq; calculum, non parum juvare.

Allia

Allia præterea mirum in modum vires collapſas reficiunt atque inſtaurant, prout ex eo conſtare poteſt: quod ruſtici qui terram multo cum ſudore ſubigunt, & ipſi triremium remiges, illis, nec aliquando ſponte, utantur: quando magnus aliquis labor eſt ſubeundus, & claſſis è magno quodam periculo remigando eripienda.

*Quibus populis uſus aliorum familiaris.*

Uſus verò Alliorum regionibus frigidis eſt magis familiaris, nec non accommodatus. Quocirca Galenus peritè memoriæ mandavit: Gallos, Thraces, & alias nationes, quæ ad Septentrionem vergunt, alliorum eſu, minimè eſſe privandas.

Græci antiquiores, ex alliis unà cum oliva nigra permixtis, obſonium quoddam parabant Myttoton nuncupatum: cujus non ſemel Hippocrates meminit, nec Dioſcorides lib. 2. cap. 146. oblivioni tradidit.

*Utrum Allia viſui officiant.*

Plinius verò qui ſalutares Allii proprietates deſcribendo, noxias pariter quaſdam affingit: inter alia recenſet, frequentem illorum commeſtionem oculis & viſioni officere. Hippocrates tamen, cujus authoritas Plinianæ opinioni multis momentis præponderat, aliud de Alliis ſentit, in fine ſectionis 5. lib. 2. Epidem. Ubi

Allia cum maza ad oculorum curationem edenda præbet.

*Odorem alliorum Leopardi & Pantheræ ferre non poſſunt.*

Sed ut magis ac magis Alliorum excellentiam in lucem proferamus: tanto ſolus illorum odor gaudet privilegio, ut feræ ſylveſtriores, quales ſunt, Pantheræ & Leopardi, cum ſuſtinere nequeant. Cùm igitur hæc planta hujuſmodi virtutem obtineat, ut omnibus adverſetur corruptionibus, atq; magnum ſuppeditet contra beſtias venenatas alexiterium: mirum certè videri non debet, ſi illam Vaſconiæ Theriacam vocitemus. Si enim Galenus ipſe, Allia ruſticorum Theriacam appellet, juxta id, quod à Poëtarum Latinorum principe refertur,

*Allia ſerpyllumq; herbas contundit olentes.*

quidni eadem quoque Vaſcorum Theriaca nominetur, qua illius provinciæ populares nuſquam non uti comperiuntur.

Quod ſi ad authorum profanorum numerum, pios ſimul & religioſos inſeramus: in medium, ſi libet, beatus procedat Ambroſius, qui hæc de Alliorum commendatione lib. 7. hexam. exaravit. Mirum eſt Allio delectari homines, quod fugit Leopardus, nam ſicuti litu parietes infeceris, exibit ſtatim, nec reſiſtet: cujus odora-

odoratum venenata fera non patitur, nos internis viſceribus infundimus. Sed doloribus, dicet aliquis, medetur: ſit ergo medicamentum, non cibus.

Brierinus, eidem cui B. Ambroſius ſubſcribit opinioni, in ſuo de re cibaria tractatu.

Quid plura: Allium non ſolùm pro medicamento olim ſupremo exhibebatur, ſed etiam pro vitando quovis infortunio. Singulis quippe matutinis illud antiqui ter deguſtabant, ut hujus libationis tricies repetitæ beneficio, ab omnibus periculis, licèt ſuperſtitione quadam inveterata, ejuſdem diei curriculo vindicarentur, ut hiſce verſibus Perſius meminit: *Allia olim pro vitando periculo commeſta.*

*Incuſſere Deos inſtantes pectora, ſi non*
*Prædictum ter mane caput guſtaveris alli.*

E propoſito longiùs in explicandis Alliorum virtutibus, hac præſertim de cauſa ſumus immorati, ut hanc è multorum cerebro opinionem diſturbaremus, qui errore quodam populari abducti, Allii uſum penitus noxium, & in omnibus arbitrantur, ſive illud alimenti vicem, ſive medicamenti retineat. Illud etiam eo conſilio præſtitimus, ut aliquis Theriacis meæ patriæ, honos & locus aſſignaretur,

retur, quibus vulgus ad præſervationem peſtis utitur: inter illas enim, Allium horis matutinis deguſtatum primas ſibi partes vendicat.

E noſtratibus verò quidam Allia in aqua, vel ſub cinerib. decocta comedunt, ſic enim plurimum nativæ amittunt acrimoniæ: quod & Hippocrates ipſe his verbis teſtatus eſt: *Allium coctum debilius eſt crudo.*

*Alia quædam Vaſconiæ ad peſtis præſervationem Theriaca.*

Alia præterea Vaſconibus communis eſt ad peſtis præſervationem Theriaca, quæ cum tribus ficubus maturioribus, quinque avellanis, duobus aut tribus ſcordii foliis, drachma ſeminis rutæ & cardui benedicti componitur, cui deinde tria aut quatuor ſalis grana ſuperadduntur, ut ſic totum probè cum aceto ſambucino vel alliato maceretur atq; permiſceatur. Doſis erit ſingulis matutinis ad pondus avellanæ: id quippe magnum eſt contra peſtem, facileq; præparatu, in uſum plebis præſervativum.

Ejus tamen virtus magis ac magis intendetur, ſi tantillum pulveris angelicæ, cornu cervini, veri boli atq; ſalis abſinthii adjiciatur.

Sed ad excellentes noſtras antidotos iterum, ſi placet, revertamur: ut nullarum

rum obliviſcamur, ſive magnæ, ſive parvæ ſint, ſive quæ facilè, vel non, ſive magnis impenſis præparentur: ſive quæ pauperibus adaptentur, aut divites reſpiciant, quæ à nobis exactè pro viribus non deſcribantur.

*Electuarium de ovo Imperatoris Maximiliani.*

℞. Ovum gallinæ recens, à quo albumen artificioſè per foramen in acumine factum extrahatur, croco Orientali quicquid in illo erit vacuum repleatur, foramen cum teſta ſedulò occludatur, ne quid inde tranſpiret atq; exhalet, & deinde ad ignem lentum decoquatur, vel furno, in vaſculo clauſum, poſtquam panes educti fuerint, eouſq; apponatur, donec ſuperficies nigredinem concipiat, ita tamen ut diligenter caveatur, ne crocus comburatur: materia poſtea ex ovi teſta detrahatur, detracta exſiccetur, ut exſiccata in mortario contundi poſſit, & in pulverem redigi tenuiſſimum, & demum quæ ſequuntur, adjiciantur. *Deſcriptio Electuar. de ovo Maximiliani.*

℞. pulveris radicum *Dictamni*
*Tormentillæ, an.* ʒ ij.
Pul. *Myrrhæ*
*Cornu cervi*
*Nucis vomicæ, an.* ʒ j.

Pul. Radic. *Angelicæ*
*Pimpinellæ*
Granorum *Juniperi*
*Zedoariæ*
*Camphoræ, an.* ℥ ß.

*Altera Electuarii de ovo deſcriptio.*

Omnia ſimul in mortario miſceantur, & Theriaca ad pondus omnium adjiciatur, deinde in mortario exactè terantur, & trium horarum ſpatio agitando fortiter admiſceantur, & in formam Electuarii juxta præſcriptum artis redigantur: quod ſummum erit contra peſtem remedium, & contra id genus alia venena peſtifera.

*Electuarium majus de ovo, pro Magnatibus, noſtræ deſcriptionis & è Pharmacopæa noſtra depromptum.*

℞. Ovum unum, vel plura recentia gallinarum, è quibus artificiosè, ut ſupra, albumen extraxeris, his denique adjiciantur.

*Butyri aut lactis ſulphuris,* ʒ j.
*Sulphuris aurati Diaphoretici*
*Eſſentiæ croci, an.* ʒ ß.
*Pulveris anodyni mineralis, id eſt, ſalis prunellæ*
*Diambræ, an.* ℈ j.
*Bezoardi communis,* ℈ ß.

Ex hac compoſitione quantum fieri poterit,

poterit, plura ova adimplere poteris, & cum vitellis miſcere, ut optimè incorporentur, deinde opercula putaminum, per quàm aptiſſimè ſuo reponantur loco, cum tenuiſſimo ligamine lineo ſuperpoſito, vel glutine ex ovi albumine, & polline facto ſuperinducto, adeò ut ex ovis exquiſitiſſimè clauſis, nihil tranſpirare poſſit.

Hæc ova ita præparata aptè ſimul imponantur vaſi terreo capaci, quod operculo clauſum in furnum mittatur, in quo paniſicia, modò cocta, & ex eodem recens educta fuerint: & ſecunda & tertia vice reponantur, donec omnia in unam maſſam, quæ in tenuem pulverem converti poſſit, redacta fuerint.

Accipiatur unum ovum juxta primam methodum præparatum: & unum juxta alteram. Vel duo ova aut tria utriuſq; præparationis, prout animus eſt majorem vel minorem Electuarii quantitatem ſimul conficere. Omnia quæ in dictis ovis continentur, terantur, & optimè invicem miſceantur in mortario marmoreo, eadem paulò poſt humectando pauca aqua Theriacali contra peſtem, aut elixire quodam vitæ, cujus plures deſcriptionum formulas in noſtra Pharmacopœa dedimus, ita ut omnia reducantur in mo-

dum Electuarii, quod multis temporum curriculis conſervabitur. Doſis erit ad ℈ j. tum ad præſervationem, tum ad curationem peſtis.

*Electuarii alterius de ovo minoris deſcriptio, noſtro Marte, pro vulgaribus conflata.*

*Tertia Electuarii de ovo deſcriptio authoris.*

℞. Rad. *Angelicæ*
*Zedoariæ*
*Cinnamomi, an.* ℥ j ß.
*Caryophyllor,*
*Macis, an.* ℥ ß.
*Myrrhæ*
*Nucis vomicæ*
*Carlinæ, an.* ʒ iij.
Granorum *Juniperi,* ℥ j.
*Croci*
*Camphoræ.*
Specierum *Diambræ*
*de Gemmis, an.* ʒ iij.
*Theriacæ Alexandr.* ℥ iij.

Contundenda contundantur, & omnia ſimul mixta indantur in matracium vitreum, ſuperaffundendo fortiſſimum ſpiritum vini, vaſe clauſo, ne quidpiam poſſit evaporare: digerantur in B. Mariæ per quatuor aut quinque dies, dein omnia adhuc calentia fortiter exprimantur. Hæc expreſſio denuo indatur in alembicum, cum

cum ſuo capitello & recipiente, & inde ad ignem Bal. Mar. deſtilletur liquor, qui ſeorſim ſervetur: & cum extracto, quod in fundo remanet in mellis conſiſtentia, impleatur ovum unum vel plura, ſi velis, & optimè cum vitello ovi miſceantur, deinde occludantur ſingula ova cum ſuo proprio putamine, ut ſupra diximus. Poſtea, demptis prius panificiis, in furno indantur, idq; continuando, & repetendo, ſine calore intenſo, donec materia ita exſiccata fuerit, ut ferè pulveriſari poſſit: quæ demum irroranda eſt ſua propria aqua, ut ſupra, reſervata. Et ſic perficiatur Electuarium molle, ſive antidotum pretioſum, ad præſervationem & curationem peſtilentiæ in primis requiſitum. Si aliquis peſte corripiatur, illi de eo uſq; ad ſcrupulos duos, vel drachmam unam exhibeatur, diſſolvendo cum unciis duabus vel tribus aquæ Theriacalis, Cardui benedicti, vel Ulmariæ.

*Electuarii prædicti virtus.*

Præſtantiſſimum illud eſt ſudativum, quod omne venenum ab internis & profundis partibus, in exteriorem corporis ſuperficiem propellit, cor corroborat, ipſumq; ab omni veneno ſartum tectum præſervat.

Verùm pro majoribus ac præſtantioribus

*Quænam ſint præſtantiora, authoris judicio contra peſtem alexiteria.* ribus alexiteriis, quæq; pluris à me præ cæteris æſtimantur, tam ad peſtilentiæ, quàm ad aliorum venenorum præſervationem, utendum eſt potiſſimum. Theriaca noſtra benedicta, cœleſti vel regali, quæ in Pharmacopœa noſtra reſtituta, capite de Theriacis deſcribuntur: quaſque idcirco in patriæ noſtræ ſalutem & emolumentum, in Gallicum ſermonem tranſtulimus. Quocirca ſupervacaneum prorſus & inutile videretur, eas iterum hoc loco ſcriptis commendatas proponere.

*Præcipua Theriacarũ mearum ingredientia.* Præcipua harum mearum trium prædictarum Theriacarum ingredientia, ſunt eſſentiæ opii, croci, myrrhæ, atq; mumiæ: eſſentiæ præcipuorum aromatum, tincturæ, magiſteria vel eſſentiæ viperarum, magiſteria coralliorum, perlarum, hyacinthorum, rubinorum, ſmaragdorum & ſimilium: quæ etiam in pluribus noſtris antidotis, ad præſervationem peſtis in hoc libro deſcriptis adjiciuntur. Quod ſi pauca quædam Bezoardica ſecundum artem adjiciuntur: alia utilia remedia poterimus componere, nec non meis Theriacis ſimilia, prout omnis Medicus facilè concipiet, qui in arte Spagyrica erit aliquantulum verſatus.

Omnia

Omnia hæc remedia longius temporis ſpatium certè poſtulant, impenſas graves, atq; laborioſam præ cæteris præparationem. Verùm pro ditioribus quoq; eadem reſervantur. Quod ſi res ità ſe habeat, ut probè illa diſpenſarentur, & juxta artis præſcripta præpararentur, oleum & opera, ut ajunt, nequaquam fruſtra impenderetur: Imò verò illud certo certiùs à me conſtanter aſſeretur, utilitatem inde maximam omnibus paſſim conſecuturam. Quid autem animo fingi, nedum re ipſa dari poteſt, in quo melius tempus atq; opera collocetur?

Ut autem hoc loco meus candor ingenuus omnibus magis ac magis innoteſcat: ad majorem tam pii propoſiti perfectionem atque efficaciam, non me pigebit, eos qui non ita probè in iis, ſicut multi alii periti ſunt, edocere, modò tam mirabilium arcanorum diſcendorum ſint ſtudioſi, ſeque illos dignos atque benevolos auditores profiteantur. Illis enim ingenuè detegam & explicabo ea, quæ alioquin verbis ſatis ambiguis, atque hyperbolicis, ſæpe in meis ſcriptis delineantur. Idque eo tantùm conſilio, ne margaritas, ut ajunt, porcis projicere, aut myſteriorum fidem, quæ ſilentium in- *Laudabile quoddam authoris propoſitum declaratur.*

*Myſteria ſuæ artis evulganda Medicinæ coryphæi vetant.*

primis poſtulant, videar violare. Hoc ipſum quippe ad exemplum omnium antiquorum, qui nominis celebritate commendati unquam fuerunt, à me uſurpatur, qui nuſquam non illos Diris devoverunt, qui myſtica ſuæ profeſſionis ſymbola propalaſſent. Ad id præterea, Hippocratis, maximi noſtri Dictatoris, me compellit authoritas, qui parvulum ſuum Legis tractatum, eo ſenſu (ſi Cornario interpreti credamus) terminat atq; concludit. „Cæterùm res ſacræ ſacris hominibus demon„ſtrantur, profanis id fas non eſt, priuſquam „ſcientiæ orgiis initientur.

Ut igitur omnibus omnia fieri poſſim, utq; captui quorumvis meipſum, prout in optatis habeo, aptare concedatur: antequam finem remediis meis alexiteriis imponam, duo eorundem genera, in formam opiati, & Tabellarum adjicere propono, quæ certè remedia, licet facillimæ & promptiſſimæ ſint præparationis: ingentem nihilominus in ſe utilitatem continent, atq; excellentiam.

Opiata contra peſtem noſtræ deſcriptionis

*Opiata contra peſtem Auctoris.*

℞. Conſerv. *Bugloſſi*
flor. *Violarum*
*Cichorii*

*Roſar.*

| | |
|---|---|
| | *Roſar. rubr. an.* ℥ ß. |
| Cortic. | *Citri condit.* ʒ ij. |
| Spec. | *Triaſantali* |
| | *Diamargar. frigid. an.* ʒ ß. |
| Florum | *Sulphuris bene præparat.* |
| | *Terræ ſigillatæ veræ, an.* ʒ j ß. |
| | *Corallıorum præparat.* |
| | *Spodii, an.* ʒ ij. |
| | *Oßis cornu cervi* |
| | *Unicornu, an.* ℈ j. |
| | *Camphoræ,* ℈ ß. |
| Confect. | *Hyacinthi,* ℈ iiij. |
| | *Sulphuris gutt.* x x. |
| | *Salis hyperici,* ʒ j. |

Adde ſyrupi limonum tantum, quantum ſufficiat ad omnia reducenda in formam opiatæ mollis. E qua ſingulis matutinis ad avellanæ magnitudinem erit aſſumendum.

Hæc opiata inprimis temperamentis bilioſis, quibus jecur exæſtuat, & delicatæ ſunt naturæ, erit accommodata. Nihil idcirco quod aliquo modo calefacere poteſt, ei adjiciendum curavimus, neq; Theriacam, neq; Mithridatiam, neq; confectionem Alkermes, neque vel tantillum quidem pulveris Diambræ, vel veri lapidis Bezoardici. *Quibus prædicta ſit uſui opiata.*

Quod ſi aliquis mihi opponat, me ta-

men illi ſulphur adjicere, cujus vel unicum vocabulum plures deterret, eò quod exiſtiment, vi mirum in modum pollere calefactiva, ac cætera id genus calida, exuperante, eò quod flammam facilè concipiat: huic ego unico tantum verbo ſatisfaciam, objiciamq; illum parum in abdita vitaliq; hujus metallici anatomia eſſe verſatum, cumq; corticem ſolum nucis externum, non internum nucleum, & ſulphuris eſſentiam conſiderare. Etenim ſi penitiores illius partes introſpiciat: inveniet idipſum ſpiritu acido & vitriolico præditum, quod valdè refrigerat, & omnibus obſiſtit corruptionibus, ideoq; mirum in modum prodeſſe, non ſolum contra peſtem, ſed etiam ad ſopiendas omnes inflammationes interiores: ut plenius in poſterum à nobis confirmabitur.

*Sulphur calefactiva carere qualitate comprobatur.*

Cæterum ſi ea ſolum de cauſa, ſulphuri calidam ineſſe qualitatem colligeremus, quod ad ignem ardeat & flammas facilè concipiat: non diſpari imo verò fortiori argumento, camphora calidior concludi debet, quæ nihilominus proprietate frigida donata à peritioribus aſſeritur, eoq; magis aſſertio corroboratur, quod eadem guſtui acerrima, & quaſi corroſiva ſentiatur: cum tamen ſulphur planè ſit

nè ſit inſipidum, & nullam palato exhibeat moleſtiam.

Adjicimus igitur, idque ingredientis præcipui inſtar, ſulphur prædictum noſtris alexiteriis, eò quod perſonis bilioſis apprimè conveniat, & iis, quibus nimirum ſanguis in jecore exæſtuat, illiusq; ſulphuris flores intenſo iſti calori temperando, non parum cenſemus conſentaneos.

Pro illis vero, qui complexione pituitoſa aut frigidiore, quæ ſtomachum debilitet, infeſtabuntur, quiq; jam ad ſenium vergent: opiata præparabitur cum conſervis florum ſalviæ, calendulæ, roſmarini, radicis Angelicæ, cum pulvere Electuarii de gemmis, diamoſchi, & diambræ, cum ligno aloës, lapide bezoardico, & confect. Alkermes. Imo vero, ni palato ingratum ſit, paululum Theriacæ, aut mithridatii addi poterit. In hac quoque compoſitione deſiderabuntur quædam guttulæ oleorum aniſi, cinnamomi, oleum corticis malorum aureorum, citrinorum, & granorum Juniperi, quod è ſingulis arte chymica extrahetur. Cum his omnibus ſupradictis, una cum ſyrupo conſervationis citri, opiatam excellentiſſimam ad præſervationem peſtis conficies. Prima, quam deſcripſi-

*Opiata pro pituitoſis & frigidioribus temperamentis.*

deſcripſimus opiata, formam & exemplar cæterarum aliarum doſibus præſtare poterit.

*Tabellarum contra peſtem deſcriptio Auctoris.*

Tabellæ non minus utiles quàm gratæ pro peſtis præſervatione omnibus perſonarum & complexionum generibus accommodatæ, quæ noſtræ ſunt deſcriptionis,

℞. Specier. *Triaſantali*, ℈ ij.
*Aromat. roſat.* ℈ j.
*Perlarum præparat.*
*Coralliorum præparat. an.* ʒ j.
*Parvulorum fragmentorum*
*Smaragdorum*
*Hyacinthorum*
*Saphirorum*
*Rubinorum, an.* ℈ ij.

Quæ ſingulæ bene ſuper marmor lævigatum comminuentur cum ſucco citreorum permixta, quo non ſemel intingentur, & rurſum, ut melius præparentur, deſiccabuntur.

*Oſsis cornu cervi*
*Unicornis, an.* ℈ j ß.
*Diambræ*, ℈ ß.
*Lapidis bezoardici veri*, ℈ j.
*Auri* fol. x.
*Lactis aut balſami ſulphur.* ʒ ß.
*Confectionis Alkermes*, ℈ iiij.

Sacchari,

Sacchari, in æqualibus partibus aquæ cornu cervi, roſarum & cinnamomi, diſſoluti tantum, quantum ſufficiet, ut omnia in formam Electuarii ſolidi reducantur, & inde tabellæ fiant ad doſin ʒ j ſs.

Prædictæ tabellæ, non ſolum ad peſtilentiæ præſervationem inſervient, ſed etiam ad omnes corruptiones abigendas, ad vires naturæ dejectas inſtaurandas, ad ſtomachos debiles corroborandos, nec non ut ſenectus viridis conſervetur. *Prædictarũ Tabellarum virtus.*

Pro ditioribus vero, & iis quibus magnæ ſuppetunt facultates, ut remedium majorem ſubinde nanciſcatur excellentiam: pro corallis, perlis, ſmaragdis, hyacinthis, ſaphiris, & rubinis, craſſo modo & materialiter præparatis, ſubſtitui poterunt illorum eſſentiæ & magiſteria, quorum præparationem luculenter ſatis in noſtra Pharmacopœa docuimus.

Illud inſuper adjiciam, unicum ſerpentis pulverem, de quo longiorem in prædicta noſtra Pharmacopœa ſermonem inſtituimus, eſſe præſtantiſsimum, omnibus aliis poſtpoſitis, alexiterium, remedium quod præ ſua excellentia, regium verè liceat nuncupare: ſive res ſit agenda cum quibuſvis venenorum generibus aſſumptis, ſive cum peſtibus, ut ab illis nos vindi- *Serpentum pulvis inprimis contra peſtem commendatur.*

vindicemur,aut præſervemur,ſive demum cum omnibus morbis epidemicis & peſtilentialibus.

*Remedium topicorum deinceps tractatio ſubſequitur, atq; illorum diviſio.*

Sufficienter meo quidem judicio, atq; ſine ullis ambagibus, de omnibus remedijs quæ ad peſtilentiæ præſervationem faciunt, hucuſq; locuti ſumus, illorumq; diverſas formulas edocuimus: ſupereſt modo aliquid de remediis externis ſive topicis in medium proferre. Quorum quoniam varius eſt uſus atq; multiplex, diverſa quoq; genera atq; formas præparabimus. Sub hac ſerie Epithemata quædam tam ſicca quam humida, linimenta, emplaſtra,& ſacculi,qui in modum ſcutorum regioni cordis apponuntur, comprehendentur. Sunt etiam quidam lapides,& alia id genus, quæ è collo communiter ſuſpenduntur,& Amuleta Latinè vocitantur, quorum uſus, alium ſibi quàm præſcriptum à nobis antea finem non conſtituit. De his ergo omnibus & ſingulis ordine ſolito oratio nobis eſt inſtituenda,variæq; ſubinde formulæ præcipiendæ.

*Epithematis contra peſtem deſcriptio.*

Epithema humidum, quod plurimum valet ad cordis corroborationem, & ad peſtis, cæterorumq; morborum epidemicorum præcautionem, hoc modo præparatur.

℞. San-

℞. *Santalorum omnium, an.* ℥ ß.
Flor. ſiccorũ *Violarum*
*Bugloſſi*
*Cichorii*
*Roſar. rubr.*
*Calendulæ*
*Nenupharis, an.* p. ij.
*Cornu cervi præparat.*
*Coralliorum*
*Perlarum præparat. an.* ʒ ij.
*Terræ ſigillatæ*
*Boli Armeni, an.* ʒ j ß.
Seminis *Oxalydis*
*Citri corticis ejuſdem,*
*Granorum kermes, an.* ʒ j.
*Camphoræ,* ℈ j.

Omnia in pulverem tenuem, quem nos pulverem pro Epithemate cordis appellamus, redigantur, aliusq; ſufficiens quantitas præparetur, qui ad uſum ſeparatim diu conſervabitur.

℞. *Pulveris prædicti pro Epithemate cordis,* ℥ j.
Aquæ *Roſar.*
*Oxalidis*
*Scabioſæ, an.* ℥ iiij.
Succi *Limonum,* ℥ ij.
Aceti *Roſati,* ℥ j ß.
Omnia miſceantur, duabus dragmis confe-

confectionis hyacinthi ſuperadditis, & ex illis conficiatur Epithema, quod regioni cordis applicetur.

*Epithematis prædicti virtus.*

Illud Epithema illis in primis conducit qui ſunt bilioſi, & ingenti febri peſtilentiali corripiuntur: tunc enim cor potiſſimum eſt refrigerandum, & fortificandum. Illud etiam valet contra alias febres ardentes & continuas.

*Epithema alterum pro non febriculoſis.*

Pro illis vero, qui temperamento ſunt frigidiore & pituitoſo & in quibus febris non ita exardeſcet: Epithema, quo ſequitur modo, præparabitur.

℞. *Pulveris pro Epithemate cordis prædicti*, ℥ ß.
Specierum *Diambræ de Gemmis, an.* ℈ j. ß.
Succi *Scordii*, ℥ ij.
*Camphoræ*, ℈ j.
*Croci*, ʒ ß.
Confectionis *Alkermes*, ʒ j ß.
*Vini generoſi*, ℥ ij ß.
*Aceti anthoſati*, ℥ j.
*Aquæ meliſſæ*, ℥ v iij.
*Aquæ Theriacalis communis*, ℥ j ß.

Fiat Epithema, quo cor ipſum languidum fomentetur. Illud etiam non parum juvat ad perſonas debiles ſenio confectas, & quæ

& quæ ſæpius ſyncopis & lipothimiis obnoxiæ ſunt, corroborandas.

Ut verò Epithema ſiccum componatur; ea quæ ſubſequitur, ratione procedatur.

*Epithematis ſicci deſcriptio.*

℞. Conſerv. flor. *Bugloſſi*
*Roſar. rubr.*
*Violarum*
*Calendulæ, an.* ℥ ß.
Cortic. *Citri condit.* ʒ ij.
Pulver. *pro Ep. them. cordi,* ʒ j ß.
Confectionis *de Hyacintho &*
*Alkermes, an.* ℈ iiij.

Omnia vino albo optimo irrorentur, & inde ceratum in formam ſcuti efformetur, quod applicatum diuturno tempore ad regionem cordis adſervabitur.

Sin autem ſacculum in formam ſcutuli malueris efformare, qui plenus pulveribus aromaticis, ſuper cordis regionem nunquam non apponatur: in modum ſequentem ille apparabitur.

*Sacculi in forma ſcutuli deſcriptio.*

℞. Radic. *Tormentillæ,* ℥ j.
*Angelicæ*
*Santalorum omnium, an.* ℥ ß.
*Dictamni*
*Been utriuſq; an.* ʒ j ß.
Sem. *Citri &*
*Corticis ejuſdem, an.* ʒ iij.

*Macis*
*Cinnamomi,an.* ℥ j ß.
*Benioin,* ℥ j.
*Coralli rubri*
*Terræ ſigillatæ*
*Cornu cervi præparati, an,* ℥ ij.
Flor. *Bugloßi*
*Violarum.*
*Calendulæ*
*Roſar. rubr. an* p. ij.
*Camphoræ,* ℈ j.
*Croci,* ℥ j.

Omnia cum additione ℥ ß. aliptæ moſchatæ in pulverem reducantur, è quo ſacculus in formam ſcutuli efformetur, regioni cordis, tempore præſertim peſtilentiæ obnoxio, de more applicandus.

Præterea ad prædicti pulveris ℥ ij. adjiciantur.

Succorum *Scordii*
*Citrorum, an.* ℥ j ß.
Adipis *Serpentis* ℥ iij.
Olei *Nucis moſchatæ per expreßionem educti,* ℥ j.
*Veri balſami,* ℥ ij.

*Linimenti & emplaſtri deſcriptio.* Et ſic linimentum excellens, ad inungendam ſingulis horis matutinis regionem cordis efficies. Quod ſi ſpermatis balenæ, & ceræ albæ; tantum quantum ſufficiat

ſufficiat addideris: Emplaſtrum quod ordinare ſupra cordis regionem feras, efformabis.

Verùm enimvero, non modo pro præſervatione peſtis, ad cordis regionem atq; plagam confectiones cordiales admoventur: verùm longo uſu atq; experimento compertum eſt, res quaſdam, quas vulgus paſsim venenatas pronunciat, eidem corroborando eſſe valde conſentaneas. Hujus generis cenſeri debet Arſenicum, quod in ſantalo rubro incluſum, ſacculos parvos collo ſuſpendendos efformat. Illi autem ſacculi vel cordi propiùs applicantur, vel ſub axillis reponuntur: aliis verò ad carpos lacertorum ligati reperiuntur. Si quis porro interroget, quid illis contineatur: Sciat ille, quoſdam Arſenicum ſolum hunc in uſum aſſumere, alios vero Arſenici ℥ ß. vel ℥ j. in pulverem redacti, accipere, huicq; pulveres cordiales ſuperaddere, nimirum.

*Utrum Arſenici amuletum è collo ſuſpenſum contra peſtē valeat,*

*Angelicæ*
*Zedoariæ*
*Dictamni*
*Camphoræ*
*Croci, ad libitum.*

Ex hoc autem pulvere, cum mucilagine gummi Arabici aut tragacanthi pa-

 ſtilli,

ſtilli, quo placet modo conficientur, qui in ſantalo rubro, ut ſupra dictum eſt, involventur, ut exinde Amuletum fiat, collo, eadem, quam ſupra explicavimus, ratione ſuſpendendum.

*Heurnii circa Arſenici Amuletum ſententia.*

Heurnius inter alios, id genus Amuletum approbavit, & illo utendum eſſe docuit, utq; quadam veluti ratione longam hujuſce rei ſtabiliat atq; confirmet experientiam: hæc in ſuo de peſte libr. cap. 8. memoriæ verba prodidit: Quædam venena regioni cordis applicantur, nec puto id ratione carere: nam dum cor qualitatem illam inimicam percipit, ſæpe contrahit, fitq; ejus ſyſtole fortior quàm diaſtole, ita ut validius eo motu à ſe excludat venenum, quàm attrahat.

*Arſenicum per præparationem Chymicam è lethali fit ſalutiferū.*

Nos infra quid hac de re tota ſentiamus, paucis aperiemus. Intereaq; aſſeremus Arſenicum eſſe remedium utiliſſimum, atq; tum ad præſervationem, tum ad curationem peſtis præſentiſſimum, modò qua decet ratione à vero Philoſopho præparetur. Ea enim præparatione, è lethali veneno, facilè in mirum convertetur Alexipharmacum, prout illud à nobis, tum ratione, tum experientia, non ita multò poſt comprobabitur.

Aliud præterea ex hydrargyro fit amuletum

muletum cum avellana rubra & aliquo verme arroſa, ut foraminis illius beneficio, hydrargyro repleri poſſit. Poſtquam vero metallicum illud eſt introductum, foramen ſedulo occludetur, & avellana ſerico rubeo è collo ſuſpendenda involvetur. Si vero avellana deficiat, illius vicem calamus ſupplebit, qui prædicto Mercurio replebitur, & è collo ſuſpendetur, ita ut quam proximè, non ſecus ac præcedens amuletum, ad regionem cordis admoveatur. Hoc remedium adeo hiſce temporibus eſt uſitatum, totq; illius animadverti experimenta: ut non poſſim præ cæteris illud non valdè comprobare. Mihi tamen ipſi hac in parte temperabo, ut alium in locum res ſolertiſſimas, & notatu digniſſimas rejiciam.

*Hydrargyri amuletum commendatur, & quomodo conficiendum ſit declaratur.*

*Obſervatio notanda, qua clarius illa remedia metallica, quibus ſupra tam ad præſervationem, quàm curationem peſtis mentionem fecimus explicantur, deſcribuntur, atq; præparantur.*

ANtequam manum de tabula dimoveamus, ſupereſt nobis ordinem inſtitutum perſequentibus, ut quædam de remediis metallicis, quorum antea mentionem

*Obſervatio excellens circa remedia metallica.*

tionem fecimus,&uſum comprobavimus, imò verò in præparationem noſtrorum remediorum alexiteriorum adſcivimus, hoc loco pertractentur: cum illa præſertim in numero ſelectiorum atq; præſtantiorum, initio hujuſce Capitis repoſuerimus.

*Quænam inter remedia metallica recenſeantur.*

Nos autem inter hæc remedia metallica, ſpiritus inprimis acidos recenſuimus.

*Salis*
*Sulphuris*
*Vitrioli*
*Anodynum minerale, ſal*
*Prunellæ nuncupatum*
*Crocum metallicum diaphoreticum*
*Crocum metallicum purgativum*
*Lapidem bezoardicum metallicum*
*Flores ſulphuris*
*Balſamum lactis ſulphuris.*

Illis enim remediis jam antea ad præcautionem peſtis non ſemel uſi ſumus, imò verò interius aſſumenda præſcripſimus.

Pro externis autem, ad eandem præcautionem adſcivimus Arſenicum, & Hydrargyrum, in formam tamen Amuleti è collo ſuſpenſa, & regioni cordis applicata.

*Metallicorum reme-*

Verùm quoniam nonnulli reperiuntur, qui nulla prorſus ratione horum remedio-

mediorum, ſive intrinſecus aſſumptorum, ſive extrinſecus ſolummodo adhibitorum, uſum in Medicina probare poſſunt, eò quod illa nimis à natura noſtra aliena eſſe ſentiant: operæ pretium me facturum exiſtimavi, ſi ipſorummet remediorum approbationem atq; commendationem, à primis medicinæ Ducibus atq; Coryphæis mutuarer, oſtenderemq; nullo non tempore eadem à Græcis, ab Arabibus, & Latinis authoribus, qui illos ſubſecuti ſunt: imò verò à quibuſvis celebrioribus & præſtantioribus noſtrorum temporum Medicis Dogmaticis, non ſolùm uſurpata, ſed etiam mirum in modum præ cæteris omnibus celebrata, & majoribus encomiis exornata fuiſſe. *diorũ commendatio, in genere atq; ſpecie poſita primo.*

Si hanc igitur primam encomiorum partem generatim abſolverimus: eorundem poſtea metallicorum remediorum eximias atq; ſingulares virtutes, ſigillatim exponemus. Ut ſic nullus non animadvertat, nos, nec doctrinam quandam prioribus ſæculis inauditam, neq; à majoribus noſtris non uſurpatam, & approbatam, in medium proferre.

Si naturam ars imitari debeat: antea ſatis abundè docuimus, quomodo thermæ, balnea, fontes, & aliàs aquæ metal- *A ratione*

licæ,hinc & inde diſperſæ,magnis ſint atq; ſtupendis,in curatione morborum deploratorum, virtutibus præditæ. Nullus autem dubitare poteſt quin ex proprietates ſuboriantur à virtutibus,quibus ſubſtantiæ ſunt, benefica naturæ manu,imprægnatæ. Cujus ſi nos veſtigiis inhærentes, eadem, aut pene ſimilia, in affectuum graviorum medelam uſurpemus: & ab eadem naturæ ſcaturigine profecta: haudquaquam procul dubio à veritatis tramite aberrabimus. Verùm cùm ſatis ſuperq; eadem à nobis diverſis in locis ſint antea declarata,dicendis hac in parte ſuperſedebimus; variasq; ſolummodò Doctorum antiquorum, qui remedia metallica comprobarunt,& comprobatis uſi fuerunt, authoritates ob oculos proponemus.

*Secundò ab authoritate*

Judicium Dioſcoridis, non ita pridem à nobis relatum eſt, qui ſulphur & ſandaracam in numero remediorum intrinſecus aſſumendorum collocavit.

*Hippocratis circa ſulphur.*

Sed ulterius modò progrediamur, & ſententiam magni Medicinæ totius patris atq; principis,Hippocratis afferamus, quæ vel ipſa ſola,ſine ullius cujuſlibet adminiculo, os poterit obſtruere, & æternum ſilentium indicere, iis, qui tantopere egregiis iſtis pharmacis adverſantur.

Hippo-

Hippocrates, non ſecus ac Dioſcorides, ad curandas pulmonum affectiones, ſulphur & ſandaracam adhibuit: imò verò nitrum ad abortuum expulſionem, ori exhibendum eſſe, diſſerit. *Sandaracā.* *lib. 1. de morb. muliebr.*

Pleuritices verò, quibus dolor hypochondria infeſtat, florem æris ipſemet exhibuit. Quinimo hoc remedium contra pleureſes ſanguineas, & ad illos juvandos qui ſpuendo plurimùm laborant, aut certè ſine magno labore ſcreare non poſſunt, non parum probat, cum illis ad quantitatem & magnitudinem olivæ, unà cum dimidia parte ſucci ſilphii, & tantillo ſeminis trifolii propinet. Ut videre licet ſub finem lib. 3. de morbis, ubi de pleuritide ſermo inſtituitur. *Florem æris,*

Myſeos quoq;, idem Hippocrates ad purgandum, & conceptionem impediendam uſus fuiſſe perhibetur ex illis verbis: *Myſeos magnitudinem fabæ aqua diluito, ac bibendam dato, & poſt annum non concipiet.* *Myſi.* *lib. 1. de morb. mulieribus.*

Humores præterea craſſos, ſpuma æris, quam ad quatuor obulorum pondus exhibet, attenuat. Ex eadem rurſus ſquama cum Peplio, pilulas ad purgandum, & emittendam hydropicorum aquam conficit. *Spumam æris.* *li. de victus ratione in morbis acutis ſub finē.*

Ut autem fœminis parturientibus o-

*Æruginem,* pituletur, æruginem cum melle, atq; potione, quam vocat Smyrnæam adſciſcit. *Æruginem*, inquit, *tritam cum melle*, & *Smyrnæa potione bibendam dato.* Sæpius autem ejuſdem Smyrnææ potionis mentionem facit; quam è rebus quibuſdam craſſis moliebatur: prout quodam in loco à Mercuriali deſcribitur.

*libr. 1. de morb. muliebr.*

Verùm enimverò, quid ego tam diu in diverſis Hippocratis, hanc in rem, locis recenſendis moror? dies certè mihi potiùs, quàm materia deficeret, ſi vellem omnes authores antiquos, ſive Græcos, ſive Arabes, aut Latinos ad calculum revocare, qui unà cum ſuis præſtantioribus remediis admiſcuerunt, atq; uſi ſunt prædictis ſubſtantiis metallicis, ut ſale Armoniaco, ſale gemmæ, nitro, alumine, myſi chalcitide, vitriolo, ſulphure, plumbo aduſto, ſquama ferri, auri, argenti, & omnibus lapidum pretioſorum & marchaſitarum generibus, quæ inter metallicas ſubſtantias recenſentur.

*Eadem metallicorum commendatio confirmatur authoritate*

Quare ſatius fuerit, benevolum Lectorem Nicolao Mirepſio in ſuo de compoſ. medicamentor. lib. ſect. 5. de Antidot. conſignare: ubi, juxta Leonhardi Fuchſii verſionem, advertere poterit, Antimonium & Arſenicum, ſine ulla præpa-

ratione

ratione adhiberi. Arſenicum quidem in duabus antidotis, quarum una vocatur Perſica, & altera Muſa, deſcriptis capite 293. & 303. Antimonium verò in ea Antidoto, quæ Epilepticis, Apoplecticis, maniacis, & quaternariis inſervit, quæq; deſcribitur cap. 470. equidem non ignoro, quoſdam ibidem Artimonium pro Antimonio ſubſtituere: ſed ab iiſdem illud contendo, ut advertant, quomodo Antimonii mentio inſtituatur his verbis: ℞. Lapidis Lazuli, lapidis Armeni, lapidis Antimonii, an. ℥ iij. quo è loco vel unico dignoſcent, illum de metallico quodam, non aromatico diſſerere. Sed Fuchſius ipſe hanc totam dirimit quæſtionem, in annotatione ad idem caput, dum in hunc modum prædictũ vocabulum interpretatur, "(lapidis Antimonii) more, inquit, Serapionis & aliorum quorundam, Antimonium (quod Græcis στίμμι dicitur) inter lapides recenſetur: attribuunt autem illi facultatem roborandi nervos recentiores."

*Mirepſis circa Antimonium & Arſenicum non præparatum.*

Sed quamvis ſponte concederemus, in prædicta antidoto legendum eſſe Artimonium, pro Antimonio, alios habemus magni nominis authores, qui eodem uſi ſunt remedio.

Nicolaus Præpoſitus in deſcriptione cujuſdam

*Nicolai Præpoſiti.*

cujuſdam compoſitionis, quam Blanquam appellat, Antimonium admittit.

*Serapionis.* Serapion idipſum aſſumit Antimonium, ut ad vomitum in Epilepſia provocet.

*Arnaldi à Villa-nova.* Arnaldus à Villa-nova, ad ejuſdem morbi curationem hoc metallicum uſurpat.

Deniq; ut paucis omnia concludamus, legantur ea quæ Matthiolus ſuo in Dioſcoridem commentario edidit, ubi non leviter agit in eos, qui uſum prædicti Antimonii condemnabant: ibidem etiam mirum in modum hoc metallicum vitrificatum commendat. Suis quippe temporibus, nullus alius Antimonii præparandi modus, vel ad peſtem ipſam curandam, tenebatur.

*Matthioli circa omnia metallicorū genera.* Sed videamus, amabò, quæ idem Matthiolus, de omnibus metallicorum remediorum generibus in univerſum ſentiat. Ipſe quidem, ut docto cuidam Medico Andreæ de Blauuen nominato ſatisfaciat, hæc expreſsè verba conſcripſit: *Auſim dicere neminem Medicum abſolutum eſſe poſſe, imò ne mediocrem quidem, qui in hac nobiliſsima deſtillandi ſcientia non ſit exercitatus: id cum alibi, tum inprimis in Chronicis morbis eſt animadvertere, ubi tota maſſa ſanguinea in univerſo venarum ambitu corrupta eſt,* *lib. 4. epiſt.*

*& re-*

*& referta multorum morborum ſeminariis, hi, inquam, morbi citra metallica devinci vix poſſunt.*

Satis ut mihi videtur, teſtimoniis antiquorum & modernorum Medicorum comprobavi, quomodo nullis non temporibus uſus prædictorum metallicorum receptus fuerit, & quomodo ex illis mirifica educta ſunt ad curationem morborum deploratorum remedia. Supereſt modò, ut ſigillatim oſtendamus ea, quibus nos ad præſervationem & curationem peſtis utimur, aut mox uſuri ſumus, Pharmaca, è metallicorum familiis deprompta, non ſolùm rationibus, ſed etiam experimentis fulciri certiſſimis, quæq; à celeberrimis comprobata fuerint Medicinæ Profeſſoribus.

Ut igitur ſigillatim & ordine omnia ſedulò examinentur, à metallicis aciditatibus ſalis, ſulphuris, & vitrioli exordiamur: illis enim non ſemel uſi ſumus, & ex iiſdem excellentes quaſdam antidotos compoſuimus. Et quoniam ſatis luculenter præſtantiam horum remediorum metallicorum, & vitriolicorum, tum ratione, tum authoritate veterum, & modernorum Medicorum, antea confirmavimus: ſtudioſum Lectorem ad ea ablegabimus,

quæ

*Ubinam de vitrioli ſignatura author pertractarit.* quæ de interna vitrioli ſignatura, & ingentibus illius ad plurium morborum curationem proprietatibus accommodatis in noſtra Tetrade cap. 30. diſſeruimus.

*Obſervatio notanda ci ca ſalẽ prunellæ: cur ita nominetur.* In noſtris etiam antidotis utimur ſale prunellæ, quod plurimi Chymicorum, non mediocriter in ſua arte peritorum Anodynum Minerale vocant. Hoc autem ſal prunellæ, talem nactum eſt nuncupationem; ob febrem ardentem & peſtilentialem in Pannoniis frequentem, cujus præcipua indicia ſumptomataq; ſunt ariditas, nigredo; & ardor linguæ, gutturiſq; totius; quæ non multum à prunis diſſimilia ſunt & aliena. Hinc nimirum hujuſcemodi febribus, Prunellæ Hungaricæ, appellatio imponitur, eodemq; præterea nomine remedium ad talem ardorem & in-

*Quomodo conficiatur.* cendium mitigandum conſentaneum, ſal prunellæ, dicitur: eò quod compoſitum ſit, à ſale petræ claro, apprimè purificato; quod in cruſibulo diſſolvendum ad ignem reponitur, ut liquefacto poſtmodum, flores ſulphuris paulatim adjiciantur; donec ritè ſpiritu ſulphuris acido imprægnetur. Modò illud benè depuretur, clarificetur, & in formam vitri pellucidiſſimi, ſupra marmor injecti reducatur. Doſis illius eſt ad ſemidrachmam, imò verò uſq; ad ſcrupu-

ſcrupulos quotuor, ea tamen adhibita cautione, ut cum aqua fontana puriſſima, aut alio liquore frigidiore commiſceatur. Verùm quoniam guſtui & palato hoc remedium eſt aliquantulum, ob amaritiem, ingratum: prædicta amaritudo corrigi poteſt, eidem immiſcendo tantillum ſacchari violati, atq; roſati, ut inde Julepus, delicatulorum ergò, præparetur.

Hoc ſal prunellæ, excellentiſſimum eſt ad mitigendas omnes inflammationes interiores, quales ſunt Pleureſes & Peripneumoniæ: & virtute inprimis refrigerante præditum eſt. Hujuſce meæ aſſertionis veritas, vel ex eo comprobatur, quod linguæ impoſitum, majorem ipſa glacie hyemali producat frigiditatem, urinas, & ſudores intrinſecus aſſumptum provocet: ſi tamen miſceatur, & diſſolvatur ad quantitatem ſemidrachmæ, vel amplius, cum aliquo liquore frigido conveniente. *Illius proprietates excellentiſſimæ, ſive intrò ſumatur, ſive exterius applicetur.*

Si verò illud ipſum remedium, exterius, in liquore aliquo accommodato diſſolutum adhibeatur: miram ſimul ſortitur efficaciam, ad ſopiendos quoſvis dolores, qui inflammationes tam exteriores quàm interi-

interiores, pro germanis ſuis cauſis agnoſcunt. Tot demum tantæq; admirationis experimenta ex hoc remedio producta, non ſolùm in Hungaria, ſed etiam in Germania univerſa conſpicere licuit, nosq; ipſi revera adeò feliciter, & proſpero ſucceſſu conſpeximus: ut fieri non poſſit, quin pro excellenti nobis non habeatur remedio, ad febres omnes, peſtilentiales præſertim, curandas, quas ardor, atque ſitis ingens ægris non toleranda, concomitatur.

Hoc autem in loco non pigebit obſervare, quod, ut conveniens hiſce malignis febribus Medicina adhibeatur, hoc ſal prunellæ cum aqua pura fontana, eaq; frigidiſſima atq; abundantiſſima, ita permiſceri poterit: ut ad doſin vaſti cujuſdam calicis propinetur.

*Uſus aquæ frigidæ copioſus in febribus ardentibus commendatur, teſtimonio Æginetæ,*

Antiqui verò in hujuſmodi febribus ardentibus atq; peſtilentialibus, uſum aquæ frigidæ ſolius, ad extinguendos prædictos ardores, imò verò ignes, ſi quando exterius manifeſtantur, commendaverunt.

Ægineta lib. 2. de re Medica, cap. 36. ubi de febri pertractat peſtilentiali, poſt Rufum Epheſinum, hunc in modum loquitur: *Si verò etiam ardore æſtuet æger, & flamma*

*ſlamma ad pectus uſq; aſcendat,non alienum fuerit,& frigefactoria pectori adhibere, & frigidæ potum exhibere,non paulatim(plus enim exurit) ſed acervatim,ut flammam extinguat.* " " " "

Ipſemet præterea Hippocrates id genus remedii videtur approbaſſe, quando ſcripſit lib.1. Epidem. cap.7. ea,quæ ſic à Cornario interprete transferuntur: *Metonem febris vehemens corripuit, lumborum gravitas doloroſa,poſtridie ubi aquam bibiſſet, ſatis multum ab alvo copioſe probeq; rediit.* " " " " *Hippocratis.*

Duo inter Arabes præcipui Doctores & Coryphæi, Rhaſis & Avicennas eandem frigidæ potionem in magna quantitate propinatam, ad febres ardentes, & peſtilentiales ſedandas, his verbis jampridem comprobarunt: *Aqua frigida plurima ſubito eſt juvativa valde, pauca autem conſequenter exhibita, fortaſsis excitat caliditatem.* *Rhaſis & Avicenna.* *Rh.cont.3. tract.13. cap.2. Avic.4.can. c.de peſtilenti febre.*

Illi igitur non parum hallucinantur, qui in febribus hujuſmodi ardentibus, ægris ſuis potu interdicunt: vel eundem certè parca manu largiuntur: cùm tantùm abeſt, ut ea ſolamen aliquod ratione percipiant, quin imo magis ac magis ignis exæſtuans accendatur inde & invaleſcat. Cujus rei obvium nobis exemplum, vel ipſi fabri ferrarii ſuppeditare poſſunt, qui aqua paucisſima, ignitos carbones irro-

rant, ut ſic amplius inflammentur. Quapropter illud inprimis hac in parte cavendum erit, ne potus ægrotis denegetur: modò tamen mediocritas, quæ cunctis in rebus conſideratur, ſuas hoc loco partes obtineat, omniſq; exceſſus nunquam non morbis periculoſis contrarius, evitetur.

Si quis porrò hac in re Rhaſis conſilium tueri velit, liquores quoſdam acetoſos cum frigida permiſcebit.

*Atq; domum Fracaſtorii.* Fracaſtorius laudatum ejuſdem aquæ frigidioris uſum, in hujuſmodi febribus, perſonis robuſtis, ætateque florentibus, commendat, verùm ſyrupum acetoſum, aut ſuccum limonum eidem commiſcet.

Sal tamen prunellæ omnes hujuſce generis mixtiones longo ſuperat intervallo: aut aciditates noſtræ metallicæ illius vices facilè occupabunt, ſi quando de ardoribus febrilibus extinguendis agetur. Tantum ergo remedium longo experimento confirmatum nequaquam impoſterum, ubi de curatione tractabitur, omittemus: cùm illud mirum in modum, ſitim quamlibet, & ariditatem extremam temperare potis ſit, quæ tamen ſymptomata, velut individuos comites, febris omnis peſtilentialis agnoſcit.

Crocus

Crocus metallicus diaphoreticus, ex Magneſia Saturnina (ſic enim Chymici vocant) conficitur: ex qua Magneſia, prius cum tartaro & ſale petræ pars illius Mercurialis à cæteris ſeparatur, & ſeorſim reſervatur, ut ex illa remedia quædam præſtantiſſima, inferius nobis deſcribenda, conficiantur. Ex fecibus autem ejuſdem, lixivium rubicundiſſimum ſola aquæ ebullitione comparatur, quod tanta eſt virtute donatum: ut argentum aureo colore perfundat. *Crocus metallicus diaphoreticus quomodo conficiatur.*

Sulphur ſolare, ex ejuſdem Magneſiæ lixivio, aceti beneficio, ſenſim & guttatim tantum infuſi, ſecernitur, ſecretumq; pluribus ablutionib. ita mundatur, ut nihil in illo ſalſedinis remaneat. Sulphur iſtud ad ignem lentiſſimum deſiccatum, calcem auri quadamtenus repræſentat, quod ſi præterea ad ſcrupulum unum exhibeatur, & cum aqua aliqua Bezoardica commiſceatur: ſudores mirificè provocabit, & excellentiſsimum, tam ad præſervationem peſtis, quàm ejuſdem curationem, remedium largietur. *Ejuſdem croci virtus.*

Crocus metallicus purgativus ex eadem Magneſia conficitur, quem nos alio nomine, poſt Martinum Rulandum, Crocum metallorum appellamus. Iſtud *Crocus metallicus purgativus quomodo præparetur.*

autem metallicum cum æqualibus ſalis ſolius ſulphurei naturalis partibus permiſceo, permixtumq; philoſophice calcino: ſive ut clarius rem totam adaperiam, ad illius calcinationem nullo alio igne, niſi prædicti ſalis ſulphurei utor: calcinatum demum in materiam redigo, quæ jecoris ipſius colorem referat. Illa autem materia in pulverem quendam rubicundum redacta, Crocum Metallorum idcirco denominat, quod prædicta Magneſia illorum radix, & quaſi primum ens deprehendatur, utq; præterea à Crocis aliis, qui tum à Marte, tum à reliquis metallicis educuntur, ſecernatur. Paulò poſt, inferius capite de Curatione, præſtantiam remedii prædicti referemus, quod in vino vel aqua convenienti, ad doſin ſex, aut ſeptem granorum propinatum, purgativum eſt excellens admodum, & ſpecificum contra Peſtem: in eo præſertim, quod dulcem vomitum, ad talis morbi curationem plerumq; neceſſarium, ut ſuo nos loco dicemus, excitat.

*Crocus Metallorum cur ſic appelletur.*

*Idem Crocus excellens eſt contra peſtem remedium.*

Quod ſi eadem Magneſia ſic calcinata, & in Crocum Metallorum redacta, in pulverem redigatur, & philoſophicè iterum cum eodem pondere ſalis ſulphurei calcinetur, ipſaq; per tres vices calcinatio itere-

*Sudoriſicum excellens ex Magneſia contra peſtem.*

iteretur: poſtea ablutiones, ac fixiones ordinariæ per quatuor aut quinque dies in furno Athanoris uſurpentur. Exinde conficies materiam quandam, ad colorem florum calendulæ proximè accedentem, nullius prorſus ſaporis: cum tamen præſtantiſſimum ſit ſudorificum bezoardicum, ad doſin, viginti aut triginta propemodum granorum, cum aqua quadam accommodata, exhibitum. Et quoniam hoc ſudorificum, ad curationem omnium potiſſimum morborum epidemicorum præſtantiſſimum eſt: propriè bezoardicum id Metallicum appellamus, quod aliquando præterea ſenſim & occultè, non exiguas, in purificando & inſtaurando naturæ balſamo radicali, præſtat operationes atq; virtutes.

*Bezoardicum Metallicum quid ſit.*

Sed ut ſtudioſo plenius lectori ſatisfaciamus, illum ad id genus remediorum ablegabimus, quod terminis philoſophicis, & aliquantum ænigmaticis, in noſtræ Tetrad. cap. 31. deſcripſimus: & ubi præ cæteris de Panacæa noſtra ſermonem inſtituimus, ille etiam conſulere poterit ea, quæ circa Antidotum, Soterion nuncupatum, tradidimus: quæ certe Antidotus remedium eſt pluribus morbis deploratis præſentiſſimum. Ad idipſum præterea

*Antidoti diverſa, mira virtutis.* plurimum faciet Antidotus Theopemptos, ſive mavis, pharmacum ad hominum ſalutem, ab ipſomet Deo inſtitutum: nec non Antidotus Iſochryſos, quæ talem idcircò eſt appellationem ſortita, quod valori auri, vel ipſimet auro potabili, meritò valeat adæquari.

Hæc porrò Antidota omnia, cum aliis ſeptem aut octo, à nobis in eodem libro deſcriptis, habent baſis inſtar & fundamenti, eandem Magneſiam Saturninam, ſuntque remedia, ad curationem peſtilentiarum, & ſimilium morborum lethalium probatiſſima. Sin autem terminis quibuſdam paulò ænigmaticis eadem deſcripſimus: certis de cauſis factum eſt, quas alibi retulimus, quasq; nihilominus ſuo loco clarius exprimemus atq; illuſtrabimus.

*Cur ſulphur in Antidotis additum.* In noſtris pariter Antidotis, floribus ſulphuris, & lacte ſive butyro ejuſdem ſulphuris uſi fuimus: eò quod illa duo ſint remedia adverſus omnes putrefactiones potentiſſima. Sulphur quippe, cum ſit ſiccitate & aciditate interiori, velut duabus ſatis patentibus qualitatibus præditum: putrefactionibus impediendis, vel ipſius vulgi judicio, ſine ulla præparatione famulatur.

Scio

Scio tamen, quoſdam tantopere id genus remedii improbare, ut vel ſolo ipſius ſulphuris vocabulo offendantur, illudq; vel ut monſtrum quoddam horrendum concipiant. Hæc quidem pharmaci ſpecies, ſuum apud Cratonem, inter modernos autores, locum non habet: verùm nullus eſt antiquorum, ſive Græcorum, ſive Arabum, qui illius non meminerit. Myrepſus qui præ cæteris, ea omnia quæ de ſulphure veteres tradiderant, in unum collegit, plures viginti antidotos deſcripſit, in quibus ſulphur, velut præcipuũ ingrediens comperitur. Quin imò quatuor inter illas habentur, quas indigitat Lexopyretos, vel de ſulphure, numero 358. 359. & 560. Quæ certè Antidoti, non ſolum aſthmati, & tuſſibus inveteratis, vel doloribus & inflationibus tum ſtomachi, tum inteſtinorũ mitigandis adhibentur: ſed etiam plurimùm valent ad febres intermittentes, imo verò pleureſes amoliendas, quæ tamen ingenti inflammatione conſtant interiore. Mirum igitur videri non debet, ſi ad præſervationem peſtis, flores, vel lac, & butyrum ſulphuris, in noſtris Antidotis adhibemus: ſic enim ſulphur, exaltatione quadam multò præſtantius remedium, quàm ſi abſq; ulla daretur præparatione, conficitur.

*Flores ſulphuris quomodo præparentur.*

Sulphuris porro flores hunc in modum præparantur. Sulphur in pulverem redactum cum æqualibus vitrioli calcinati ſeu colchotaris (ſic enim vocant) partibus miſceatur,& ſecundum artem, bis aut ter ſublimetur. Quidam iterum illud ſublimant, uſq; ad tres vices, ultimo cum ſaccharo cando, indeq; flores conficiunt præſtantiſsimos ad medelam aſthmaticorum, phtiſicorum, & omnium putrefactionum.

*Lactis ſeu butyri ſulphuris præparatio.*

Lac vero, vel butyrum ſulphuris, ex eiſdem floribus præparatur: modo diſſolvantur in oleo quod ex reſolutione ſalis ſulphurei, ex principali vegetabili tartaro, ſcilicet vini, conficitur: in quo ſi diſſoluti prædicti flores fuerint, ilico in lac, vel butryum candidum reducuntur, ea tamen cautione, ut paulatim acetum album minimè deſtillatum ſuperaffundatur. Dum verò acetum iſtud affunditur, fit magna confeſtim ebullitio, cũ fœtore conjuncta, quæ lac illud in fundo vaſis facit ſubſidere. Qua ebullitione peracta, lac deinceps erit edulcorandum, & à ſalis prædicti ſalſugine, & ab aceti acredine, plurimis lotionibus ſecundum artem factis depurandum.

*Virtus lactis & butyri ſulphurei quanta.*

Et ſic lac aut butyrum ſulphuris præparabitur, quod eſt germanum pulmonum balſa-

balſamum, & excellens admodum contra omnes putrefactiones præſervativum. Illud etiam non parum prodeſt, adverſus febres omnes peſtilentiales, & morbos epidemicos: quod ſic propter ſuam albedinem & dulcedinem ſimul, denominatum eſt.

Et hactenus quidem prædictis remediis omnibus ad peſtem præcavendam uſi ſumus: De illis modo reſtat dicendum, quæ ad ejuſdem curationem deſiderantur.

*De Curatione peſtis generali: In qua tractatur tum de evacuationibus generalibus, quæ fiunt tam per ſanguinis miſſionem, quàm per alvum & ſudores: ac inprimis de ſanguinis miſſione.*

## Cap. VI.

QVæcunq; à nobis antea deſcripta fuere remedia, ſpeciali peſtilentiæ debentur præcautioni, licet ex iis nonnulla quoq; ipſimet curctioni inſervire poſsint, quotieſcunq; contagione aliquis fortè corripitur. Contagionis autem conceptę indicia ſatis abunde per nos ſupra fuerunt declarata, inter quæ præcipua ſunt bubones, anthraces, virium ſubita proſtratio, *Indicia peſtilentiæ quænam.*

mentis & corporis inquietudo, moleſta inſomnia, appetitûs dejectio, atq; vomitus: quæ omnia ut plurimum febris ardentiſſima ſubſequitur.

At vero, peſtilentia, unus eſt è morbis omnibus vehementiſſimus atq; periculoſiſſimus, in quibus remedia pariter excellentiſſima atque promptiſſima requiruntur. Inter hæc autem, cum miſſio ſanguinis & purgatio primas partes ſibi vendicent, neceſſarium eſt, ut ab illis exordiamur, eademq; diligenter diſcutiamus: cum majores ex illis, quàm ut aliquando emendari poſſint, errores ſuboriantur, eque debita illorum, vel indebita adminiſtratione, ſalus, vel exitium penitus conſequatur. Interim tamen in illorum tractatione, alexiteria bezoardica non prætermittemus: quoniam non ultimum in peſte avertenda & curanda locum obtinent.

*Potiſſima omniũ morborum remedia, Miſſia ſanguinis & purgatio.*

Porrò ut à miſſione ſanguinis exordiamur: non mediocris inter Medicos antiquiores & modernos, circa illam ſolennem evacuationem, in cura peſtis, nec non aliorum epidemicorum & contagioſorum obſervandam, verſatur controverſia: utrum videlicet illa adhiberi debeat, an ſecus.

*Variæ circa miſſionem ſanguinis in peſte faciendam, necne, ſententia.*

Qui

Qui pro venæ ſectione faciunt, inter cætera referunt, illud remedium eſſe præſtantiſſimum, cùm in cæteris morbis, tum præſertim contagioſis: eò quod ut plurimum ſint cum febre putrida, & ſæpenumero ex obſtructionibus generata, copulati. Ut autem via hujuſmodi obſtructionibus aperiatur, & ex conſequenti ut febris, uti unum è pernicioſis peſtilentiæ ſymptomatibus, cui præ cæteris occurrendum ſit, auferatur, nullum aliud præſentius auxilium dari poſſe ſentiunt.

Illud præterea ſubjiciunt, ſanguinis miſſione corruptionibus, & putrefactionibus, quæ ſemper vehementem humorum ardorem conſequuntur, ſubveniri: ſic enim ajunt impediri, ne maſſa ſanguinis totius exæſtuet & ebulliat, imò illius nimium ardorem temperari. Non ſecus, exempli gratia (quod ab illis uſurpatur) ac vini fervor & ebullitio prohibetur, quando dolium appoſitè perforatur, vel tantillum ab eodem detrahitur. Quidni, cum in ſanguinis miſſione, idem prorſus quod in dolii perforatione eveniat, cum utrobiq;, ne vinum, aut ſanguis corruptionem aut alterationem patiatur, cura adhibetur.

*Miſſio ſanguinis quid præſtet.*

Ad ſuas præterea rationes ſupra relatas, plures Græcorum adjiciunt authoritates:

*Auctoritas Hippocratis pro venæ ſectione.*

ritates: atq; inprimis ipſius Hippocratis, qui in omnibus morbis, & potiſſimum acutis (quales nulli non peſtes videri debent) nunquam mittendi ſanguinis obliviſcitur.

*Experientia.* Quidam demum Moderni, ſuas in medium proferunt experientias, quibus omnibus ſic inducuntur, ut crimen vix expiandum ſe patraſſe, ni tale remedium præſcriberent, arbitrentur.

Verùm enimverò, hiſce rebus omnibus, nuper antea declaratis, reſponſa contrariæ ſententiæ, qua potero brevitate ſubjiciam: ut mox, quid hac de controverſia mihi videatur concludendum, proponam.

*Rationes & argumẽta eorum qui venæ ſectionem in peſtibus improbant.* Qui igitur miſſionem ſanguinis in peſtilentia curanda rejiciunt, primo ſic argumento ſatisfaciunt: ut confiteantur, obſtructionem (à qua tamen ſæpius putrefactio & corruptio humorum, unà cum illorum inflammatione febrili, eaq; nimia ſuboritur) miſſione ſanguinis ſæpe evaneſcere, atq; è medio tolli. Negant tamen peſtilentem corruptionem ab obſtructione ſemper proficiſci, ſed potius à veneno quodam, & contagione, de qua ſupra pluribus tractavimus, cum de cauſis ageremus. *Peſtis non ſemper ab obſtructione & copia humorum procedit.*

Eo verò caſu poſito, ſanguinis miſſio-

nem

nem nihil dicunt profuturam, imò potius valde obfuturam, cum valdè verendum ſit, ne humores, & bilis præſertim, quæ cæteris omnibus eſt ſiccior, & inflammationi propinquior, ita incaleſcant & inflammentur, ut malum ſemper vergat in deterius.

Illud autem, ut magis ac magis exemplo quodam oculis ſubjiciant, aquam vitæ producunt; quæ ſi à ſuo phlegmate ſeparetur, citius multo flammam concipit, quàm ſi cum eo conjungatur. In hujus quoq; rei confirmationem vinum proferunt, quod ſi merum ſit, magis quàm cum aqua permixtum calefaciat: nec non lignum aridum, quod multo facilius quàm viride humore ſuo aquoſo & radicali præditum, igneſcat & comburatur. Idem quoq; illorum judicio, de bile dici debet, quæ cum ſit humor corporis humani ſiccior, ſi à ſanguine humido, quo veluti irrigatur & temperatur, ſeparetur: citius multò atq; velocius ſe ſola incandeſcit. Quoties verò venæ ſectio admittitur; ſiccus & humidus ſanguis, non ſecus, ac bonus & malus educitur. Imo vero id etiam incommodum accidit, ut humores frigidi, crudiores evadant atq; ferociores: calidi vero ſæpius, juxta Avicennæ ſententiam,

*Exemplum aquæ vitæ ad ſanguinem accommodatum.*

am, magis ac magis inflammentur. Quocirca idem Auctor eleganti admodum translatione, ſanguinem frænum bilis appellat: eo quod ille humido ſuo radicali, velociorem iſtius motum refrænet, impediatq; ne nimis ferociat: hoc eſt humiditate ſua nativa ingentem illius fervorem & ſiccitatem temperet & moderetur.

*Exemplum contrariæ ſententiæ exploditur.*

Ad exemplum vero ſupra narratum, quo contrariæ partis fautores utuntur, ut oſtendant, miſſione ſanguinis ardorem humorum mitigari, non ſecus ac vinum ebulliens ea ratione ſedatur, qua exhalandi libera ei facultas tribuitur: Raymundus à Vinario & Dalechampius, viri inprimis celebres, qui ſectioni venæ ut plurimum in morbis peſtiferis interdicunt, hæc ipſa verba ſubſequentia opponunt:

,, Falſum igitur quod vulgo dictitant, ad humorum noſtri corporis leniendos fervores, ſanguinẽ educi oportere, exemplumq; planè ridiculum, quod ad id excogitaverunt: ut dolio comprehenſum vinum fervere deſinit aliquando, ſi demattur, ſic & detracto ſanguine, humoris fervorẽ compeſci. Etenim vini fervor acris, intromiſſa frigiditate, ut rerum quæ bulliunt omniũ injecta frigida, cohibetur, non vero ob tantulum id quod effundimus. Atq; adeò

quamvis

quamvis nonnihil miteſcat hac ratione, "
prorſus tamẽ non extinguitur. Rurſus n. "
poſt efferveſcunt,& vinũ cum aëri præclu- "
ſeris aditum,& quæ ad ignem ebulliunt o- "
mnia, cũ nihil præterea frigidæ inſtillabi- "
tur. Itaq; vena incidenda minimè eſt, nec "
in omnib. ſine diſcrimine: quod percuſſo- "
ris eſt, laniſtæ, aut gladiatoris, non Medici. "

Quod ad Hippocratis demum, & aliorum Græcorum ſcriptorum ſpectat auctoritatem, quam multoties jactitant, qui miſsionem ſanguinis, in peſte, & omnibus febribus peſtilentialibus admittunt: alii contra referunt, quod Galenus ipſe ad peſtem averruncandam nullum aliud remediorum genus præter Antidotos, Theriacam & Bolum adhibeat, quodq; in lib. de different. febrium, cap. de febre peſtilenti, ne verbum quidem de miſsione ſanguinis faciat. Imò verò eandem penitus ipſemet videtur improbare, in libro de ſuccorum varietate atq; vitio, cum de peſte diuturnam quandam peſtilentiam ſubſequente loquitur: quo certè in loco declarat, non immeritò quoſdam Medicos, venæ ſectionem ob virium imbecillitatem, tunc temporis in tali peſtilentiæ genere, reſpuiſſe. Hæc porrò imbecillitas virium atque debilitatio, eſt præcipua inter cæteras

*Quibus remediis ad peſtis curationem Galenus uſus ſit.*

cæteras cauſas, quæ plurimos, ad id genus remedii improbandum commovet: quam ex eo præterea confirmant, quod hujuſmodi ſanguinis miſsio impediat, quo minus venenum à centro pellatur ad circumferentiam. Præter id, cum quod vires nimium in morbo peſtifero debilitantur, natura à ſalutari motu, quem moliri poſſet, diſturbatur: cum tamen illius ope atq; beneficio per modum cujuſdam metaſtaſeos, diadoſeos, atq; translationis, materia morbi exterius, per loca convenientia eſſet confeſtim expellenda.

*Sanguinis miſsio quantum in peſte noceat.*

Illi deinde, ad ſuæ confirmationem ſententiæ, ſubjungunt, venenum peſtiferum non mediocrem habere cum aliis ἀναλογίαν, atq; convenientiā, quæ corpus humanum infeſtant, ſive animalium venenatorum morſu inferantur, ſive potu exhibeantur: ſive modo quodam alio occulto communicentur: prout nos, è præcipuorum Medicinæ Coryphæorum auctoritate docuimus. Iſtis tamen morbis, quos prædicta venena, cordis regionem ut plurimum obſidentia, comitantur, nullus celebrium, ut ajunt, Medicorum, miſsionem ſanguinis adhibuit: Imò verò longe, ea potiſsimum de cauſa ſubmovit, quod per illam venenum, ſecundum Avicen-

*Miſsio ſanguinis corporibus venenatis noxia.*

nam

nam,celeriùs multo ad cor ipſum, vitæ totius arcem aaq; propugnaculum expugnandum, deferatur.

Deniq; ut propriis,quæ in medium proferuntur, experimentis, circa felicem vel infelicem talis remedii ſucceſſum, occurratur: quidam bonis avibus venam incidendam præbuerunt, quidam vero ſecus. Quiſquis celebriores Medicos qui centum ab hinc annis has obſervationes ſcriptis ſuis inſeruerunt, perlegerit: illos procul dubio hac in parte,plurimum inter ſe diſſidentes comperiet, illorumq; præterea numerus, qui infauſtam venæ ſectionem animadverterunt, aliorum paucitatem, longo ſuperabit intervallo.

*Argumento ab experientia ducto reſpondetur contraria experientia.*

Fallopius inter alios obſervat,quotquot venam Chirurgis incidendam ab anno 1524. uſq; ad 530. admoviſſent, è medio fuiſſe ſublatos: alios vero qui detrectaſſent,ut plurimum convaluiſſe.

Septem aut octo anni ferè ſunt elapſi, ab eo tempore, quo regionem Lemovicenſem & Marchianam perluſtrabam, quoq; non paucæ illic vigebant peſtilentes pleuritides: illud pro certo mihi fas ſit affirmare, eos quibus ab initio ſanguis detractus fuiſſet, expiraſſe, alios vero qui poſtmodum à venæ ſectione ſibi tempe-

raſſent, atq; purgationibus ſibi conſuluiſſent, vel ab ipſo morbi ſævientis initio, incolumes, pauciſſimis deſideratis, evaſiſſe.

Tot igitur, tamq; ſibi repugnantes ſunt hac in quæſtione Medicorum ſententiæ: quibus, tempus poſtulat, ut noſtram pariter ſubjiciamus.

*Judicium Auctoris in hac controverſia.*

Illud inprimis hoc loco, antequam ad controverſiæ totius definitionem accedamus, accuratè eſt præſtandum, ut omnes tam naturæ mali, quàm virium & temperamenti ægrotorum, circumſtantiæ, recto judicii æquilibrio perpendantur.

Quod autem ad morbum attinet, illud eſt ſedulò obſervandum, num malum communicatum fuerit, & à cauſa externa ſubortum: an contra in nobis per cauſam quandam internam, per propriam ſcilicet humorum noſtrorum corruptionem ingeneratum fuerit.

*Quænam cautelæ in ſanguinis miſſione ad peſtem curandam adhibendæ.*

Si peſtis per cauſam quandam extrinſecam nos invaſerit, eò quod nimirum aliquem peſtilentia correptū adierimus, vel ſupellectilia quædam contagione infecta contrectaverimus: à ſanguine mittendo penitus eſt abſtinendum. Niſi ſi magna inſit corpori humorum copia & plenitudo, quæ nos in ipſa prima morbi irruptione, ad id muneris obeundum, vel invitos evocaret.

Verùm

Verùm ſi morbus peſtilentialis, à ſe primum in nobis innatus fuerit, tunc etiam vel in ſua ſcaturigine atq; principio, vel in ſuo progreſſu ſpectari debet: ſive ut clariùs loquar, quando primùm perſonam ſubiit, vel aliquem ſucceſſu temporis vigorem, & incrementum accepit.

In principio quidem, ſi febris inardeſcat, æger nimiùm ſit obeſus aut plethoricus, ſi vaſa habeat turgentia, ſi urinas craſſiores & rubicundiores emittat, ſi magnis doloribus urgeatur, ſi quietem nullam capere poſſit, ſi vigiliis, & ventriculi ardoribus laboret, & demum pulſu polleat valido, qui vires minimè eſſe dejectas arguat, atq; denunciet: tunc certè magnus error incurreretur, nî ſanguis ad magnam etiam quantitatem emitteretur. Id autem primò vel ad minimum ſecundo morbi incipientis die fieri debet. Nam ſi tertia lux expectetur, miſſio ſanguinis eſt penitus omittenda. Tunc enim cùm malum vires ſuas acceperit, & vires ægri in pejus collapſæ fuerint, cor, ſedes vitæ, optimis quibuſque alexiteriis præſervandum occurrit: ut vis veneni plurimùm jam progreſſa expellatur, aut ſaltem imminuatur. Unde colligere cuivis facilè licet, venæ ſectionem nuſquam

*Miſſio ſanguinis primo aut ſecundo die in peſte facienda.*

eo tempore, niſi valde periculosè & importunè futuram, qua robur ægri imbecillius redderetur.

In hanc Fracaſtorius, Heurnius, & alii quamplurimi, pedibus eunt opinionem, cui ego meum pariter adjicio calculum, illam interim improbando, quæ mali ſtatum operiendum eſſe decernit, ſive potius poſt mortem Medicinam. Etenim cum morbo tam lethali & mortifero præſens ſit adhibendum auxiliũ, nec ulla procraſtinatione differendum: cumq; præterea duo præcipua quæ opem eidem præſtent, remedia, ſint miſſio ſanguinis, & purgatio, ut antea declaravimus: illa ut quamprimum adſciſcantur, inprimis neceſſe eſt, vel ipſius Hippocratis decreto, dicentis: *Si quid movendum videatur, de principio move.* Quo loco verbo *oportet*, aut *neceſſe eſt*, utitur, quo peritus atq; prudens Medicus diligentem cautionem adhibeat: utrum tales evacuationes procurandæ ſint, vel ſecus. Quod ſi in omnib. morbis, idipſum pondus, & locum habere debet, eſt quod in peſtilentiis accuratè potiſſimum perpendatur: quæ diverſos vultus atq; figuras, inſtar cujuſdam Protei inconſtantis ſubeunt. Cùm ſæpenumero videamus, in quibuſdam ſanguinis miſsionem,

*Cur remedia in peſtis curatione non ſint differenda.*

*Peſtis cur Proteo ab authore comparetur.*

atq;

atq; purgationem ſaluberrimam: at in aliis valde noxiam, quæq; mortem facilius ſecum inferat. Sagax igitur Medicus animum huc intendat, neceſſe eſt, ut maturè ſecum colligat, quòd ex utriſq; remedium, peſtibus ſuo tempore ſævientibus exterminandis, erit aptius, atq; ægri ſaluti convenientius. Non me fugit proculdubio, quin non ſecus, ac in ſubitis armorum tumultibus, obvii quiq; initio ſternuntur: ſic plurimos peſte incipiente ſublatum iri. Sed ut ad propoſitum redeamus, Medici laudatiſſimi eæ partes meo judicio cenſeri debent, ut magis tepidus ſit quàm incitatus: & parcus, quàm ad effundendum humanum ſanguinem vitæ totius balſamum, prodigus atq; proclivis. Quod ſi in peſtilentibus morbis faciendum ſit, id primis quibúſq; diebus, quàm aliis ſubſequentibus, peragatur.

*Quale ſit Medici periti officium.*

Verùm enimverò, ne in tam gravi aſſertione ſtabilienda, ſine capite & authore progrediar: audiamus, amabò, quidnam hac de re doctiſſimus Heurnius in libro ſuo de peſte, cap. 5. præſcribat. Ubi poſtquam multis ſpirantibus rationibus adductus, oſtendit ſanguinis miſſionem magis peſtiferis obeſſe, quàm prodeſſe, in eos agens qui ſuæ refragantur ſententiæ, ſic

*Conſilium Heurnii circa ſanguinis miſſionem.*

 ait:

„ait: Si nec his rationibus perſuaſi, nec au-
„thoritate veterum moti, abire à ſententia
„nolint, oro, ſi ægrorum eis ſanitas, ac vita
„chara, ne poſt triduum peſte afflictis ve-
„nam aperiant: gravis enim jam tum viri-
„um imbecillitas in procinctu erit, pabula
„vitæ jam invadente veneno.

*Quænam vena in peſte ſcindenda.* Non eſt porrò hic omittendum, de vena, quæ ſit incidenda, pertractare, cum id plurimi interſit. Nam ſi bubo in collo prima die, prout fieri poteſt, apparuerit, majoraq; ſint in capite ſymptomata: cephalica ſecundum communiorem opinionem erit aperienda. Verùm quando è collo tenus verſus umbiculum bubones iſti manifeſtantur, baſilica erit ſcindenda. Quod ſi infra umbilicum anthraces peſtiferi unà cum reliquis ſymptomatibus comperiantur, & bubo in coxendice innoteſcat: tunc è ſaphena, vel illa quæ dicitur Malleoli vena, miſſio ſanguinis erit procuranda.

Ea enim in tam periculoſo caſu cautio eſt adhibenda, ut ſanguis ex illo, quo vergit & apparet malum, loco & regione emittatur, ut ſic derivationi & declinationi cauſæ antecedentis inſerviatur. Si enim è latere & ſede fiat oppoſita, utilitas nulla, vel certè admodũ tarda ſubſequetur, è qua nullum mali levamen æger relaturus ſit.

Et

Et hoc eſt celebriorum Medicorum hac in parte decretum.

Quod ſi aliquando contingat (ut ſæpè numero olim accidit) ut febris peſtilentialis ſine ulla bubonis utrinq; manifeſtatione corripiat, in qua tamen ſanguinis miſſio ſit requiſita: è quanam vena aut corporis regione ſanguis elicietur, ut huic interrogationi ſatisfiat, reſpondemus, venæ ſectionem tunc temporis non à brachio dextro (ut in more nihilominus eſt poſitum) eſſe faciendam, ſed potius è baſilica ſive mediana brachii ſiniſtri: eò quod illæ majorem habeant cum venis & arteriis pulmonis, & cordis, quàm reliquæ, communicationem atq; reſpectum. Si dicti mei rationes Lector ſtudioſus efflagitet, conſulat Fernelium lib. 2. Method. cap. 7. *Quæ rurſus vena in peſte ſit ſcindenda, quando Bubo non apparet.*

Si quantitas præterea mittendi ſanguinis inquiratur, illa nullam penitus aliam regulam agnoſcit, quàm vires ipſius ægri, à quibus prima atq; præcipua curæ indicatio eſt petenda: ea nihilominus cautela adhibita, ut ſemper minus, quàm nimium ſanguinis detrahatur. *Quantum ſanguinis in peſte mittendum.*

Horam fortaſſis, qua prædicta venæ ſectio fieri debeat, aliquis inveſtigabit: ea meo certè judicio ſeligi debet, quæ minus negotii, & doloris laboranti faceſſet, *Qua hora venæ ſectio facienda.*

& matutina potius quàm veſpertina.

Utrum verò ſanguis literato ſit extrahendus, nec ne: celebres Medici non in una ſunt & eadem opinione. Fernelius iterationem ſanguinis mittendi, lib. 2. Methodi, in cura febrium peſtilentialium videtur admittere. Palmarius è contrario, cùm multis aliis improbare. Ego verò qui partes illorum potiſſimùm amplector, quibus miſſio ſanguinis in peſtibus, niſi rarò, magnaq; pariter deliberatione præcedente, redarguitur: eandem nec poſſum, nec debeo venæ ſectionem iterato repetere, quæ multò plus ſemper detrimenti, quàm ſolatii peſtilentia conflictatis afferet.

*lib. 2. de febre peſtilenti, c. 23.*

Quædam ſunt porrò, quæ vel ipſius Galeni Judicio, viciſſim ſanguinis miſſioni reſpondent, & parem ferè cum illa effectum ſortiuntur: qualia ſunt, ſanguiſugarum applicatio & cucurbitularum, quæ magnis ſcarificationibus conjunguntur, ut in copioſa ſatis quantitate, ſanguis à femoribus & aliis partibus, quæ venenum à centro ad circumferentiam derivare poſſunt, extrahatur. Sic enim natura à ſuo graviſſimo & moleſtiſſimo inprimis onere, ſine ulla manifeſta virium, qualis in venæ ſectione ſæpe contingit, reſolutione atq; decremento, ſublevabitur.

*Quænam in peſte ſanguinis miſſione reſpondeant.*

Mer-

Mercurialis unà cum Maſſaria, id genus remedii potiſſimùm commendant, licet illud à veteribus neglectum, & oblivioni mandatum fuiſſe dicant, non ſecus ac ſcarificationes, quas olim plurimum invaluiſſe conſtat. Ego verò, ut quod ſentiam, ingenuè profitear, hæc à me nequaquam opinio reprobatur, imò verò tantam culpam atq; errorem nuſquam exiſtimare ab iſtis ſcarificationibus proficiſci, quantam è ſanguinis miſſione, quæ nimia, nimisq; frequenter in peſtibus uſurpatur. *Scarificationum uſus in peſte comprobatur.*

At verò antequam ad venæ ſectionem à Chirurgo procedatur, ego paululum inteſtina evacuanda cum aliquo clyſtere emolliente, & refrigerativo præſcriberem, cui purgativa benigniora, & minus interes communes calefacientia adjicerentur, vel purgativum quoddam ſpecificũ Chymicum, Crocus ſcilicet metallorum, qui certè clyſterem præſtabit ſalubriorem, eò quod nullo modo calefaciat, & tamen benignè ſufficienterq; evacuet, ſi ad unius vel duarum drachmarum doſin exhibeatur. Cujus rei fidem faciet præſcriptum Hippocratis frequentiſſimum, qui ſolo nitro cum aqua permixto in pluribus clyſteribus utitur, ut ſine ullo caloris externi *Præcautio ante ſanguinis miſſionem.*

additamento expurget: nitrum autem hujuſmodi eſt præcipuum Croci Metallorum ingrediens & fundamentum.

*Potio cordialis ante venæ ſectionẽ adhibenda.*

Demum ante prædictam ſanguinis miſſionem, potionem aliquam cordialem & Bezoardicam è noſtris ſupra deſcriptis, quæ cor inſtauraret atq; recrearet, propinandum exiſtimarim: ut ſic melius ſaluti laborantis conſuleretur, juxta illud Heurnii peritiſſimi conſilium lib. de peſte, cap. 9. Quare qui ſanguinem ducunt, vel purgant ægrum, maximè, antequam antidotum propinaverint, quod vires firmat: ægrotum præcipitant.

## *De Purgatione, medicamentisq; ſudorificis.*

## CAP. VII.

*Variæ circa purgationẽ in peſte faciendam, vel ſecus, ſententiæ.*

HIs omnibus de miſſione ſanguinis prænarratis, ſequitur modò, ut de ſecundo maximeq; ſolenni peſtiũ remedio, purgatione videlicet, oratio inſtituatur: circa quam variæ ſunt, multumq; ſibi refragantes & adverſantes Medicorum ſententiæ. Quidam enim purgationem nuſquam non adhibendam decernunt, alii verò contra eandem rejiciunt. Qui pro purgatione faciunt, eo inprimis fulciuntur

tur argumento: quod fieri non poſſit, quin plurimi eorum qui peſte corripiantur, cacochymia non laborent, & maximis humorum corruptionibus abundent, quæ nihil aliud ſunt, quàm contagionis ſeminaria: proindeq; conſequi dicunt, purgationem illis præ cæteris eſſe neceſſariam, vel eo ſaltem nomine, quod Antidoti, mali veneno bellum indicentes, ſuo nimio quo pollent calore, nimiùm febrem, perpetuã ferè peſtilentiarum comitem intendant, & humores à quibus ſuboritur, atq; fovetur, ita calefaciant: ut inde phlegmone quidam internus, circa vitalia cordis ipſius præcordia, atq; regionem excitetur. Cui ſymptomati, purgatio cautelam nunquam non præſtitura ſit fideliſſimam.

*Argumenta pro illis qui purgationẽ in peſte admittunt.*

Alii verò rationibus prædictis opponunt, peſtem cujus cauſa in maligna quadam & venenata qualitate verſatur, potius alexipharmacis quibuſdam malo averruncando idoneis eſſe curandam, quàm purgativis, quæ ſolam quantitatem ſuperefluentem evacuant: cum peſtis nihilominus, non tam è copia humoris nimia, quàm ex occulto quodam veneno ſuboritur.

*Argumenta ſententiæ contrariæ.*

Huic præterea rationi ſubjiciunt Galenum ipſum, atq; plurimos alios, feliciter in

*Authoritas Galeni contra purgationem.*

in peſtibus profligandis ſolo bolo Armeno, aut Theriaca, aut aliis ſimilibus alexiteriis Bezoardicis (ſic enim ab Arabibus nuncupantur) uſos fuiſſe, nec ullam penitus purgationem adhibuiſſe.

Sic Hippocrates ſuam Athenis ſolam Antidotum, prout aſſerit Actuarius, uſurpavit, cujus ergô, palmam publicam atq; coronam promeritus fuiſſe dicitur: eò quod illius beneficio, juxta id quod traditur à Maſſaria, urbem Athenas, à peſte quæ illam diu infeſtaverat, vindicarit. Hujuſmodi autem Antidoti deſcriptionem videre licet apud Actuarium accuratè delineatam lib. 5. Methodi, cap. 6. quo in loco tamen nihil aliud eidem ineſſe reperietur, præter res communes, multumq; calefacientes, quales ipſam ſæpenumero Theriacam ſubeunt atq; ingrediuntur.

*Antidoti quæ Hippocrates in fugienda peſte Athenienſi uſus eſt, deſcriptio.*

Non me latet, nihilominus quoſdam aſſeveraſſe, hujuſce Antidoti deſcriptionem nunquam Hippocrati in mentem veniſſe: ſed gravi hac in re authoris Græci, nempe ipſius Actuarii nitor auctoritate, quæ plus ſola apud me habet momenti, quàm multiplices aliquot modernorum, contrariam partem propugnantium contentiones.

Ex iis igitur conſtare poteſt, quomodo Me-

do Medicorum plurimi, non vulgari doctrinæ nomine commendati: in varias ſuper hac purgationis, tempore peſtis faciendæ, vel ſecus, controverſia, ſententias diſtrahantur.

Ex iis vero rurſus qui purgationem admittunt, non omnes ſuper purgativorum electione conveniunt. Quidam ſtant à parte fortiorum atq; violentiorum, qualia ſunt Helleborum, Euphorbium, atq; inter compoſitiones utiliores, Hiera Diacolocynthidos, & Confectio Hamech: idq; ſe juxta Hippocratis decretum præſtare dicunt, aſſerentis: in extremis morbis, qualis meritò peſtis cenſeri debet, extrema remedia eſſe adhibenda.

*Opiniones diverſæ circa purgativorum electionem.*

Alii vero purgativa mediocria commendant: ut ſunt, Rhabarbarum, Senæ, Agaricus. E numero compoſitionum, Catholicum, Diaphœnicum, Electuarium de Citro, de Pſyllio, Diaturbith, Diacarthami, & Tryphera Perſica, quam unum è ſpecificis remediis peſtilentiæ eſſe jactitant. In eadem, circa Tripheram Georgius Agricola, cum plurimis aliis verſatur opinione: verùm ſucci Solani loco, quod mentem de ſua ſede dimovere poteſt, ſuccum Citri ſupponendum eſſe cenſemus.

Aliis

Aliis demum remedia purgativa probantur benigniora, & magis lenitiva, qualia ſunt Caſſia, Electuarium lenitivum, vel manna in jure pulli gallinacei diſſolutum, idq; velut excellens ſpecificum à Philippo Ingraſſia commendatur.

Fracaſtorius verò ſolum ſyrupum roſarum ſolutivum, contra febrim peſtilentialem præ cæteris extollit.

Syrupus fumi terræ, & pomorum ſolutivus, nonnullis inter alia celebratur, eò quod omnes humores aduſtos & melancholicos, qui præcipuè in febribus & morbis peſtiferis abundant, benignè expurget.

*Quo tempore hæc remedia purgativa adhiberi debeant.*

At verò, ſi tempus quo talia remedia purgativa adminiſtrari debent, inquiratur, quidam præparationem humorum expectandam eſſe volunt, opinioneq; Hippocratis ſe fultos eſſe dicunt, qui ſcriptum reliquit: *Concocta medicanda eſſe & movenda; non cruda.* Alii verò contra ſentiunt, eò quod malum nimis urgeat & præcipitet: cujus ſæpè malignitate fieret, ut mor omnem præparationem & concoctionem humorum anteverteret. Quod ſi ad ſua aſſertionis confirmationem, authorita Hippocratis deſideretur, proferunt hæ ipſius verba: *Si quid movendum videtur*

ci

*de principio move*, quæ ſuperius annotavimus.

Cauſa tot ſententiarum inter ſe digladiantium, non alia è Mercurialis judicio aſſignari debet, quàm vis, magnitudo & malitia peſtilentiarum, & id genus morborum Epidemiorum. Sive enim purgatio adminiſtretur, ſive eadem retardetur: vel ſi purgatio cum remediis violentis, aut benignis conjungatur: vel ſi ipſo ſtatim morbi initio, vel poſtea exhibeatur: ſive demum aliquis hac in parte lapis, aut opera moveatur: omnia ubiq; periculis ſunt obnoxia, imò plerumq; inopinatò mors præ foribus, contra peritiſſimorum quorumcunq; Medicorum experientiam accubat, aut ab ipſis etiam non prævisa, laborantem trucidat.

*Cauſa tot opinionum inter ſe diſſidentium.*

Hanc in rem operæ pretium mihi videtur, egregium quoddam Maſſariæ reſponſum, ex initio libri de cura Peſtis, mutuari, contra illos potiſſimum illatum, qui Medicinam atque Medicos hucuſque cavillantur, eò quod nullum certum & ſpecificum, ad peſtilentiam exterminandam remedium adinvenerint, unde graviſsimo ignorantiæ nomine traducuntur. Illo quippe reſponſo luculenter eluceſcit, ipſoſmet cavillatores reprehenſione

*Reſponſum pro Medicis in cura peſtis notandum.*

eſſe

eſſe dignos, nec parum ignoratione rerum, tum humanarum, tum divinarum laborare: cum adeò mente ſint obtenebrata, ut non agnoſcant, hæc mala à divino numine noſtris ſcelcribus inflammato ſæpè tranſmitti, eaq; eſſe flagella quibus non rarò crimina noſtra puniantur, nullis humanis viribus avertenda: nec Peſtem propriè tale ſortitam fuiſſe vocabulum ni majorem e rum, quos invadit partem, de medio auferret. Hoc eſt nimirum Omnipotentis decretum, quod ſuprà ſub finem capitis ſexti libri primi, in hæc verba produximus: Si in decretis meis ambulaveritis, dabo vobis pluviam ſuo tempore: ſin autem non audiveritis me, conſtituam ſuper vos tabem, peſtilentiam, & ſcabiem, quæ non poſſit curari, ac dabo vobis cœlum ſicut ferrum, & terram ſicut æs.

*Peſtis cur ſic dicta.*

Illud porrò divinum decretum omnibus objicio, qui Medicinæ atq; Medicis detrahunt, quando minùs ad votorum ſuorum portum appellere, nec ſuam ægris ſanitatem ad libitum inſtaurare poſſunt. Hæc enim virtus non hominibus, ſed ſoli Deo reſervatur: ab hominibus enim, quæ ſunt ultra eorum vires, non ſunt expectanda, imò ſatis ſuperq; ab illis actũ eſt, quando ſuo munere fideliter accurateq; perfuncti fuerint.

Sed

Sed ad ſermonem de purgatione conſtitutum regrediamur, & poſt diverſas circa illam Medicorum opiniones, noſtram inſuper adjiciamus, oſtendamusq; quodnam purgativorum remediorum nobis ſit utilius atq; convenientius.

Si corpus ſit cacochymicum, & putridis, qui malum foveant, atq; ſuſtentent, & febrem ſecum invehant, abundet humoribus: non verebor ægris meis ſpecificum quoddam remedium, quod prædictos humores corruptos & vitioſos expurget, quodq; qualitatem ſimul venenatam retundat, exhibere. *Conſilium Auctoris in purgatione peſtis.*

Hæc autem eſt Medicorum peritiorum, & magis in arte ſua verſatorum ſententia: ut adhibeantur una cum purgativis ſuis in peſte curanda Alexiteria & Bezoardica communiora, ſi aliorum uſus aut cognitio illis deficiat.

Palmarius in aquis cardui benedicti rhabarbarum infundendum eſſe docet, aut certè in aqua ſcabioſæ, aut alia quadam Theriacali: cum quo præterea remedia quædam cor corroborantia ſæpius conjungit. *Purgativum contra peſtē Palmarii.*

Si verò cum bolo caſſiæ & rhabarbari purgare tentet, mithridatium unà permiſcet.

*Heurnii.* Heurnius demum ſuum ſpecificum purgativum hunc in modum præparat.

℞. Cæpe candidum, quod à parte ſuperiore excavatum repleatur drachmâ Theriacæ, qua cum tantillam pulveris tormentillæ & dictamni commiſceatur: cæpe prædictum eo modo repletum charta quadam involvatur, & ſub cineribus calidis coquendum reponatur.

Deinde in mortarium contundendum, una cum additione aceti, calendulæ, & aquæ cardui benedicti injiciatur, ut inde fiat expreſſio. In qua rurſus, pro mollioribus & delicatioribus Trypheræ perſicæ ſemiuncia ab illo ſuperadditur. Hæc compoſitio apud Pharmacopolas communiter reperitur, quam ſpecificum in ſuo genere contra peſtem remedium, ſupra aſſeruimus. Pro robuſtioribus vero, idem adjicit drachmam confectionis Hamech, vel Electuarii quod Indum appellatur, nec non alteram drachmam Electuarii de ſucco roſarum, quòd ad retorridos humores bilioſos refrænandos ſint valdè accommodata.

*Judicium Auctoris de purgativo Heurnii.* Hoc eſt ipſummet Heurnii purgativum, quod minùs, ut arbitror, ab omnibus recipietur, licet in illius commendationem, ſequentia verba ſubjungat: Hoc

purgat

purgat & mox ſudorem provocat,& vene- “
no reſiſtit,cor enim firmat. Hic enim nul- “
lus ſegnitiei locus eſt,omnia ilicò agenda, “
nec metuo contrarios eodem tempore “
motus. Natura enim niſi ilico vindicetur “
ab hoſte, conclamatum eſt: uſus hæc do- “
cuit proba eſſe. Si verò corpus purum eſ- “
ſet, à pravis ſuccis nollem illud purgari. “

Hucuſq; doctiſſimus Heurnius, qui ſua tempeſtatę infinitos penè contagione ſideratos curaverat. E quibus certè verbis colligere poſſumus, non omnia purgativa peſti curandæ eſſe conſentanea: verùm illorum ejectionem maturo judicio eſſe faciendam. Nihil enim, aut parum herclè proderunt, niſi Alexiteriis & Bezoardicis conjungantur.

Gentilis ſcriptis ſuis mandavit, quoſdam ſuo tempore Medicos non infeliciter Diagridiis quibuſdam veluti ſcammonea, in peſtium profligatione uſos fuiſſe. *Purgativa contra peſtem Gentilis.*

E celebrioribus Medicis, nonnulli hanc in rem Euphorbium, ut ſpecificum contra peſtem purgativum experti ſunt: unde pilulas ita conficiunt, ut cum duabus partibus croci, & aliis duabus maſtichis, altera pars Euphorbii prædicti ſine ulla præparatione permiſceatur.

Fallopius ipſe, non parum id genus re- *Et Fallopii.*

medii extollit, eò quod ſalubres multos ex illis effectus exortos agnoverit.

*Judicium auctoris circa euphorbium.*

Ut autem, quoddam ſit meum hac in re judicium aperiam: inter remedia peſtis purgativa, nulla ratione probare poſſum Euphorbium calidum atq; cauſticum, nec colocynthida, nec ſcammoneam, nec id genus ſimplicia gummoſa, & nimium calefacientia, quæ præcipuum nihilominus inter compoſitiones noſtras, eaſq; ſolemniores, locum occupant. Quid enim aliud eadem præſtent non video, niſi quod corporibus ignem admoveant, naturam violenter afficiant, tàm bonos quàm pravos humores ſæpe numero mixtim evacuent, & illis plurimum noxæ, qui tamen eorum uſum recipiunt, inferant.

*Objectionis cujuſdam refutatio.*

Quod ſi mihi opponatur: Ad vires veneni comprimendas, res bezoardicas, quæ ſua ſunt natura calidiſsimæ, unà cum prædictis remediis calidis, & inflammationibus adhiberi: ego quoq; reſpondebo, tantum abeſſe, ut ſic humor putridus qui febrim generat evacuetur, quin imò magis ac magis irritatur, & in perniciem ægroti inflammatur.

Si rurſus objiciant, inter claſſes remediorum purgativorum, præter violenta, de quibus modo locuti ſumus, alia reperiri medio-

mediocria, eaq; magis lenitiva & benigniora, qualia ſunt rhabarbarum, ſenna, agaricus, myrobalani, caſſia, manna, ſuccus roſarum pallidarum, & ſimilia: è quibus diverſæ remediorum purgantium formulæ conflari poſſint, quæ non ita ac præcedentia inflammabunt, & violenter afficient: idipſum libenter admitto & benigniorum potius electio à me, quàm reliquorum in febribus peſtilentialibus fieret. Illud enim mihi ob oculos inprimis obverſatur, ut in prædictis morbis natura benignè à ſuis humoribus corruptis & putridis, à quibus opprimitur, liberetur: utq; ſimul venenum ea qua ſequitur ratione propellatur. *Purgativa mediocria quænam.*

℞. radicum oxylapathi, tormentillæ, ſcorzoneræ, uniuſcujuſq; drachmam dimidiam, endiviæ, portulacæ, citri, & cardui benedicti ſingulorum drachmas duas, florum bugloſſi, borraginis, violarum, & cichorii ſingulorum pugillum unum: myrobalanorum chebulorum, & citriorum, ſingul. drachmas duas. Omnium fiat decoctio, è qua, poſtquam clarificata fuerit, tantum capies quantum ad doſin ſufficiet, addendo ſucci limonum ſemiunciam, ut aliquantulum reddatur acidula. Cui macerabis per viginti-quatuor horas in *Purgativum contra peſtem Auctoris.*

balneo Mariæ tepido foliorum ſenæ ſemiunciam, rhabarbari drachmas duas cum ſemiſſe, ſantali citrini ſcrupulum unum. Omnium fiat expreſſio, cui ſuperaddantur, ſucci roſarum pallidarum, & florum perſicariæ ſingulorũ ſemiuncia vel drachmæ ſex, cornu cervi præparati ſcrupuli duo, pulveris unicornu, & lapidis bezoardici, utriuſq; grana duo vel tria, & inde fiat potio.

*Aliud ejuſdem.* Aliud remedium purgativum valde, contra prædictos morbos ſpecificum, & omnibus perſonarum generibus, imò infantulis ac delicatulis accommodatum.

℞. aquarum oxalydis ſcabioſæ, & pomorum curtipendulorum, ſingulorum unciam, ſucci citri depurati, uncias duas: in liquoribus iſtorum ingredientium invicem permixtis diſſolvatur ſalis hypericini bene depurati ſcrupulus unus. In hiſce omnibus poſtea per 24. horas macerentur foliorum ſenæ drachmę ſex, ſantali citrini, cinnamomi optimi cujuſq; ſemiſcrupulus. Omnia in una tantum ebullitione decoquantur, & dein exprimantur: expreſſioni adde, ſyrupi cótoneorum ſine ſaccharo & melle præparati) prout in noſtra Pharmacopœa edocetur) unciam unam, eſſentiæ corallorum & perlarum, ſinguli

grana

grana ſex, unicornis, & lapidis bezoardici, ſingulor. grana tria. Inde fiat potio, quæ multum guſtui erit accep . Nam præterquam quod ſal hyperici eſt bezoardicum & proprium contra omnes corruptiones, virtutem ſenæ purgativam multum adauget: & præterea ſyrupus cotoneorum, ut antea dictum eſt, valde eſt bezoardicum, roborativum, atq; ſimul purgativum, ut inde conſtet potionem prædictam plurimum contra peſtem profuturam.

Quod ſi in gratiam robuſtiorum, & minus delicatorum virtutem ſupradictis remediis purgativis addere velis, id fiet adjectione duarum aut trium drachmarum Trypheræ Perſicæ compoſitionis Meſuæ, aut Joannis Damaſceni, quæ cum nullatenus calefaciat, plurimum affectibus contagioſis curandis inſervit. Verùm loco ſolani, ſuccum citri, vel pomorum curtipendulorum, aut certè florum violarum, ob rationes ſupra narratas adjicerem.

*Tryphera perſica commendatur.*

Illis præterea electuaria de citro, de pſyllio, de ſucco roſarum, adjici poterunt, ad doſin duarum è quolibet vel trium drachmarum, pro perſonis bilioſis & atrabiliariis. Ea n. remedia minus ſunt diagredia & calefacientia, imò verò ſatis omnibus

obvia atq; familiaria, licet eadem à me rarò uſurpentur. Quod ad caſſiam verò attinet, ſive illa coletur, ſive ſecus, licet ſit remedium valde uſitatum, & ad refrigerandum appoſitum, illam tamen parciùs in uſu habeo, & mecum plurimi, ob rationes ſupra relatas, ſentiunt.

*Purgativorũ prædictorum commendatio.*

Ea igitur purgantia, quæ ſunt mediocria & paulò benigniora, locum quidem in ſimplicibus peſtilentialibus febribus, variolis, & aliis id genus morbis endemicis, atq; popularibus, habere poterunt: modo tamen cum bezoardicis minus calefacientibus, juxta formulas à nobis antea præſcriptas, permiſceantur. Nec vero eadem vel ipſis infantulis, antequam malum foras erumpat, vereor propinare: Tantum etenim abeſt, ut eruptionem veneni à centro ad circumferentiam impediant: quin imò ipſam magis ac magis promovent, & à parte ejuſdem veneni, quod aliàs naturam nimium prægraverat & peſſundaret, ſua virtute ægrum exonerant.

*Qua ratione veræ peſti occurrendũ.*

At vero ſi de vera peſte oratio à nobis inſtituatur, ego certiſſimè confirmo, horum remediorum benignitatem atq; mollitiem, nihil, aut parum profuturam. Cum enim illa uſq; ad peſtilentiæ radices atq; fomitem penetrare non poſſint, à

mali

mali malignitate ut plurimum irridentur. Satius ergo fuerit peſti veræ ſævienti, aliquo remedio bezoardico atq; præſtantiori occurrere, quod ſua inſita & abdita proprietate Arſenicales illius qualitates nimis malignas valeat edomare, & expugnare, cui herclè expugnationi, pharmaca, magis è metallicorum, quam vegetabilium claſſe deprompta ſubſervient.

*Quænam purgativa è metallicis remediis ſeligenda.*

Inter purgativa vero metallica, ea nobis veniunt ſeligenda, quæ majorem habent cum venenis, à quibus peſtilentiæ generantur, analogiam atq; proportionem, ut ſic magis ac magis in illa agere poſſint. Venenum enim unum ab alio, non ſecus ac clavus à clavo, ut ajunt, tunditur. Cum igitur antea ſatis abundè docuerimus, venena à quibus ſuam peſtes ducunt ſcaturiginem, eſſe Mercurialia, Arſenicalia, & Antimonialia: alexipharmacis ergo quæ ex Mercurii, Magneſiæ, Arſenici familiis derivantur, ut procul hoc malum averruncetur, neceſſariò utendum erit.

*Eximiæ circa remedia metallica obſervationes.*

Cæterum hoc loco obſervandum eſt, Arſenicum non modo in ſe continere ſpiritum, quo diteſcit, Arſenicalem: ſed etiam ſpiritus Antimoniales atq; Mercuriales. Sic in Antimonio ſpiritus Mercuriales & Antimoniales reſident: & in Mer-

curia viciſſim Arſenicales & Antimoniales, in quibus vires metallicorum purgativæ, ſudorificæ, & vomitivæ ineſſe, prout ſupra demonſtravimus, comperiuntur.

Obſervandum eſt præterea, omnia metalla, etiam imperfecta, & cum metallis, lapides marcheſitas, & alias ſubſtantias metallicas, de iiſdem ſpiritibus Arſenicalibus, Antimonialibus, & Mercurialibus participare. Unde fit, ut diverſis evacuationibus pro quantitate & copia illorum quibus abundant ſpirituum, famulentur.

*Diverſæ ſpirituum Arſenicalium, Antimonialium, & Mercurialium proprietates.*

Etenim cum ſpiritus Arſenicales, magis de natura ſalis fixi participent: ideircò magis ſunt purgativi, quàm ſudorifici, atq; vomitivi. Antimoniales vero quia magis ſulphurei ſunt, & præcipuum inter fixa & volatilia locum obtinent: vomitionem potius, quàm ſudorem, aut purgationem promovent. Mercuriales demum, eò quòd naturæ ſint magis aëreæ, atque cæteris ſint ſubtiliores, ſuos potius per ſudores, quàm per vomitum & alvum, ſortiuntur effectus.

*Quantum poſſit in ſeparatione horum ſpirituũ Chymicus.*

Interim tamen verus Philoſophus, in vitali rerum anatomia verſatus, poteſt è Mercurio, Antimonio, & Arſenico, ſeparatim, vel conjunctim, juxta artis documenta præparatis extrahere remedia quæ ſolum-

ſolummodo erunt vel vomitiva, vel purgantia, vel ſudorifica: aut quæ ſimul purgandi & vomitum ciendi facultatem obtinebunt: vel demum quæ ſimilibus hujuſcemodi, purgandi nimirum, & ſudorem cum vomitu excitandi, virtutibus erunt prædita. Cujus rei probatio in ipſamet operatione, quam infra deſcribemus, tota conſiſtit.

*Prolepſis adverſus contra ſentientes.*

Verùm enim verò, quoſdam iterum obgannire video, mihiq; detrahere, ea potiſſimum de causâ, quod maxima quæq; venena ad toxicum peſtilentiæ expugnandū adſciſco: quodq; præterea me ſpecificas evacuationes, ex illis intrinſecus aſſumptis, mutuari profitear. Fieri enim non poſſe, dicunt, quin illud univerſis Medicinæ legibus adverſetur, quæ in maximorum venenorum ſeriem, hujuſmodi metallica revocant. Verùm hoc unum ab iſtis obtrectatoribus efflagito, ut ſupremum ſuum aliquantiſper judicium ſuſpendant, donec, quibus ego fulciar rationib. atq; argumentis, æqua mentis bilance perpenderint.

Superius à me non ita pridem demonſtratum eſt, quomodo ab omni hominum ævo atque memoria, celebres quiq; Medici, hæc, de quibus agitur, remedia metallica, ad curam plurimorum morborum,

rum, eorumq; graviſſimorum adhibuerint: imo ab illis ipſis non abhorruerint, quæ primam in catalago venenorum ſedem ſibi vendicant. Qualia ſunt ſandaraca, chalcitis, ſpuma & flos æris, æs aduſtum, & ſimilia: quam in rem ipſius Medicorum coryphæi, Hippocratis videlicet, ſuffragium à nobis fuit uſurpatum.

*Maxima quæq; venena in remedium ab antiquis aſſumpta.*

Illud tamen præterea ſubjungam, quomodo temporibus ſuccedentibus, virtutes quædam ingentes, in nonnullis ſubſtantiis metallicis occultæ, innotuerunt: quarum tamen nullam anteceſſores noſtri notitiam exhauſerunt. Hippocrates quippe, nunquam proprietatem lapidis Armeni agnovit, nec etiam Galenus, qui libr. 9. ſimplic. nihil aliud huic lapidi tribuit, præterquam levem quandam cum acrimonia exterſionem, nec ullum illius uſum, niſi externum in oculorum affectibus, & aliis id genus receptum eſſe cupit. Quid tamen de lapide prædicto Trallianus, autor inter Græcos non parum commendatus ſcripſerit: hæc verba ſequentia è Græco fideliter expreſſa ſignificant.

*Quid de lapide Armeniaco Hippocrates & Galenus ſenſerint.*

„ Quod ſi Hiæra data, melancholiæ ima-
„ ginationes nihilominus infeſtare videan-
„ tur, tunc ſine ulla cunctatione lapidem
„ Armeniacum dare feſtino. Novi enim ex

vete-

veteribus, antiquiores ad Veratrum album, properaſſe, ubi affectum ab aliis purgationibus nihil planè imminui conſpicerent. Verùm ego lapidem Armeniacum veratro præfero. Atq; licet utentem ipſo, experientia cognoſcere, quomodo, præterquam quod efficaciter, etiam ſine moleſtia, purget: quorum nihil veratrum album habere novimus.

*Quid dein. Trallianus.*

Eodem in capite Trallianus iterum pergit, magnas virtutes ejuſdem lapidis evacuativas, tam ſurſum, quàm deorſum, per vomitum ſcilicet & alvi dejectionem commemorare, idemq; Medico conſulit, quod ſi advertat morbum hac utraq; evacuatione indigere: de eodem ſine ulla præparatione, ſive mavis, ablutione, uſq; ad tres vel quatuor ſcrupulos, plus vel minus, ſecundum ægroti vires, & humoris evacuandi quantitatem exhibeat. Quod ſi ſolam purgationem ſine vomitu neceſſariam eſſe judicet: tunc eundem lapidem ipſemet Trallianus per duodecim vices aut ultrà lavari jubet, & ex eodem in aqua tepida, ad quinque vel ſex ſcrupulos propinari. Quinimò pro iis qui à potionibus penitus abhorrent, pilulas ex eodem componit, quas dicit ad purgandum humorem atrabiliarium omnium perniciosiſſimum

*Lapis Armeniacus ad expellendũ humorem atrabiliarium aptiſſimus.*

ſiſſimum

ſiſſimum accommodatiſſimas: nec idcirco parum eis profuturas, qui maniis, & aliis id genus affectibus melancholicis, quibus nihil atrocius corpus humanum experitur, divexantur.

*Lapidis Lazuli virtus.*

Cæterum lapis Lazuli, eandem purgandi humoris melancholici nactus eſt, quam lapis Armeniacus proprietatem: non ſecus ac in iiſdemmet mineris ambo reperiuntur, & adoleſcunt. Non mirum igitur videri debet, ſi iiſdem gaudeant proprietatibus, quæ tamen Dioſcoridem & alios antiquiores fugerunt, aſſignantes ſolam lapidi Lazuli virtutem corroſivam atq; putrefactivam. Quod nimirum in cauſa fuit cur Fuchſius in ſuis paradoxis pilulas ex eodem à pharmacopolis præparatas penitus improbaverit; cum tamen frequenter in officinis veneant, & à nonnullis, mirum in modum, ad purgandum humorem melancholicum celebrentur: imò ipſis Helleboris tantopere ab antiquitate in hanc curam uſurpatis, ut antea ex Tralliano patuit, præferantur.

*Quæ metallica nuper contra peſtem magnæ virtutis inventa.*

Ex his omnibus hæc à me concluſio intenditur: nos jure merito metallicis remediis uti poſſe, non ſecus ac antiquis in more fuit. Quin imò cùm plures ſubſtantias metallicas obſervaverimus, quarum facultates olim incognitæ fuerunt, & pro

corroſivis, putrefactivis, venenatis, ac perniciosis habitæ, quæ tamen poſtea temporum ſucceſſu ſaluberrimæ, & utiliſſimæ deprehenſæ ſunt, digniſſimæque, quæ ad plurimorum morborum deploratorum curationem adhibeantur: nulla certè ſuboriri debet admiratio, ſi hiſce poſtremis temporibus quidam reperti fuerint, & adhuc reperiantur Tralliani, qui pro uno ſolo lapide Armeniaco, aut Lazuli, qualitatibus vomitivis & purgativis prædito, nec non omnibus Helleboris in mania curanda prælato, alium lapidem invenerunt atq; ſuppoſuerunt, Antimonium ſcilicet, (quod ipſe Myrepſus lapidem nominat) nec non Arſenicum, & Mercurium, virtutibus vomitivis & purgativis donata, quæ mirificè ad peſtem, omnium morborum violentiſſimam, profligandam inſerviant. Nec mirum illud etiam videri debet, quod ſi ſimplici quadam ablutione multoties repetita, eroſionibus ſuis, atq; vomitivis effectibus, prædicti lapides Armeniacus & Lazuli ſpolientur, idem quoque in aliis contingat, Mercurio ſcilicet, Antimonio & Arſeniaco, quæ ſi ſemel exquiſitis quibuſdam præparationibus, longè multùm prædictas ablutiones ſuperantibus, emendentur, non modò ſuis

quali-

qualitatibus eroſivis, vomitivis & venenatis, ſi quas poſſident, exuuntur: ſed in alexiteria evadunt præſtantiſsima, eoq; magis, quò lethalia à communi plebe fuerunt venena judicata.

*Quæ ratio in cura maniæ à Tralliano obſervata.*

Sicut ergo Trallianus juxta præcepta quæ traduntur libro & cap. citato, certa quadam methodo in cura melancholiæ atq; maniæ procedit, qua initium ducit à remediis clementioribus, ſcilicet Epithymo & ſero lactis, deinde ſi malum accreſcat, Hieram ſimplicem addit, quam Hiera Galeni ſubſequitur. Quod ſi malum hiſce remediis illudat, pro Helleboro albo quod omnes antiqui in uſum ſuum adſciverunt, lapide utitur Armeniaco, tanquam ſummo & ſpecifico remedio, ad atram bilem repurgandam accommodato: quod præterea propriis fultus experimentis, ſemel atq; iterum commendat, Helleboro prædicto multum præfert, & omnes Medicos, ut illius uſum introducant, enixè rogatos eſſe cupit.

Pari quoq; ratione nullus mirari debet, ſi, poſtquam nullum è remediis purgativis communibus à nobis fuerit prætermiſſum, ad cætera recurramus purgantia, quæ à Mercurio, Magneſia & Arſenico educuntur: quibus procul dubio à nobis

bis experientia compertis, & magnorum viroram authoritate comprobatis, locum damus excellentiorem, in cura peſtis facienda, quàm Colocynthidi, Scammoneæ, Euphorbio, Hieræ Logadii & Pachii, confectioni Hamech, atq; Electuario Indo, tam majori quàm minori. Ea tamen ſunt ſumma, quibus in omnibus morbis deploratis uſa eſt antiquitas, remedia: quæ quoniam majori cum naturæ totius commomotione, atq; violentia purgant, & magis quàm prædicta noſtra calefaciunt, modò ſolerti manu præparentur, de iis ſigillatim nonnulla delibabimus.

*Quibus remediis in morbis deploratis uſi fuerunt antiqui.*

Primùm igitur à Mercurio exordiemur, quem ſi paulò exactius diſquiſiverimus, & quid interius contineat per anatomiam ob oculos propoſuerimus: benevolus Lector boni & æqui conſulet, nec moram noſtram idcircò atro in hac re carbone notabit. Cùm enim metallicum iſtud, in curam plurimorum morborum, eorumq; contagioſorum atq; graviſſimorum, quales ſunt Lues Venerea, lepræ ſoror germana, hiſce temporibus adhibeatur: plurimam ex iſtis noſtris obſervationibus utilitatem, nullus haurire non poterit.

*Amplior de Mercurio tractatus.*

Quòd Græci antiquiores tenuem ad-

*Mercurii natura paucis olim cognita.*

modum hydrargyri cognitionem habuerint, vel ex eo colligi poteſt, quod ſcribit Dioſcorides lib. 5. cap. 70. & longo poſt ipſum tempore Oribaſius Medic. Coll. lib. 13. necnon Actuarius libr. 5. Method. Med. cap. 12. Iſti quippe omnes ſenſerunt Mercurium talis eſſe naturæ, ut non niſi in vaſis vitreis, plumbeis, aut ſtanneis contineri poſſit: quod planè eſt abſurdum. Eam pariter opinionem Avicennas Arabs, qui longo poſt Græcos floruit intervallo, majoremq; illis de hoc metallico adeptus eſt cognitionem, planè traducit, illosq; hoc potiſſimum nomine ignorantiæ arguit lib. 2. tract. 2.

Galenus ipſe, qui rerum omnium peritiam ſibi quodammodo viſus eſt arrogaſſe, profitetur tamen ingenuè, ſe metallici iſtius qualitates, ſive interius aſſumatur, ſive exterius applicetur, exactè non tenere. Illud enim ut paulò ante monuimus, nuſquam perfectè ab antiquis compertum eſt.

*Quænam de Mercurij natura ſint ſententiæ.*

Poſteriorib. verò ſæculis contra Mercurio accidit, qui in communem ferè uſum adſcitus eſt, & exactius quàm antea à ſtudioſis mentibus examinatus. Unde factum, ut non paucæ circa illius naturam atq; facultates controverſiæ inter Medicos moder-

modernos celebriores exortæ ſint. Quidam enim illum naturæ eſſe calidæ perhibuerunt, alii verò frigidæ. Quidam rurſus illum adeò extulerunt, & pro tam ſingulari remedio habuerunt, ut Angelicum pronunciarint. Alii demum ut toxicum quoddam perniciofiſſimum, è communi hominum uſu atq; commercio exterminandum docuerunt. Quas veró in ſententiæ ſuæ confirmationem, utraq; Doctorum factio in medium proferat rationes, huc referre non placet, nedum refellere etiam, vel approbare: cùm abundè hac de re à nobis in conſilio de Lue Venerea apud Tetradem noſtram pertractatum ſit. Quo loco mirandas admodum hujuſce metallici virtutes expoſuimus, non in quantum certè calidum eſt vel frigidum (id enim parum intereſſet) ſed quatenus eſt ſpiritus corporeus, aut corpus ſpirituale. Spiritus, inquam, ſtupendæ valde naturæ, à quo veluti igne quodam devorante, corpora metallica ſolidiora diſſolvi poſſunt, & in ſuam transſmutari ſine ullo ſenſu eſſentiam, non ſecus à ſale marino aqua maris continetur. Deniq; metallicum iſtud jure merito Proteo cuidam comparari poteſt, qui varias fingitur ſubinde formas induiſſe: cujus tamen pars vel etiam minima iiſ-

*Virtus Mercurii quanta.*

dem quibus totum, prædita eſt facultatibus. Cum enim ſpiritus ſit quidam volatilis, ab igne ſurſum effertur: ſed quantumvis ab illo in altum feratur, ſuum tamen corpus retinet, nec ullam ſubit corruptionem aut alterationem, eò quod in ſui corporis conſiſtentia omnia mirè elementa contineantur, & homogeneæ (ut aurum ipſum) ſit eſſentiæ. Hinc fit nimirum, ut ingens inter utrumq; ſit familiaritas mutua, atq; neceſſitudo: quæ vel ex eo colligitur, quod eo ipſo, quo in eſſentiam & puriſſimam ſimplicitatem reducuntur tempore, hydrargyri ſpiritus, magnetica quadam virtute; & incomprehenſibili, corporis perfecti, id eſt, auri formam, ut ſibi copuletur, attrahat: & aurum corporeum eſſentiam Mercurii ſpiritualem in ſe concipiat, & ea quodammodo imprægnetur: ut in eſſentiam & materiam veluti primam redigatur. Qua certè fit ratione, ut uterq; fiat ψυχοσώματος καὶ σωματόψυχος, id eſt, ſpiritus corpori unitus, & corpus ſpiritui copulatum.

Illud quidem magiſterium non uno, vel paucis diebus perficitur: at moram temporis, abundè compenſat operis admiratio. Hoc quippe modo præſtantiſsimi quiq; Medici, & veri Philoſophi ſuas univerſales

verſales conficiuntMedicinas,ad tuendam corporis humani ſanitatem,& graviſſimos morbos profligandos,aptiſſimas.

Omnia tamen interim ab hydrargyri dependent præparatione.Illud enim ſi exactè non præparetur,& crudum, ſive interius aſſumendum, ſive exterius applicandum exhibeatur: venenum potius, quàm remedium utile dici debet. Paracelſus ipſe, qui inter Chymicos omnium ſolertiſſimè Mercurii anatomiam indagavit, ejuſdem eſt opinionis, quam videre licet, tum in ſua chirurgia, tum alibi, dum ſcripſit: Mercurius crudus tremorem & rigorem in homine ponit. Et infra ibid. pag. 65: Mercurius niſi optimè præparetur,eoſdem morbos inducit,ſi intra corpus ſumatur,quos efficit extra corpus.

*Quantopere Mercurij præparatio, utMedicinis inſerviat, requiratur.*

Sic itaq; non minus contra Mercurium crudũ invehitur Paracelſus,quàm Fernelius in ſuo de Lue Venerea libello: quo loco hujuſmodi remediũ non paucis exagitat.

Qui ſequentibus tamen temporibus viguerunt Medici, hoc metallicum nihilominus,licèt crudum, in uſu poſuerunt, illudq; unctione, vel alio modo ad Luis Venereæ medelam, nec ſine felici quandoq; ſucceſſu,adhibuerunt.

*Qui Mercurium crudum in uſu habuerunt.*

Ænobarbus omnium primus, pilulas

ex hydrargyro crudo, ſine ulla præparatione compoſuit.

Braſſavola crudum ipſummet, in parva quantitate, contra puerorum vermiculos propinandum exhibet.

*Pilulæ è Mercurio præcipitata.* In uſu modo poſitum eſt pilulas in hac alma Pariſiorum civitate, ex hydrargyro crudo præparare, modo antea in ſucco limonum, & tantillo terebinthinæ diſſolvatur, addaturq; Diambra, aut aliquis pulvis, aut confectio cordialis, qualis eſt de hyacintho, alkermes, vel ipſamet Theriaca. Inde fiunt pilulæ, quarum duas vel tres exhibent pro doſi, è quibus præclara nonnunquam exoriuntur experimenta, tum contra gonorrhæas virulentas, tum lues Venereas non ita radicatas: illas enim benignè ſubducunt, & venenum ſpecifica quadam virtute extinguunt.

*Pilulæ ex Mercurio præcipitato Palmarij.* Palmarius doctus, celebris Fernelii diſcipulus, minimè ſui magiſtri ſententiam ſequitur, ſed pilulas penè prædictis ſimiles ex hydrargyro crudo componit, quibus hæc ab ipſo, ſub finem lib. de Eleph. additur inſcriptio: *Catapotia ex hydrargyro, quæ retorridæ bilis & omnium acrium humorum, ac malignorum ferociam domant & compeſcunt, eoſq; ſenſim, nullo ventriculi incommodo expurgant.*

Sin

Sin autem hac in parte meum inquiratur judicium: nulla ratione hoc remedium probare poſſum, cùm multò plus damni, quàm ſalutis & utilitatis aſſumentibus inferat.

E contrario verò ſi bene metallicum iſtud præparetur, & in eſſentiam redigatur: quod fit ſublimatione, calcinatione, vel ſolutione, (philoſophicas autem, non vulgares intelligo) tunc excellens fit Theriaca, quo modo à præcipuo quodam Chymicorum Duce nominatur.

Idem præterea Coryphæus, hoc metallicum in eſſentiam redactum, auri eſſentiæ ſimile eſſe contendit, eandemq; illi, quam auri eſſentiæ, conſervandi, inſtaurandi, & quaſi hominem ad juveniles annos revocandi virtutem aſſignat. Quadam enim potentia mirabili, illum purgat, atq; ab omnibus putridis & venenatis, quæ illius mortem accelerant, corruptionibus præſervat. *Mirifica virtutes Mercurii in eſſentiam redacti.*

Magna igitur ineſt inter Mercurium crudum & præparatum differentia: prout ab Ægineta, qui majorem quàm cæteri Græcorum, ejus metallici notitiam habuit, in ſuo lib. 7. confirmatur. *Argentum vivum*, inquit, *ad Medicum uſum non ita aſſumitur, cùm venenum exiſtat: verùm quidem* *Quænam inter Mercurium crudum & præparatum differentia.*

*uſtum ipſum, ac in cinerem redactum, alijs ſpeciebus pernixtum, cholicis & vulvuloſis bibendum dederunt.* Quo certè loco author iſte, quandam cognitionem earum, quæ nunc ſunt in uſu, Mercurii præcipitationum videtur habuiſſe.

Hac fortaſſe viri iſtius doctiſſimi quidam victi authoritate minus olim veriti fuerunt. Mercurium præcipitatum, ſive mortificatum, iliacis paſſionibus, morbis deploratiſſimis, exhibere. Serapio teſtatur, illum ſuo tempore fuiſſe uſurpatum: idem tamen ſubjungit, prædictum Mercurium nihil ſic profuiſſe, nec ullo modo mortem ægrotorum cohibuiſſe.

Huic nihilominus morbo Hieronymus Montanus vir celeberrimus, idem remedium cum Philonio & Diacumino permixtum, hujuſmodi malis præſcribit.

In numero trium, de quibus ſupra memini, hydrargyri præparationum, calcinationem comprehendi, ſub qua pariter præcipitatio per me recenſebitur: verùm ea cautela in mentem revocetur, qua eaſdem philoſophicas nuncupavi. De vulgaribus igitur Mercurii præcipitationibus, nullam facio mentionem, qui licet ab aquis fortibus, ſemel atq; iterum abluatur, corroſivus tamen & vomitivus eſſe non

*Vulgares Mercurij præparationes improbantur.*

non deſinit: eò quòd ignei illius ſpiritus ab iſtis aquis fortibus ſeparari non poſſint.

Eæ igitur præcipitationes nullo modo mihi probantur: ſed illæ potiſſimum quæ beneficio ſolius Mercurii, in vaſe circulatorio ad id apto concinnantur: in eo enim vaſe diu agitatus, ope ignis, per gradus accenſi præcipitatur, & tandem in pulverem rubeum purpureumq; qui mirificæ ſit virtutis, reducitur.

Citius multò pariter idem Mercurius, mediante igne auri interno, etiam ſi eidem materialiter adjiciatur, præcipitari poteſt: At in momento & velociſſimè, ſi cum auro eſſentificato præparetur. Ex illis enim ambobus, ad debitam proportionem permixtis, ſtupenda quædam fit conjunctio, quæ nullis non miraculis ſcatet & illuſtratur. *Quomodo Mercurius citiſſimè præcipitetur.*

At verò, ne quibuſdam in eadem ſoli verſari ſententia videamur, neve primi tanti remedii ſimus præcones & laudatores: quid de illo Palmarius ad finem lib. ſui de Elephantiaſi, prædicet, pauliſper audiamus. Omnium, inquit, remediorum elephanticorum vires ſuperat catharticum noſtrum metallicum, acrem omnem, ac ferinam humorem omnium *Virtus Mercurij per artem præcipitati quanta.*

 quali-

„ qualitatem ac malignitatem mirè obtun-
„ dens, ac nihilominus blandè adeo alvum
„ ſolvens, ut pueris & prægnantibus tutò
„ dari poſſit. Conſtat ex hydrargyro & au-
„ ro ſic permixtis atq; immutatis longa ma-
„ ceratione, ut vim catharticam aſſequan-
„ tur. Una autem & eadem opera, pitui-
„ tam & craſſos omnes humores expurgat,
„ & calidam ac ſiccam viſcerum omnium
“ conſtitutionem emendat: datur grano-
“ rum ſex pondere. Hucuſq; Palmarrius de ſuo cathartico metallico ex hydrargyro communi & foliis auri, ut ſupponi debet, conflato: eò quod diuturno tempore illud præparari aſſeveret. Præcipitata quippe cathartica quæ cum Mercuriis metallicis fiunt, aut philoſophicis, & auro in eſſentiam redacto, in modum arcani, magiſterii, tincturæ, liquoris, ſulphuris, vel ſalis: momento temporis perficiuntur. Aurum enim, ut ſemel eſt apertum, tam igneæ eſt naturæ, tamq; potentis, ut dicto citius ſuam exerat actionem. Verùm de omnibus hujuſcemodi auri in eſſentiam redacti rationibus, ſatis luculenter in Tetrade noſtra diſſeruimus: quò Lectorem ſtudioſum amandamus.

*Qua ratione cathartica è metallicis compoſita velociter perficiātur.*

In præſentiarum verò, cum nobis ſermo de ſola peſte ſit inſtitutus, quædam ſolummodo

ſummodo cathartica ex hydrargyro educta docebimus, quæ tam lethali morbo proſint averruncando.

Mercurius vitæ (ſic enim appellant) primum inter prædicta purgativa ſpecifica, gradum obtinet.

Ille autem eo modo conficitur. Duæ hydrargyri partes in meteoron modo communi redactæ, cum una parte metallinæ ſtellatæ, & Magneſiæ Saturniæ, quæ omnibus metallis ad debitam proportionem ſit impragnata, permiſcentur: omnia in pulverem reducuntur, redacta ſimul commiſcentur, & in cornutam ſubitò projiciuntur, (aliàs enim ſic momento citius iſthæc incaleſcerent, atq; fumarent, ut ne manum quidem liceret admovere) Dein accenſo igne per gradus liquor tandem gummoſus deſtillabit cum portione aliqua Mercurii currentis, qui facillimè ſeparari poterit, & ſeorſim ad alios uſus reſervari: eſt enim Mercurius Philoſophicus: Gummoſus autem liquor in aqua frigida, in oculi momento, præcipitabitur in pulverem nivis inſtar candidiſſimum, qui pluries abluendus, donec planè dulceſcat. Ex aqua, vitrioli acciditate impragnata, verum ſpiritum vitrioli antipilepticum verus Chymicus eliciet.

*Quomodo Mercurius vitæ preparetur.*

Pulvis

Pulvis iſte candidus, juxta præſcriptum artis, ad ignem lentum exiccetur, quem tandem cum ſpiritu vini, aut aqua vitæ Juniperi accenſa circulare & fixare poteris: cujus pulveris quatuor vel quinque grana exhibentur, vel in infuſione, cum aliquo liquore: vel in ſubſtantia cum conſerva roſarum: vomitum & purgationem ſimul operabitur, miroſq; tam in curatione omnium peſtium, quàm luis Venereæ, & aliorum morborum contagioſorum expulſione præſtabit effectus.

*Pulveris è ..curio ..æ conſla.. .. virtus.*

Qui pulverem iſtum cum ſolo naturæ ſulphureo ſale fixare noverit, ſpecificum admodum ſine vomitivo purgativum conficiet.

Paulò veró inferius rationem ſuo loco docebimus, quomodo ex illo, ſudorificum eximiæ virtutis, & valde Bezoardicum præparabitur.

*Abſtruſior Mercurij vi.. .. præparandi ratio.*

Philoſophus hac unica nequaquam contentus eſt præparatione: verùm liquorem gummoſum ſpiritu ſalis ſolaris imprægnat, omnia digerit philoſophicè, & in eſſentiam redigit: quæ poteſt metallum ipſum pretioſiſſimum perfectiſſimé diſſolvere, ſua tinctura ſpoliare, vel in liquorem reducere, qui per alembicum traductus, magiſterium ad quævis venena, peſtium,

ſtium,luis Venereæ, & omnium malorum contagioſorum & aſtralium, ſive illorum quorum cauſæ nobis ſunt occultæ, expellenda,in minima quavis datum quantitate erit excellentiſſimum.

Alia verò methodo hydrargyrum præparatur, quando ſcilicet octo partes Mercurii in meteoron redacti, & ſex vulgaris acceptæ comminuuntur, & ad integram uſq; hydrargyri, liqueſcentis mortificationem permiſcentur. Omnia deinde in matracium injici debent,& ignis ſublimationis per ſex horas adhibendus, ut tota materia ſublimetur,&in formam chryſtallinam reducatur: reiterata ſublimatione, habebis Mercurium dulcem purgativum, de quo,pondere viginti granorum vel amplius exhibere poteris. *Mercurii purgativum quomodo præparetur.*

Ego ut verum fatear hac in operatione aquis penitus crudis, ut antea proteſtatus ſum, abſtineo: illarum quippe effectus nunquam aquis philoſophicis & metallicis reſpondent. Mercurium præterea in meteorum communiter reductum nunquam in uſum adhibeo, quin imò in quintam eſſentiam revoco, tamq; perfectè deputo, ut clarius atq; pellucidius ipſomet mihi chryſtallo reddatur: Utorq; eademmet operatione quam Arnaldus de Villa- *Quomodo Mercurius ab auctore præparari ſoleat.*

nova,

nova, in ſuo de perfecta lapidis inveſtigatione libro cap.3. docet.

Sic ergo præſtantiſſimum fit alexipharmacum, quod omnia è corpore venena ejicit atq; exturbat: ut proinde mirificè contra peſtes & lues venereas conferat, ſi præſertim, vel forma, vel ſpiritu, aut auri tinctura imprægnetur. Qua certè ratione, tunc adeò magnificè & potenter toxica quævis, ut magnes ad ſe ferrum, occulta ſua proprietate, pertrahit.

*Lex Hippocratis de celandis myſtdriis artis cujuſq;.*

Magna igitur hæc ſunt atq; ſacra myſteria, quæ ne amplius in propatulo exponam, obſtat lex Hippocratica, alibi à nobis hanc in rem allegata. Illa enim brevi quodam compendio comprehenſa cavet, ne res ſacræ, prophanæ, ſui publicatione reddantur.

*Quomodo Manna purgativum è Mercurio componatur.*

E Mercurio rurſus manna quoddam purgativum, & oleum conficitur, quod itidem non mediocri pollet purgandi facultate. At verò ſi plures curioſus Lector hydrargyri præparationes videre cupit purgativas, adeat ea quæ nos de illo in Tetrade noſtra ſub finem capitis de argento vivo, & in conſilio de Lue Venerea tradidimus. Tempus nunc poſtulat, ut ad remedia purgativa, quæ ex Antimonio depromuntur, deſcendamus.

Quan-

Quantum verò Palmarius, hydrargyrum tantopere à Fernelio vituperatum, & pro lethali veneno æſtimatum extollit: tantundem ab Antimonio, in ſuo de peſte tractatu, detrahit.

Matthiolus tamen Antimonium ad tertium uſq; cœlum elevat, ut alibi declaravimus: adjungitq; in magna quadam, quæ Bohemiam anno ſalutis M. D. LXII. & M. D. LXIII. afflixit, peſtilentia, nullum aliud Antimonio, ad pondus trium vel quatuor granorum exhibito, præſentius fuiſſe remedium. *Magneſia à quibus laudata fuit, aut condemnata.*

Buccius cap. libri ſui 21. memorandam apprimè Chymici cujuſdam Colf appellati, hiſtoriam recenſet: qui ex Antimonio lapidem quendam bezoardicum (floridum vocat ille) compoſuerat, quo mediante ſtupenda valde prodigia perficiebat. *Lapis ex Antimonio factus.*

Alibi pridem à me non ſemel relatum eſt, & iterum refero, me nuſquam vitrum Antimonii probare poſſe: licèt innumeros norim Medicos qui illo probe uti ſoleant, à quorum certè titulo circulatores omnes procul ſemoveo, qui huc & illuc, ut homines facilius circumveniant ſemper diſcurrunt. *Vitrum Antimonii ab Auctore improbatur.*

Quo minus autem diutius in explicandis

dis admirandis hujuſce metallici virtutibus immorer: longior ille, quem hanc in rem produxi, tum ſuprà, tum in mea Tetrade, ſermo atq; tractatus obſiſtit.

*Variæ ex Antimonio medicinæ jam pridem compoſitæ.*

Ducentis circiter abhinc annis Baſilius Valentinus ordinis Sancti Benedicti monachus infinita propemodum remedia purgativa, ſudorifica, & reſtaurativa, ex Antimonio, quæ miræ eſſent efficaciæ, à ſe compoſita deſcripſit. Ut autem illorum præparatio, aliud multò præſtantius, quàm vitrum ſpondet Antimonii: ſic eadem graviſſimis quibuſq; morbis opem ferunt præſentiſſimam.

Decem aut duodecim in mea Tetrade Antidotos ex Antimonio conflatas deſcripſi, quarum nonnullæ contra peſtem ſunt plurimum accommodatæ: ſive purgatio per alvi dejectionem, aut per vomitum, aut ſudores ſit neceſſaria: ſive natura modo quodam non perceptibili, ſit in priſtinum ſuum robur reſtituenda. Quæ omnia proculdubio remediorum vulgarium nomenclaturam ferre non debent.

Benevolum ergo Lectorem, ut tranſcribendi labori nimium ærumnoſo parcamus, in eum locum relegamus.

E floribus autem Antimonii rubicundis, remedium quoddam excellens purgati-

gativum & vomitivum ſimul extrahitur, quod peſtibus, quas à ſua origine vomitus comitatur, innoxiè dari poteſt.

*Purgativũ & vomitivũ ex Antimonio.*

Hoc verò remedium, ea ratione non reddetur vomitivum, ſi flores prædicti cum ſale petræ figantur, vel cum ſale communi ſublimentur. Tunc enim benignè hoc pharmacum expurgat, & in doſi paucorum granorum in vino albo, aut aqua cardui benedicti aut alio liquore convenienti maceratorum exhibitum, non parum contra febres peſtilentiales, & id genus morbos excellit.

*Croci metallorum virtus.*

In deſcriptione Croci metallorum, qui non modo facile præparatu, ſed etiam utile multum & præſens contra morbos omnes Epidemicos remedium ſuppeditat, aliquandiu tradenda immoratus ſum. ad pondus ſeptem aut octo granorum in infuſione, prout ſupra monuimus, nec ſine fructu exhibetur. Quoſdam enim magis per vomitum, alios verò per alvum magis expurgat: id tamen totum ſine ulla fit naturæ perturbatione, imò verò cum magna ejuſdem ope & ſubſidio, febrem omnem peſtilentialem, & morbos contagioſos expugnat. Hujuſce meæ aſſertionis fidem faciunt innumera propemodum experimenta, quæ meam nunquam expectationẽ eluſerunt.

*Experientia Auctoris circa crocum metallorum notanda.*

Illuſtriſſimi Herois ac D D. Ducis de Buillon Pharmacopæus nomine Fromant, à me anno tantùm elapſo impetravit, ut decem aut duodecim uncias, quas illi meo marte parandas ex eodem Antimonio curaveram, in Turennæ Vicecomitatum, peſte ſæviſſima conflictatum tranſmitterem. Remedium iſtud una cum formula qua foret aſſumendum ad D. de Vaſignac, totius regionis & caſtelli gabernatorem direxerit, qui majorem illius partẽ vicinis circumquaque Chirurgis impertitus eſt. Quid autem præſtiterit hac in re noſtrum metallicum, paucis innuit Epiſtola à prædicto D. de Vaſsinac, ad Pharmacopolam miſſa, quam placuit è Gallico in Latinum commutare, & hoc loco inſerere.

Accepi per D. Fouchet duas pyxides, quas ad me tranſmittere placuit. Ut ſemel recepi confeſtim partem quandam illarum per totam viciniam elargitus ſum, juxta monitionem in literis, ad felicem illarum uſum docendum adjectam. Quatuor aut quinque Chirurgi aliquam ex illis partem acceperunt: ex illis duo, ſucceſſus admodum proſperos mihi renunciarunt, & teſtimonium egregium de pulvere ſubflavo reddiderunt: quem, remedium plus divinum quàm humanum idcircò

circò nominabant; quoniam intra unius diei ſpatium ita quoſdam à febre peſtilenti liberaverit, ut nihil tamen virulenti ex illorum corporibus ſubortum ſit. In aliis verò bubo peſtifer duabus poſt ſumptionem horis innoxius apparuit. Hucuſq; prædictarum literarum tenor.

Simili quoq; ratione expertus Philoſophus ex Arſenico, quod maximum eſt venenum, purgativum excellens efficiet, quod adverſus omnis generis peſtes, non ſecus ac cancros mire vires ſuas exeret: quos à ſale quodam ſeptico & arſenicali generatos, ſolum, ut inquit Arnaldus à Villa nova, Arſenicum expugnat. Venenum quippe à veneno pellitur, prout luculenter apparet in illis qui à ſerpentibus & ſcorpionibus icti, nullum aliud præſentius inveniunt alexiterium, quàm illud quod à feris illis venenatis componitur.

*Purgativum excellens contra peſtem ex Arſenico conficitur.*

Pulvis qui temporibus noſtris ad extinguendos omnes cancros ulceribus conjunctos adhibetur, ex prædicto fit Arſenico, radice Aronis, atq; tantillo fuliginis: quod licet remedium ſit ſatis vulgare, tanta tamen præſtat certitudine & efficacia, ut una tantum vice applicatum, nihil non mirum dictu operetur. Qui de hujuſce rei veritate dubitat, ſenſibus ipſis bellum

*Pulveris Arſenicalis virtus, & quomodo illo perficiatur.*

Ee 2 indicit,

indicit ad quos ſuprema hujuſce litis componendæ ſpectat auctoritas atq; jurisdictio.

Antea verò cùm de præcautione peſtis diſſereremus prædictum Arſenicum in formam Amuleti tantum uſurpavimus, quod ſuper regionem cordis apponeretur. Remedium iſtud primus omnium, Jacobus Carpenſis adinvenit & expertus eſt: expertum Fallopius comprobavit, & iterum tanto auctore comprobatum, ita Philippus Ingraſsias & alii Medici extulerunt, ut nihil in eorum ſcriptis celebratius reperiatur. Hoc eodem fultus alexiterio Adrianus Papa VI. à graviſsima peſte vindicatus fuiſſe perhibetur.

*Quis primus amuletum ex Arſenico contra peſtē invenit.*

Supereſt modo oſtendere, quæ nam ſit præparationis illius ratio, cujus beneficio è venenoſo ſalutare fieri poſsit, ut antea à nobis fuit promiſſum & inſtitutum.

*Præparatio qua Arſenicum ſalubre reddi poſſit.*

Illius autem hic præparandi modus, haudquaquam illis inauditus videbitur atq; ſtupendus, qui probè ſciunt methodum, qua Mercurius ſublimatus, multò pejor, & magis ſine comparatione corroſivus, vel ipſius plebeculæ judicio, quàm Arſenicum: ita guſtui probatus & gratus ſola ſublimatione (poſtquam ſuæ aquæ in debita proportione mixtus fuerit) reddi poteſt:

poteſt: ut nullum vomitum, nauſeam, aut ſtomachi cauſet perturbationem. In quo præterea illud venit obſervandum, quod nihil de ſuo pondere & quantitate deperdat, quodq; ad pondus viginti aut triginta granorum dari poſſit, quæ ſufficienter omnes humores, ut ſupra diſſerui, venenatos exturbant.

Illud autem remedium ſatis in frequenti hodierna die uſu habetur, cujus gradum nos abundantius exaltamus, ſi quando materiis communibus & crudis non utimur: ſed philoſophicè, quod pridem fuimus conteſtati, præparatas in ſubſidium evocamus. Venenatum igitur Arſenicum hac qua ſequitur ratioue, ut medicinæ inſerviat, poterimus præparare.

Illud igitur metallicum primum per ſe ſublimetur, deinde aceto albo optimo, duarum horarum ſpatio decoquatur: ſic enim ſua nigredine & farina quadam levi atq; corroſiva ſpoliatur. Poſtea cum ſquamma æris iterum ſublimabitur, quæ venenum illius craſſius atq; nigrius retinebit: tandem bis aut ter cum ſale communi præparato ſublimatum, perfectè dulcoretur: & media iſtius ſublimati ſubſtantia, in infuſione, ad pondus quinque, ſex, ſeptem, aut octo granorum ſecurè dari

*Arſenici ſecundum artem præparati virtus.*

poteſt. Tantum enim abeſt, ut aſſumentibus noceat, quin imò illos benignè, & ſine ulla perturbatione ab iis venenis expurgat, quæ ab aliis catharticis nullatenus purgari poſsint. Illius autem perfectio tunc maximè ex eo cognoſcetur, quando metallis injectum, candorem illis conciliat & indit perfectiſſimum: qui remanea etiam in iis, poſtquam ignita fuerint: cum tamen Arſenicum crudum eadem nigrefaciat, atq; fumo quodam infecto, quem oculus & olfactus non ſine noxa & incommodo ſentire poſſunt, contaminet & inficiat.

*Quænam remedia metallica ad peſtem arcendam potiora.*

Novi multos qui ad lepras univerſales & particulares expurgandas, catharticis & ſudorificis quibuſdam ex Arſenico conflatis potiſsimum utantur: ego vero remedia illa quæ ex Mercurio & Antimonio eliciuntur, ad peſtem profligandam potentiora eſſe judico, necnon ad Luem Veneream, & ſimiles morbos contagioſos exterminandos. Præterquam enim quod illa gravisſimo doctiſsimorum virorum judicio comprobantur, magis etiam in uſum quotidie adhibentur, nec uſus ſui fructum mediocrem, me ſæpius experiente præbuerunt.

Sed hactenus abundè de purgativis, contra

contra peſtem communibus & metallicis diſſeruimus: de ſudorificis modo & bezoardicis aliquid proponamus.

Ad communia verò iſthæc remedia, quæ tum è vegetabilibus, tum ex animatis deſumuntur, nihil prorſus licet adjicere: eò quod, dum de præcautione peſtis ageremus, magnam illorum ſeriem in medium protulerimus, qualia ſunt noſtræ aquæ Theriacales, diverſæ, atq; multiplices Antidoti, tam cum ovo præparatæ, quàm cum diverſis extractionibus cardiacis. E quibus compoſuimus diverſa pharmaca ſudorifica & bezoardica, quæ hoc loco repetere eſſet ſupervacaneum. Prudentum ſolummodo lectorum hoc erit officium, aptum earum ſecundum mali qualitatem, & perſonarum temperamentum atq; conditionem, delectum facere. *Diverſa contra peſtẽ remedia bezoardica.*

Non enim unam in claſſem & catalogum omnes revocantur, ſed diverſa genera conſtituunt: dum aliæ magni, aliæ vilioris ſunt pretii, aliæ rurſus longam, aliæ breviorem poſtulant, pro gregariis, aut ditioribus præparationem.

Magnatibus interea Theriacas noſtras dicavimus, quas benedictas & cœleſtes appellavimus. Dicavimus præterea Diateſſaron noſtrum regale, unum è ſupre-

mis remediis Alexiterium bezoardicum: cujus deſcriptionem videre licet in Pharmacopœa noſtra, ad caput de Theriacarum inſtauratione, quod de induſtria è Latino in Gallicum tranſcripſimus ut auxiliares hujuſce alexicaci copias ſequeretur & promoveret.

*Qua ratione peſtis contracta expelli debeat.*

Licet autem tractatibus ſuperioribus compoſitiones quaſdam diverſorum ſudorificorum metallicorum & eorum præſertim quæ ex Antimonio depromuntur deſcripſerimus, è ſulphure verbi gratia deaurato, & lapide bezoardico metallico antea declarato: quædam tamen alia magis contra peſtem ſpecifica & metallica huc inſeremus. Cum enim peſtis ſæpius per aëris inſpirationem invehatur, per tranſpirationem quoq; eadem expelli debet, per diaphoreſin nimirum, aut ſudorum provocationem: ut libera detur venenoſis & ſpiritualibus halitibus & vaporibus peſtiferis, à quibus malum ingeneratur, exhalatio.

In hanc igitur cautelam, quædam id genus remedia ad hunc ſcopum ſpectantia ſemper ad manum, & in promptu ſervari debent. Malum enim iſtud cum ſit violentiſſimum, ſpatio ſæpiſsime & mora remediorum

diorum ſeligendorum interdicit, illorumque præparationem antevertit.

Qua ſapienter hac in parte à majoribus noſtris proſpectum fuit, qui Theriacam ſemper ſervarent præparatam. Quæ licet minus à nobis improbetur; illud tamen adiiciam, innumeras antidotos quas è Theriaca elicuimus, & ad inſtar aquæ, ſive aliarum formularum merè cordialium, & bezoardicarum, quarum aliæ plus, aliæ minus calefaciunt, præparavimus, non eſſe ulla ratione rejiciendas. Id autem conſultò præſtitimus, ut junior Medicus, ſecundum varia perſonarum temperamenta, peſtis naturam, & varia ſymptomata quibus quiſq; vexatur, illarum delectum ſagaciorem adhibeat. Cum enim peſtis ſæpiſſime ſit cum febribus ardentibus, phlegmonibus, & inflammationibus conjuncta: bezoardica remedia & cordialia, Theriacis & id genus Antidotis magis calefacientibus ſunt præferenda, eò quod magis ſint temperata.

*Theriacæ uſum olim contra peſtē obſervata.*

Idem pariter de bezoardicis communibus, & vulgaribus Theriacalibus, ſit judicium.

Metallica verò, hac minus quàm cætera indigent electione, eò quod illorum actio, nec in calore, nec in frigore verſetur.

*Cur omnia penè remedia metallica contra peſtem valeant.*

tur. Agunt enim illa per occultam & ſpecificam quandam, qua pollent, facultatem, ſudores in magna quantitate provocandi: ita tamen, ut interim venenum expellant, & cor ipſum, unà cum ſuis partibus vitalibus corroborent, atq; præmuniant. Hinc nimirum contingit, ut id bezoardicum genus magis utile judicemus, & aliis præferamus: & illud in primis, quod è Mercurio & auro depromitur, cum magis noſtræ ſit naturæ conſentaneum.

*Mercurij Veneris contra peſtem ſingularis præparatio.* Veneris Mercurius cum liquoribus acidis ſulphuris aut vitrioli mortificatus, & per iteratas cohobationes in colorem floris calendulæ redactus, & deinde cum ablutionibus aquarum convenientium dulcoratus, unum eſt è præſtantiſſimis contra peſtem ſudorificis atq; bezoardicis remediis. Si enim ad pondus unius grani, aut ad ſummum duorum, cum apto quodam liquore propinetur: Peſte affectum à morte proculdubio vindicabit, modò poſt decem aut duodecim circiter à malo ſuſcepto, horis abſorbeatur.

*Alia prædicti Mercurii præparatio.* Prædictus autem Veneris Mercurius pluribus modis præparatur: qui autem in uſum modo narratum adhibetur, componitur ex una parte Limaturæ veneris, duabus partibus aquilæ exaltatæ, & aliquan-

tum

to majori ſalis ſolaris quantitate. Omnia in pulverem tenuiſsimum redigantur, permiſceantur, & in matracium capax injiciantur: in ſabulo deinde ſepeliantur, ſepultisq; ignis ſubtus & undiquaq; eò uſq; accendatur, donec materia inſtar cæræ colliqueſcat. Tunc enim ſubitò vas in aqua erit immergendum, quo facto prædictum Veneris Mercurium colliqueſcentem & coloris ſubviridis reperies, qui quidem effectus nihilominus ſupra à nobis declaratos præſtabit certiſsime.

*Alterius ſudorifici bezoardici ſingularis præparatio.*

Aliud ingens & ſpecificum ſudorificum bezoardicum, cum liquore gummoſo ex Mercurio in meteoron redacto & ex Metallina ſtellari cum cæteris planetis ſociata, de qua ſuperius locuti ſumus, comparatur.

Hic liquor gummoſus bene purificatus, cum ſpiritu ſalis omnia animantis permiſceatur, in qua mixtione mira videbis propter duellũ inter duos iſtos dracones commotũ, qui tandẽ inter ſe conciliabuntur, & pacem inibunt, in pulverẽ pretioſum reducti. Hujus autem pulveris effectus ſudorifici & bezoardici, miras edent operationes, quas ſæpius his oculis, nunquam mea fruſtratus intentione, expertus ſum. Ad pondus verò quinque aut

ſex

*Quomodo illud adminiſtrari debeat.*

ſex granorum, cum confectione de hyacintho, aut alia aliqua conſerva cardiaca conjunctus exhibetur, è quibus pilula magnitudinis piſi conflatur. Illa autem abſorpta, æger in lecto decumbens mediocriter tegi debet, qui paulò poſt totus in ſudorem defluet, & mirum mali ſolamen comperiet.

*Laus trium præſtantiſſimorum virorum, D D. Hartmanni, VVoulfii, & Muſani.*

Hæc autem duo poſteriora ſudorifica me debere doctiſſimo & honeſtiſſimo viro D. Joanni Hartmanno Medico, & in celebri Marpurgenſi Academia Mathematico Profeſſori, ingenuè profiteor, qui illa ſuum lapidem Bezoardicum appellat. Fraterna quæ nos mutuo quodam vinculo invicem jungit neceſſitudo, quæq; nobis rurſum eſt communis cum D D. Woulfio & Muſano, collegis & Medicis celeberrimis, me tranſverſum in omnibus meis rapit lucubrationibus, ut honorificam illorum mentionem faciam. Quod autem me iterum magis eò impellit, eſt, quod hunc prædicti ſunt honorem conſecuti, ut Medici ſint illuſtriſſimi Principis ac D. Lantgravii de Heſſen, Mecœnatis atq; benefactoris mei: cujus certe Herois meritiſſimi, tot egregia ſunt omnibus in rebus præconia, ut ſtylum meum nimis depreſſum agnoſcam, qui temerario quodam

dam niſu eadem nunc aggrediatur celebrare.

Ut igitur finem remediis noſtris Bezoardicis imponamus, reſtat modó de illis quæ ex auro eliciuntur, pauca quædam perſtringere.

*Notabilis circa auri naturam & proprietates tractatus.*

Græci magnam proculdubio nec auri, nec argenti, nec lapidum pretioſorum, ut in remedia Medicinæ cardiaca ab illis admitterentur, habuerunt cognitionem: quæ tamen omnibus paſsim hodiernis temporibus eſt obvia. Horum autem remediorum inventores primi Arabes fuerunt: unde fit ut immeritò deſcriptiones Diamargariton, & lætificans Galeni, ipſi Galeno aſsignentur. Sicut ante me, id ſagaciter deprehenderunt Fuchſius, & alii Medici peritiores. Quæ res certè à me in medium ea potiſsimùm de cauſa profertur, ut oſtendam Medicinam non ilico ad ſummum ſuæ perfectionis faſtigium conſcendiſſe: ſed in dies quoſq;, plurimis remediis eximiis locupletari. Quæ idcirco minus ſunt expellenda, quòd antiquitati parum nota atq; perſpecta fuerint.

*Quibus antidotis conficiendis aurum inſerviat.*

Aurum autem modo pluribus Antidotis & compoſitionibus apprimè cardiacis adhibetur: in utroq; ſcilicet Electuario de gemmis, calido & frigido: in Au-

rea

rea Alexandrina: in antidoto de lapide radiato, aut Lazuli ſecundum Meſuen, quæ communiter vocatur confectio Alkermes: in antidoto è ſapphyro, & ea quæ dicitur Argyrophorus: & in aliis pluribus, quas in Mirepſo deſcriptas, & in cæteris diſpenſatas reperies. In his enim omnibus aurum in folia ſectum applicatur, aut in raſuram & limaturam ſolummodo communitum: quæ tamen ſingula, paucis, aut nihil prodeſſe judicamus. Cum enim calor naturalis, ipſiuſmet Avicennæ ſuffragio, nihil poſsit agere in res adeò duras, nec tranſmutare aut diſſolvere illarum ſubſtantiam: non eſt quod in illius opem & ſubſidium advocetur.

Chymici idcirco, utiliter ſanè eadem in eſſentias & liquores, qui magis ſunt corporibus noſtris conſentanei atq; conformes, redigere conati ſunt.

*Arabes auri præparandi primi inventores.*

Verùm quoniam Arabes auri præparandi primi fuerunt inventores, illiusq; qualitates atq; virtutes Antidotis ſuis maximè cardiacis, fundamenti & baſis inſtar, ſuppoſuerunt: videamus, amabò, quidnam de illo ipſi nobis tradiderunt, atq; commendaverunt.

*Auri virtutes probantur authoritate Avicennæ.*

Aurum, inquit Avicennas lib. 2. cap. 2. natura eſt æquale & ſubtile (ſubjungitq;

gitq; poſtea) limatura ejus ingreditur Medicinas Melancholiæ,& alopeciæ, & tiriæ prodeſtq; ad illas leniendas, confert doloribus cordis & tremori ipſius, & malitiæ animi,& ei qui ſolus loquitur.

Infiniti alii Arabes & Medicorum noſtri temporis periſſimi, mirandas admodum & incomprehenſibiles, auro facultates aſſignarunt. Authoritatem quinquaginta Doctorum Arabicorum, aut circiter, ſilentio præteribo: ut ſolùm Palmarii antiquiſſimi,doctiſſimiq; viri,& admodum curioſi ſuffragium inducam, utpote illius, qui non ultimum inter ætatis ſuæ medicos locum occupavit. Quid igitur de auri facultatibus in ſuo libro de febre peſtilentiali cap.18 diſſerat,audiamus. *Aurum* inquit, *Et Palmarii.*
" *cùm ſit temperatiſſimum, nec temporis diutur-*
" *nitate, nec ignis perennitate conſumitur. Car-*
" *diacæ, melancholiæ, cordis palpitationi, morbo*
" *attonito, comitiali, elephantiaſi & venenis me-*
" *detur, atq; ſpiritus animales, vitáleſq; mirificè*
" *recreat, idq; puriſſimum vel candens juſculis &*
" *potionibus inſtaurantibus pluries intingitur, vel*
" *in pulverem redactum ad drachmam ſemis vel*
" *ſcrupulum unum exhibetur, vel in oleum ſtillan-*
" *titiamq; aquam,arte chymica converſum,ad tres*
" *quatuorve guttas cum vino, vel aqua cardiaca*
" *propinatur.*

Idem

*Alia auri præparatio Palmarij.*

Idem Palmarius ſub finem, aliam auri præparationem, mediante quodam cœleſti diſſolvente factam, his verbis proponit. *Auri pellis, arte nova, roris Maij beneficio paratus, citra ignis vim, mirificam habet adverſus omnia venena efficatiam, atq; cardiacum remedium eſt omnium præſtantiſſimum.*

Hac in re certè Palmarius eſt omni commendatione dignus, eó quòd potiſsimum Rempublicam doceat quidquid de auri præparationibus, & aliorum metallicorum acceperit: illorum uſum approbet, necnon aliorum plurimorum opinionem eludendo, hæc remedia in ſupremo veluti Alexiteriorum gradu reponat.

Sed tempus efflagitat modó, ut alios Hermeticos, de auri natura & eſſentia audiamus: utq; rationem præterea inquiramus, cur tantopere remedia quæ ab illo depromuntur exaltaverint. Quidam enim, eò quod minus fidem ſuam his præconiis accommodaverunt, in ludibrium omnia convertere imperitè conati ſunt. Nuſquam enim illis in mentem venire potuit, aurum, quod eſt ſubſtantiæ adeò ſolidæ, potabile fieri, tamq; mirabiles ad ſanitatem conſervandam effectus producere poſſe.

Hæc

Hæc igitur, quæ de natura, proprietatibus & qualitatibus auri eſſentialibus Hermetici ſentiunt, paucis accipiantur.

Si à primo, ut ajunt, ovo, ipſaq; origine rem altiùs deducamus, & in hunc noſtrum uſum, prius in Tetrade noſtra, poſt magnum quendam & antiquum Philoſophũ deſcriptam, accipiamus: eſt quod nobis indulgeatur. Id enim totum à nobis efficitur, ut res clarior elucescat, bonoq; publico melius conſulatur. Hæc igitur ab illo ſic in medium proferuntur.

*Explicatio notanda circa auri naturam, proprietates & præparationes.*

„ Ea omnia quæ naſcuntur, ac intereunt, ut volunt Hermetici, ſuam habent progreſſionem ad ſummum perfectionis gradum, in quo ſcilicet nulla eſt amplius Elementorum contrarietas, vel deſtructionis cauſa. Iſta Elementorum adæquatio, vel naturarũ uniformitas, omnium eſt nobiliſſima & perfectiſſima, adeoq; omnium creaturarum nobilitas & perfectio. Talis uniformitas quæ ſubſtantia eſt omnibus Elementis æqualis, in uno auro præſertim ineſt, in quo propter hanc Elementorum adæquationem, nulla poteſt contingere diminutio ſeu deſtructio, ita ut jure etiam poſſit omnium gemmarum & corporum clarificatorum dici materia. Et propterea aurum etiam adeò perfe-

ctum eſt, ut illo nihil perfectius, aut nobilius reperiatur. *Uni enim nil deperit auro*, &c. Ut ſcribit Augurellus. Hæc autem auri perfecta natura accuratè conſideranda eſt. Ea enim eſt omnibus Elementis æqualis & uniformis, ut dictum, duplicis tamen naturæ, ſpiritualis ſcilicet, ſeu aſtralis, formalis, volatilis: & corporalis, materialis & fixæ.

Utraq; ſummo ſtudio inveſtiganda eſt, ne in tam amplo labyrintho erremus, ſed ut veram magnæ veræq; Medicinæ, & veri ſeu uberrimi elixiris materiam, quæ præſertim in ſola natura & ſubſtantia ſolari conſiſtit, eruere queamus.

Cùm autem hoc præſertim nobiliſſimum corpus, compactiſsimæ & firmiſsimæ ſit ſubſtantiæ, abſq; apertione & fractione, aut ſolutione illius, nihil boni præſtare poterimus. Nam cùm natura in hoc corpore perfectionem attigerit, atq; idcirco ab ejus ulteriore operatione quieta ceſſet, ſuam arti commiſit induſtriam, qua aliquid adhuc perfectius huic corpori tribuat. Idcirco incipit ars, ubi deſinit natura, quæ nullum ſibi alium proponit ſcopum, quàm & perfectionem illam auri auctiorem reddere, & eam ex materiali corpore eruere, ut ſpiritualem aut aſtralem

lem

lem & aëream reddat, Medicinæ univerſali ad omnes corporis humani affectus profligandos idoneam. Quæ quidem ſic arte reddita medicina, infinitis tum demum virtutibus cumulatur, quæ alioqui in craſſa ſubſtantia ſopitæ languebant: ſimilisq; redditur grano, quod numero, poteſtate & viribus, agricolæ induſtria augetur ac multiplicatur: qui non tantùm terram ſuam aratro proſcindit ac præparat, ſed etiam eam fimis imprægnat, igne nitroſo, ac calore ſulphureo gravidis & potentibus, quem natura in fimos contulit ex cœleſtibus derivatum. Sic ars in auro operatur, eandem aut ſimilem induſtriam conferens, quam ſementi ſuæ agricola. Ea autem variis naturæ ignibus internis utitur, in ſua operatione, quorum virtutes in dirigendo, & vivificando poſitæ ſunt: quas novit artifex externo igne excitare, eoq; omnes coctiones imitari ac perficere, quas natura in ſuis operationibus adhibet, ut maturitatem & perfectionem rebus omnibus quas producit, concilíet.

Ex tam igitur perfecto metallo perfectiſſima quæque, & univerſaliſſima remedia inveſtigantur. Inter Bezoardica vero & ſudorifica, ea quæ ſubſequuntur

præparatu ſunt faciliora, atq; ſimul nobiliora.

*Deſcriptio ſudorifici præſtantiſſimi ex auro confecti*

Aurum in aqua Philoſophica diſſolvatur, quæ è duobus ſalibus volatilibus, ſulphuro nimirum & Mercuriali conficitur. In illius verò aquæ operatione, magna cautela in primis eſt adhibenda. Quoniam ſi ignis nimium vigens adhibeatur, ſpiritus cum tanta egrediuntur impreſſione & violentia, ut vas recipiens conteratur, & in mille partes diſſiliat.

Aurum ſic diſſolutum in calcem ſubitò reducitur, ſi guttatim in illud injeceris oleum reſolutionis ſalis, primi & principalis vegetalis. Hanc calcem verò ablues, & ablutam ſagaciter in umbra deſiccabis. Ex hoc pulvere deſiccato, qui ſola agitatione flammam concipit, ſi bene operatus fueris, aliquot ſolummodo grana ſuſcipies in choleari argenteo imponenda; ita tamen ut aliunde vitrum commune ſuſpendatur, quod inſtar recipientis aut ſublimatorii tibi inſerviet, ad recipiendam materiam quandam fuliginoſam & cœruleam, quæ è granis prædictis in cochleari poſitis, & ſola agitatione, vel admoto quodam cremio exurget. In illa autem materia pluribus vicibus id genus ſublimationis continuabis, donec ſufficiens

pulveris

pulveris iſtius cœrulei & ſublimati, quantitas tibi parta fuerit: cujus vel unicum granum cum vino datum, magnum experieris eſſe Bezoardicum ſudorificum.

Vel aurum laminatum aut limatum capiatur, ex quo cum Pumicis lapidis pulvere præparato fac S. S. S. in vaſe fixatorio, reverberentur per tres dies. Quo temporis ſpatio, pumex, virtute Magnetica, aurum à ſua tinctura ſpoliat: quam tenuò acetum radicatum, ut vocant, attrahit: quæq; demum ſpiritu vini communicatur. Unde ab experto artifice præſtantiſſimum ſudorificum & roborativum, in parva quantitate præparatur. *Alterius ſudorifici deſcriptio.*

Oleum quoq; Juniperi bene depuratum, impprægnatur tinctura ſive colore auri: modò antea perfectè in calcem leviſſimam, ut artis eſt, reducatur, & omnia in Bal. Mar. per aliquot dies collocentur. *Alia iterum ſudorifici deſcriptio.*

Ex hoc oleo, jam prædicta auri tinctura imprægnato, dandæ quædam erunt guttulæ, cum juſculo aut alio liquore, vel cum vino: & ſic ſummum ſolare Bezoardicum comparabitur.

Mercurius verò ſolus, philoſophicè purificatus, ſimul atq; mortificatus, virtute quadam admirabili, atq; Magnetica quæ ſenſus fugiat proprietate, poteſt ſo- *Quarta demum ſudorifici deſcriptio.*

lis formam, & tincturam attrahere. Hunc Mercurium ſic impraegnatum, praecipitā, ſi velis cum aliquo aceto metallico, ſive nitri, ſive ſulphuris: ſicq; ſudorificum quoddam praeſtantiſſimum meae deſcriptionis & inventionis conficies. De hoc tria aut quatuor grana, cum confectione Alkermes, de hyacintho, aut cum aliqua conſerva cordiali ſunt tantùm exhibenda, è quibus mira confeſtim contra peſtem, & Luem veneream ſubſequetur operatio.

*Cur author ambagibus verborum in ſuis ſcriptis utatur.*

Vitio mihi fortaſſis dabitur, quod nimium ὑπερβολικῶς, & aenigmaticè loquar: ut qui ſolùm ſublimium quorundam remediorum palpum obtrudam, rem verò ipſam ex oculis praeripiam, & aliò traducam. Idipſum ingenuè profiteor. Nefas enim vix ullo bidentali piandum mihi viderer patraviſſe, ſi tam excellentia profanarem myſteria, & omnium cognitioni proſtituerem. Veritati tamen hac in parte nullum fucum facio: prout verus & expertus Chymicus facilè in iis deſcriptionibus, quas magis elucidare non licet, deprehendat.

Antiquiores herclè Philoſophi multò obſcurius & intricatius ſua ſecreta propoſuerunt: prout nullo negotio colligetur è deſcri-

deſcriptione ſummi illius, quod ab auro depromitur, remedii ab Arnaldo de Villanova, qui Romæ trecentis ab hinc annis vel circiter floruit, adinventi. E quo quidem Alexiterio, Raimundus à Vinario, & Dalechampius doctus illius interpres, non mediocre ſuo de Peſte tractatui ornamentum mutati ſunt, & velut unum è præſtantiſſimis inter mille, Alexiterium, ſic ſcriptis ſuis conſignarunt.

„ Libet & hîc Arnaldi remedium appone-
„ re, ſed orationis obſcuritate eadem cela-
„ tum, qua ille obſtruendum juſſit: vel quod
„ non niſi maxima impenſa id perveſtiga-
„ mus: vel quod multitudini hæc inaudita
„ ridentur, ut abſurda, aut quaſi vana deſpi-
„ ciuntur: vel quod Diis injuriam facit, eo-
„ rumq; numen violat: quemadmodum
„ Ariſtoteles ad Alexandrum epiſtola qua-
„ dam ſcripſit, qui hæc arcana, conſcius eo-
„ rum, vulgo temeranda prophanandaq;
„ loquacitate ſua exhibet. Id videlicet quin-
„ que rebus conſtat.

Harum prima in viſceribus terræ fovetur: altera in mari natat: tertia inſidet terræ: quarta in aëre vehitur: quinta nobiliſſimum, id eſt à ſuperioribus editum, ſatum, genitum, procreatum animal „ ſempi-

*Obſcura deſcriptio Arnaldi de Villa-nova.*

„ ſempiternæ vitæ, nunquam ſeneſcens, reparans ſe phœnicis more, Diis amicum, ſtellis familiare, humani generis columen, vitæ noſtræ tutela, omnium rerum quas optare, cupere, & votis expetere licet promptuarium, penus, ταμεῖον, θαλασσά.

*Laus Raimundi à Vinario,*

Hucuſq; verba Reimundi à Vinario, ſua ætate Medici trium Paparum, qui ſedem ſuam Pontificiam Avinionem tranſtulerat, celeberrimi, è fine libri ſui ſecundi de peſte deprompta: quæ non parum viri præſtantiam & doctrinam manifeſtant.

*Et Dalechampij.*

Quod attinet verò ad Dalechampium, doctum illius interpretem, quem Lugduni familiariter agnovi, & cujus viventis benevolentiam decoratus ſum: præſtantiſſima illius quæ in lucem emiſit opera, facile convincunt eundem fuiſſe Medicorum ſuæ tempeſtatis expertiſſimum. Gravi igitur prædictorum Doctorum fretus authoritate, non eſt quod dentem lividi alicujus Zoili reformidem, qui mea remedia metallica improbabit, vel qui cachinnum ſuper meas auri deſcriptiones tollet, aut certè ægrè plurimùm feret, quod adeò obſcurè illas propoſuerim, ut pauci admodum illas tenere poſſint. Textus quippe quem modo citavi, omnem à

me

me procul expellet calumniam; cùm præſertim à tanto, quantus eſt Arnaldus à Villa-nova, Medico & Philoſopho deſumatur.

Sed ut clariùs adhuc juris mei patrocinium à benevolo Lectore ſuſcipiatur, concluſionem ſecundi libri, à Vinario prædicto, circa peſtem conſcripti hoc loco adjiciam; qui ampliſſima omnium remediorum cordialium, & Bezoardicorum collectione facta, hæc tandem verba ſubjicit: Excellit tamen omnia præſtans, & divinum illud Arnaldi remedium, quod ambiguitate orationis intricatum, non nbivis explicandum eſſe, antea nos diximus. " " " "

### *De cura particulari Peſtis & aliorum morborum Epidemicorum, nec non de ſymptomatibus præcipuis quæ illos comitantur.*

## CAP. VIII.

QVilibet ſtudioſus Medicinæ Tyro, & candidatus, ex iis quæ in genere de cura peſtis expoſuimus, documentum cæterorum remediorum, tam generalium quàm particularium capere poteſt, quibus in contagione utatur expugnanda. Quod eò procul dubio præſtabit faciliùs,

ſi rationem habeat temperamenti & conditionis perſonarum. Cum hominum alii ſint biliosi: alii pituita ſcateant: & alii iterum melancholia. Quidam præterea præſtent divitiis, alii fortunam novercam experiantur.

Quibus tamen omnibus & ſingulis ſua non deſunt remedia, à nobis affatim ante deſcripta, quorum ſi delectum habuerit eximium: & accommodatè, prout res poſtulat eadem diſpenſaverit: nihil certè quod intentionibus ſuis curativis deficiat, poterit meritò deſiderare.

*Quomodo Medicus erga peſtiferos ſe gerere debeat.*

Si ergo tempore peſtis ſævientis, & morborum Epidemicorum huc illuc diſcurrentium, aliquis ſe offerat, qui ſubito febre ardenti corripiatur, extremoq; ſimul dolore capitis laboret, aut inſomniis & magnis jactationibus divexetur: modo æger ſanguinis abundet copiâ, & robore præſtet juvenili: in capite de ſanguinis miſſione videre licuit, quomodo confeſtim opus ſit id genus hominibus venam ſcindere, modò antea aliquem clyſterem emollientem & refrigerantem aſſumpſerint. Viſa eſt præterea quantitas ſanguinis emittendi, è quo lacerto, & quanam vena. Potio demum cordialis, quam ante prædictam ſanguinis miſſionem & poſt

poſt illam ſumere debet, in medium eſt illic producta.

Sin autem purgatio ſanguinis miſſioni præferenda videatur, ob rationes à nobis ſupra deductas: illic remedia purgativa & ſpecifica contra peſtes, omnibus complexionum generibus accommodata reperiuntur: quæ proſunt etiam ad purgandam bilem, vel pituitam, vel melancholiam, aut omnes demum humores ſimul commixtos. Hæc verò remedia tam è communi vegetantium, quàm particulari metallicorum hermeticè præparandorum familia depromuntur: ita ut junior Medicus diverſa hoc in loco purgativorum genera abundè. Prudenti tantùm maturoq; ſeligenda judicio, deſcripta comperiat. *Quænam remedia & purgativa contra peſtem adhibenda.*

Illic etiam non mediocrem cardiacorum & bezoardicorum numerum traditum deprehendet, quibus potiſſimum erit incumbendum: illud certo certiùs ſibi perſuadendo, *Quod Alexiteriis & Bezoardicis auxiliis venenum peſtis eſt expugnandum.* Quorum cum amplior nobis ſupra deſcriptus fuerit Catalogus: ſupervacaneum eſt, eadem nunc in medium repetita producere.

Quando igitur medico, talis quam antea delineavimus, febris occurret: principio

*Quomodo junior Medicus in cu[ratione] pe[stis] ingredi [deb]et.*

cipio malo in univerſum conſulendum eſt, tum miſſione ſanguinis, tum purgatione. Deinde continuò adhibenda ſunt iſthæc remedia bezoardica.

Verùm quoniam febrem ardentem in corpore juvenili, robuſto, atq; bilioſo nobis propoſuimus: remedia minùs calefacientia in primis ſeligantur. Qualia ſunt quæ extrahuntur è radicibus oxalydis, tormentillæ, ſcorzoneræ, ſcabioſæ, è ſeminibus citri, & portulaca: è ſantalis, perlis, corallio, cornu cervi, ebore, & unicorni: quorum beneficio diverſa componi poterunt formularia, tam interna, quàm externa, in modum decoctorum, electuariorum, conditorum, opiatorum, & ſimilium.

*Julepi quinam contra peſtes probati.*

Inter ſyrupos vero ii qui conflantur è ſucco citrorum, acetoſæ: ſyrupus item acetoſus de granatis, violatus, & Julepus Alexandrinus ſunt magis convenientes. Quod ſi cum aliquibus liquoribus acidis, qualis eſt ſpiritus vitrioli aut ſulphuris reddantur aciduli: multò ſine comparatione majorem fructum afferent. Nihil enim rebus prædictis eſt accommodatius, ad extinguendum omnem ardorem febrilem, imo vero qualitatem veneniatam edomandam, quàm iſti liquores acidi: cum inge-

ingenita ſua virtute corruptionibus obſiſtant, & ſudorem etiam, humores fermentando & attenuando, non parum promoveant.

Præſto quoq; lapis adſit Prunellæ, & innumera pene hujuſmodi remedia metallica, eiſdem curationibus ſubſervientia: quorum ſagacem delectum facies.

Quod ſi præfatis alexiteriis uſus fueris: nulla tibi ſubſit dubitatio, quin ſubito variolæ, exanthemata, & carbones appareant. Ubi vero ſemel illa exterius ſe manifeſtaverint: tuum illuc potiſſimum ſtudium & induſtria dirigatur, ut naturam adjuves cum vi morbi digladiantem, quo faciliùs venenum à centro ad circumferentiam verſus expellat. Naturæ autem auxilium feres, ſi utaris aquis theriacalibus, electuario de ovo, antidotis noſtris compoſitis, & extractionibus cardiacis: quorum omnium omnibus perſonarum temperamentis conſentaneorum, infinitas propemodum formulas retexuimus. Illud tamen præ cæteris caveatur, ut è remediis ſuperioribus, ea quæ minus calefaciunt, eligantur: nec unquam tutum ſit, ad iteratam ſanguinis miſſionem aut purgationem remedium, licet febris ardens perſeveret.

*Medici ſcopus qui nam præcipuus in peſte curanda eſſe debet.*

Dies

*Natura quanam ratione juvanda.* Dies præterea critici tibi potiſſimum obſerventur. Quod ſi naturam advertas aliquem per ſudores impetum contra contagionem moliri, quem tamen ob nimiam ſuam imbecillitatem exerere non poſſit: tunc illa quodam hydrotico proprio & ſpecifico eſt adjuvanda, quorum multiplex antea traditur præparatio.

*Sudores provocandi.* Sin autem ſudores nimium tibi tardi videantur, propter magnam cutis denſitatem atq; ariditatem, quæ in pluribus perſonis animadvertitur: illi tunc temporis quibuſdam topicis ſunt provocandi. Idq; nimirum cum decoctione aliqua è radicibus Angelicæ, ſcorzoneræ: herbis meliſſæ, origani, ſcordii, atq; è ſeminibus cardui benedicti: è florib. chamomillæ, verbaſci, meliloti, hyperici centaurei, ſtæchadis, roriſmarini, calendulæ & ſimilibus compoſita: in qua ſpongias intinges nonnullas, pedibus, axillis, coxendici, & lateribus applicandas. Præterquam enim quod hoc remedium provocandis ſudoribus inſerviet, epithema quoddam ad venum foras extrudendum erit univerſale.

*Quantum temporis æger ſudare debeat.* Quod verò ſpectat ad moram temporis in ſudando obſervandam: ea duarum, aut ad ſummum trium horarum ſpatium non excedat, ne forte vires ægroti nimium debilitentur.

Quam

Quam diu vero ſudorem æger emitteret, nec potus illi nec cibus ſubminiſtretur, & ſomno illi penitus interdicatur. Quod ſi nimium urgeatur, ſpongiola aceto optimo delibuta, in quo radix Angelicæ macerata fuerit, ſubolfacienda admoveatur. *Quomodo æger inter ſudandum curandus.*

Si præterea inter ſudandum aliquam cordis ſyncopen experiatur, aut robore nimium deficiat: ſemicochlear argenteum aquæ theriacalis minus calefacientis propinetur: aut ſyrupus de vino compoſitus, ex maceratione radicis ſcorzoneræ & tormentillæ: aut ſyrupi coralliorum & perlarum, quos antea deſcripſimus.

Inter ſudandum vero ea inprimis cura adhibeatur, ut accuratè extergatur, utq; poſt exterſionem bonum aliquod jus reſtaurans conſummatum, in quo aceroſa, borrago, bugloſſum, portulaca, & aliæ herbæ ſimiles in magna quantitate decoctæ fuerint, ab illo aſſumatur. Quod jus præterea acidulum reddi poterit, addendo ſuccũ citri, ut guſtui gratius fiat & utilius. *Quomodo poſt ſudore.*

Sin autem ſudores ſtatim à ſumptione juſculi prædicti, ut ſæpius contingit, rurſus incipiant: modo leves ſint, & tolerandi, eoſdem non impedies, ſed ægrotum ſolummodo detergendum curabis. *Utrum ſudores in ægro ſiſtendi an permittendi.*

At

At verò ſi nimii forent illi atq; modum excederent, quo graviter vires ægri labefactandas pertimeſceres: eoſdem dicto citius ſiſtere ſtudebis. Quod feliciter perficies, ſi corpus cum oleis myrtillorum, aut cotoneorum perfricetur, & perungatur.

Poſtquam verò ſudores iſti ſuum curſum cohibuerint, vires ægroti cum nonnullis conſervis & tabellis cordialibus erunt confeſtim recreandæ. Illarum autem conſervarum atq; tabellarum, varias in noſtris ſcriptis formulas propoſuimus: è quibus ſemper eæ, quæ minus calefaciunt, cæteris erunt præferendæ.

*Tabellæ cardiacæ contra peſtem,*

Regio interea cordis atq; jecoris quibuſdam Epithematibus convenientibus, quorum ſuperiùs materias & deſcriptiones luculenter expreſsimus, erit fovenda & munienda.

Hæc ſunt, quæ ſedulò non ſolum in omnibus ſudoribus criticis: ſed etiam in omnibus aliis per artem excitandis ſunt obſervanda: idq; tamdiu, donec peſtis in ægrotum ſæviet.

*Quomodo in curatione bubonis peſtiferi ſit procedendum.*

Ut autem buboni peſtilentiali remedium adhibeatur, maturo opus eſt in primis judicio, exactaq; conſideratione. Bubo quippe febrim aliquando antevertit, aliquandò verò á pedibus ſequitur, aliquando

quando demum ambo ſunt Comites individui.

Inter bubones autem illi qui febris initio apparent, ſiniſtrioris debent eſſe judicii, atq; κρίσεως, ab illisq; velociùs cæteris præcavendum eſt: eò quod majorem veneni potentiam ſubinſinuent. Natura enim nihil aliud ſatagit, quàm celeriter toxicum à ſe procul expellere. Hinc nimirum ſapientiſſimè ſcripſit Hippocrates: *Mali ſunt bubones qui ſtatim initio acutarum febrium effloreſcunt.*

Quinam bubones in peſte nocentiores.

Hoc autem caſu poſito, motum naturæ, nec ſanguinis miſſione nec purgatione unquam divertendum exiſtimarem: niſi ſi malum graviſſimè urgeret: & illæ conſiderationes accuratæ adhiberentur, quas in curatione peſtium generali antea obſervavimus.

Motus naturæ in peſte nunquam divertendus.

Quod ſi alicui videretur, purgationem tunc temporis aliquem locum debere nanciſci, ut natura ab onere veneni ſublevaretur, ego certe non repugnarem: modo tamen id fiat potius cum aliquo purgativo ſpecifico, & bezoardico metallico, quàm alio communi.

Purgatio cum bezoardicis in peſte conjungatur.

Illud ſæpius in bubone Venereo expertum traditur: quod ſimul ac ægrotus purgatur chatartico aliquo vulgari, quod nihilo-

Ratio ſententiæ auctoris.

nihilominus ad mali propulſionem aptum forte videbitur: qualia ſunt, confectio Hamech, Electuarium Indum majus & minus, & ſimilia: Bubo intrinſecus curſum ſuum ita repetat, ut vix tandem ad perfectam maturitatem revocari poſſit. Quid inde præterea ſequitur? nihil aliud certe quàm Lues Venerea. At pejus multò bubonem peſtiſentialem, Mors ſcilicet præſentiſſima ſubſequitur: eò quod peſtis venenum multò ſit toxico Luis venereæ pejus & nocentius. Sed quemadmodum pilulæ Mercuriales, quæ ſunt Luis Venereæ aptiſſima & ſpecifica purgativa, non impediunt, quo minus bubones felicem exitum aſſequantur, (ut quotidiana probatur experientia) naturaq; parte quadam veneni prædicti exoneretur: ſic non eo inficias, quo minus ad curationem bubonum peſtiferorum quædam purgatio ſpecifica adhiberi poſſit, ut ipſamet ſuo moleſtiſſimo pondere natura ſublevetur. Meum tamen hac in parte hujuſmodi conſilium intercedit, ut id fiat potius purgativis metallicis, contra peſtem ſpecificis & accommodatis, quàm alio quolibet remedio. Quæ tamen omnia ſic accipiantur, ubi purgatio penitus neceſſaria videbitur.

Sin

Sin autem advertas, evacuationem minus eſſe neceſſariam, malum vero ita urgeat ut nullus moræ locus relinquatur: tunc in primis illud tibi ſpectandum eſt, ut venenum dometur, & illius expulſioni juxta motum ipſius naturæ conſulatur. Cui certe rei cucurbitulæ ſuper bubonem, ſi apparuerit, applicatæ aliquando inſerviunt: At fomentationes quæ ſubſequuntur, præcipuum obtinent locum, modò ea quam mox præſcribemus ratione conficiantur: eò quod nullos dolores excitent, nunquam febrim accendant: quodq; præterea veneni attractioni & evaporationi, licet ſine ullo ſenſu, plurimum inſerviant.

Cucurbitulæ & fomentationes in peſte non omittendæ.

Prædicta autem fomentatio fiet cum rad. liliorum, ſcabioſa, ruta: ſummitatibus fraxini, malvis: ſeminibus lini, fænugræci, floribus geneſtæ, camomillæ, anethi, & ſimilibus. Quæ omnia in juſculo decoquantur, capitis vervecini: in eo ſtuppæ admodum tenues immergantur, immerſisq; calide prædictus bubo, modo quo melius fieri poterit, fomentetur.

Fomentatio contra peſtem.

Si verò malum aliquam intermiſſionem concedat, & bubo ad quandam videatur maturitatem pervenire: tunc utendum eſt aliquo cataplaſmate cum rad.

Cataplaſma contra peſtem.

altheæ, liliorum; ruta, ſcabioſa, & oxalyde, compoſito, quæ ad ignem decoquenda curabis. Compoſitioni addantur gummi oppoponax, galbanum, & ammoniacum, in aceto diſſoluta, & per ſedaceum tranſcolata, cum tantillo fermenti, Theriacæ, & croci: è quibus poſtmodum cataplaſma formabitur.

Bubo peſtifer citò eſt aperiendus.

Non eſt porrò expectandum, ut bubo ad perfectam perveniat maturitatem: quin imò ferro calido citius erit aperiendus, ut exitus veneno præparetur. Bubone autem aperto, medelam more ſolito procurabis: ita tamen ut ſemper ægrotus remedia quædam cardiaca intrinſecus aſſumat, & cor ipſius Epithematibus extrinſecus muniatur accommodatis.

Nonnulli verò ſatis feliciter, modo qui ſequitur, in peſte, poſtquam apparuerit, progrediuntur. Hac quippe ratione infinitos propemodum, in ea, quæ tam graviter annis elapſis Angliam infeſtavit contagione, incolumes accepimus evaſiſſe.

Aqua ſingularis cardiaca contra peſtem.

Primò igitur, Accipe menthæ criſpæ, abſinthii, chelidoniæ, rutæ, ſingulorum m. j. è quibus ſuccum exprime: cui adde radicum gentianæ, angelicæ, tormentillæ, & enulæ campanæ, leviter contuſarum, an. ℥ ß. omnia miſceantur: his addendo vini

vini albi ℔. ß. digerantur per viginti-quatuor horas, in vaſo vitreo bene obcluſo: deinde tantum aquæ vitæ, quantum vini albi ſuperaffundatur; materiæ probè commiſceantur, & in infuſione rurſus per viginti-quatuor horas relinquantur. Deinde arcte admodum omnia per linteum exprimantur, & expreſſio in phialis benè clauſis, ut nihil expiret, utq; diu ad uſum aſſumi poſſit, reſervetur. Hæc aqua ſingularis eſt, non ſolum ad curationem peſtis, ſed etiam ad illius præſervationem. Singulis matutinis ad duo argentea cochlearia ſufficit exhaurire, nec non digito in illa intincto, nares, oculos, aures, & ipſos dentes perfricare, ad prædictam præſervationem.

Protinus vero ac aliquis peſte corripietur, ad tres uncias de illa eidem propinetur: qua ſtatim aſſumpta in lecto decumbet, atq, linteis cooperietur undiquaq; & tegumentis, ut per tres aut quatuor horas deſudet.

Sudore peracto, emplaſtrum qua ſequitur deſcriptione erit componendum, & prope bubonem applicandum: ut docebitur.

♃. Fermenti per ſex aut ſeptem dies aſſervati ad libitum, quod manibus com- Emplaſtrum contra peſtem.

 primes

ptimes & ſuper linteum extendes in quatuor undulas replicatum, latitudine folii papyracei dimidiati. Extenſum aceto optimo irrorabis, deinde ſuper fermentum aliud folium papyri dimidiatum appones, ita tamen ut in medio aperturam ad molem mali aurei relinquas. Cujus ſuperficiem pulvere cantharidum cooperies, ut ſtatim prope bubonem emplaſtrum iſtud opponatur, eo quo ſequitur modo.

Quibus locis emplaſtrum iſtud applicandũ.

Si enim prædictus bubo in faucibus appareat, emplaſtrum iſtud inferius ad trium vel quatuor digitorum ſpacium, è latere quo ſe manifeſtabit, collocetur. Si vero ſub axillis apparuerit, ſuper brachium vel ſubtus ad diſtantiam, de qua ſupra, redonatur. Si demum in inguinibus ſuboriatur, pari quoq; ratione ex eadem parte ſuper femur applicabitur. Quando verò ſemel emplaſtrum applicatum fuerit, illic per duodecim aut quatuordecim horas relinquetur, poſtea auferetur, & veſica magna, inde formata perforabitur: è qua ut plurimum aqua ſubrufa & virulenta, maxima veneni materia effundetur. Super veſicam præfatam, folium crambes rubicundum, aut viride, quod per cineres tranſmittes ut magis emolliatur, applicabis: ea parte qua coſta ſolidior ſublata fuerit,

erit, folio prædicto aliquatenus emarceſcente, aliud in ejus locum ſubſtitues: idq; tamdiu facies, quamdiu veſica curationem ſuam non aſſequetur. Inde tamen majorem veneni ſentinam ſigillatim exhauries.

Super bubonem vero remedia ſuperiùs à nobis deſcripta, eaq; quam tradidimus methodo, applicabis: illius enim divinæq; miſericordiæ beneficio, plurimi à contagione fuerunt liberati.

Heurnius quoq; hunc veſicatorii modum, in ſuo de peſte libro cap. 9. non parum commendat: ſed illum ſic componendum eſſe docet. Veſicatorium contra peſtē Heurnii.

℞. Cantharides decem, aufer ab eis extremas partes, paſſulat. unciam unam, fermenti ſemiunciam, ſcabioſæ, cynogloſſæ, conſolid. majoris, vincetoxici, ſingul. unciam unam: incorporentur cum oleo liliorum.

Ea igitur ratione ſuum componit veſicatorum, quod infra tumorem, eo modo quo ſupra, ad ſex digitorum ſpatium applicandum præſcribit.

Duo iterum mala granata capit, & totidem mala punica, quæ in duas partes diffiſſa in aceto decoquit, donec in paſtam quandam reducantur: quam poſtea contundit in mortario, & in formam cata-

plaſmatis, ſuper partem bubonis ſuperiorem, & undiq; circum apponit.

Ut inflammationi autem occurrat, Unguentum de bolo in ſuppetias evocat.

Bezoardica in primis contra peſtē aſſumi debent.

Interim tamen dum hæc peraguntur, providus Medicus non omittet remedia cardiaca & bezoardica: quinimò illa, ut cor magis ac magis præmuniatur, & à veneni impetu præſervetur, intrinſecùs aſſumenda proponet.

Quod verò ad anthraces & carbones attinet, quæ ſunt frequentiora Peſtium ſymptomata: id nominis ea potiſſimum de cauſa nacta fuerunt, quod partes quas occupaverint, inſtar ignis & carbonis ardentis depaſcantur. Color pariter ater & lividus, quo illorum cruſta circumtegitur id nominis indicat.

Carbonum peſtilentialium cauſæ.

Quod ſi illorum origo prima inquiratur: certum eſt illos à ſanguine quodam aduſto & venenato proficiſci, prout ille minus aut magis aduſtus fuerit. Carbonibus varii imprimuntur characteres, hoc eſt, illorum ulcus minus aut magis eſt lividum.

In illorum porrò notis accuratiùs deſcribendis haudquaquam immorabimur, quoniam, dum antea de Peſtis ſignis proloquebamur, ſatis abundè declaravimus qui nam eſſent lethales atq; maligniores,

qui nam verò ſecus, ut tutiùs de illis fieret judicium.

Scopi omnes Medicorum curativi, eò potiſſimum ſpectare debent, ut nimius ardor & ebullitio ſanguinis mitigetur, atq; omnis putrefactio unà cum veneno ſeptico propellatur.

Scopus Medici contra peſtem qualis eſſe debeat.

Generalia nihilominus remedia, quæ tum ad miſſionem ſanguinis, tum ad purgationem ſpectant, nequaquam repetemus: eò quod ſatis ſuperq; de illis antea pertractaverimus, cùm de talium remediorum bonitate vel noxa diſputaretur.

In univerſum etiam de ratione diætæ, quæ in tali malo ſervari debet, egimus: quæ ſemper res humectantes & refrigerantes præferre debet; & cibum, licet medicamentoſum, in exigua admodum & parca quantitate, exhibendum.

Quænam diæta potiſſimùm ægroto peſte affecto obſervanda.

Quocirca in ægròti potu, in juſculis, in conſummatis, nec non in aliis cibis boni ſucci & facilis concoctionis, jùs Citri, Granatorum acidorum, aut aceti roſati adhiberi debet.

Potus præterea ægroti, ſi aliquis Julepus Alexandrinus, aut certê ptiſana quædam cum hordeo, radice oxalydis, endiviæ, & raſura eboris, atq; cornu cervi pro mediocribus: & unicornis pro magnatibus

Qualis potus peſtiferi eſſe debeat.

bus præparata in qua ptiſana ſuccus Citri, ut ſubacida fiat, adjicietur.

De illa autem inter & extra cœnandum, ad ſitim nimiam & febrilem ardorem extinguendum, tutò illi propinabitur, modò cum liquore ſulphuris acido ad majorem efficaciam acida reddatur: aut ſi mavis, ex eodem liquore acidum facias ſyrupum violatum, de quo cum vitro aquæ fontanæ frigidioris pleno, permiſcere poteris, ad libitum: qui potus perſonis bilioſis & ardentioris temperamenti erit plurimùm ex uſu. Nihil enim adeò refrigerat, nec magis ardorem bilis compeſcit.

Julepus verò, qui fit cum tinctura roſarum, cujus nos ſupra deſcriptionem tradidimus, in magna copia exhauſtus, eidem famulatur intentioni.

Vel iterum hanc in rem permiſce in aquis deſtillatis fragorum & ceraſorum acidorum, ſcrupulum aut ſemidrachmam ſalis prunellæ, cum tantillo ſyrupi violarũ, aut limonum, ut præſtantiſſimum adverſus prædictos autores remedium experiaris.

Illud tamen, iterum Medicum juniorem monitum eſſe velim, ut nunquam Bezoardica minus calefacientia omittat: non ſecus ac epithemata cardiaca & hepatica cordi ipſi, & jecori applicanda.

Topica

Topica autem quæ ſuper prædictos carbones apponi debent, ſunt eadem prorſus cum illa fomentatione, qua ad bubones curandos uſi ſumus.

Super tumorem verò & puſtulam peſtilentialem linimentum ſequens applicetur.

Linimentum contra puſtulā peſtilentialem.

℞. Unguenti Macedonici, vel baſiliconis unciam unam, adipis viperarum ſemiunciam, extracti ſcordii drachmas tres, theriaces drachmas duas, ſucci limonum, olei ſcorpionum, ſingulorū ſemiunciam, miſceantur & reducantur in linimenti formam.

Ut verò impediatur, quo minus inflammatio latius divagetur: cataplaſma ſequens ſic præparabis.

Cataplaſma contra peſtem.

℞: duo mala granata in fruſta diviſa, quæ cum æqualibus partibus aceti roſati, & aquæ ſpermatis ranarum vel plantaginis decoquantur. Omnia contundantur, & per ſetaceum trajiciantur: trajectis, adde terræ ſigillatæ ſemiunciam, pul. roſ. rubr. drachmas ſex, camphoræ ſemidrachmam, & farinæ lentium uncias duas: ut demum in formam cataplaſmatis reducantur, quod circum carbones peſtiferos undiq; applicabitur.

Sin autem carbones iſti ſuam incen-

dere

Qua ratione puſtula peſtifera perfricetur.

dere videantur & promovere malignitatem, puſtulam cum oleo ſulphuris, aut vitrioli perfricare poteris, quæ ſi aliquantiſper ſenſu quodam doloris afficiant, carbonum interea malitiam ſenſim ita compeſcunt, ut intra paululum temporis, magnum mali totius ſequatur ſolamen & levamentum.

Tandem ad ſcarificationes undiquaque faciendas, & ad cauteria actualia, ſuper eandem corporis regionem applicanda, recurrendum erit.

Concluſio totius operis, & excuſatio authoris.

Cæterùm hoc meum pridem fuerat propoſitum, ſigillatim, & ordine, de maximis illis & infinitis, quæ peſtem comitantur, ſymptomatibus pertractare, & ſpeciatim & exactiùs diſſerere, de Dyſenteriis, & Pleuriſibus peſtilentialibus, quæ non ſecus ac peſtilentia ipſa, morbi ſunt Epidemici, & mirum in modum pernicioſi. Sed temporis anguſtia ob nundinas Francofurti valdè proximas: & Regis Chriſtianiſſimi atq; Invinctiſſimi, Domini mei imperium mihi ſignificatum, ut illuſtriſſimum D. ac D. meum, Ducem de Boüillon, apud civitatem Sedanenſem inviſam, ita me coarctant, atq; perurgent, ut finem toti huic operi coactus ſim imponere. Id autem boni æquiq; Lector benevolus,

 FINE

nevolus, prout iterum atq; iterum illum obteſtor, conſulet. Quem ſequentibus Paſchatis futuri nundinis Francofurtenſibus, ſecunda hujus operis editione multò luculentiore & ampliore: nec non ſecunda meæ Pharmacopœæ parte ditare, atq; recreare, Deo bene proſperante, & votis meis aſpirante, confido. Cui veluti ſummo Medicinæ totius & Medicorum parenti ſanctiſſimo, ſit laus & gloria in ſecula.

*FINIS.*

Digitized by Google